

2274

Illion sum
obs.



Biblioteca de Sta Maria la R.l de Nazera N.2.C 11.

IN PROVERBIA SALOMONIS TRES LIBRI COMMENTARIORVM EX IPSIS HEBRAEORVM FONTIBVS MANANTIVM.

Authore Rodolpho Bayno Cantabrigenſi, & ſanctæ linguæ Regio profeſſore Lutetiæ.



R/3.49

PARISIIS,
Ex officina typographica Michaëlis Vaſcoſani, uia Iacobæa ad inſigne Fontis.
M. D. LV.
EX PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGII SENTENTIA.

Cautum eſt authoritate Henrici II. Francorum Regis, ne quis alius præter Vaſcoſanum, tres hoſce libros Commentariorum in Prouerbia Salomonis, authore Rodolpho Bayno ſanctæ linguæ Regio profeſſore, ante decennium imprimat, néue uendat. Qui ſecus fecerit, libris & pœna in ſanctione æſtimata, mulctabitur, Lutetiæ Pariſiorum. VII. Idus Februarij, M. D. LIII.

Ex mandato Regis D. Renato Baillet, libellorum ſupplicum in Regia magiſtro, præſente.

Mahieu.

AD HENRICVM REGEM GALLIARVM AVTHORIS PRAEFATIO.

PRæclarum magnis principibus præbens exemplum Rex Salomon, etiamnum adoleſcens & pene puer, à cultu numinis regnum eſt auſpicatus. Aſcendens enim ad altare æneum coram tabernaculo fœderis domini, hoſtias obtulit. Et in ipſa nocte cælitus cõceſſa facultatem petendi: Da mihi, inquit, ſapientiam & intelligentiam ut populum tuum iudicare poſſim, & diſcernere inter bonum & malum. Quandoquidem hanc rem poſtulaſti (diuinum reſpondet oraculum) non uitam longæuam, non opes, non ultionem ex inimicis, ecce (inquit) dedi tibi cor ſapiens & intelligens, ut nullus ante te tui ſimilis fuerit, neque poſt te ſurrecturus ſit. Et ut ſcribitur in antiquis annalibus, dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam ualde multam, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris. Erat (inquit ſacer hiſtoriographus) ſapientior cunctis hominibus. Et quando, ut inquit Paulus, Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, Salomon omni poſteritati prodeſſe cupiens, hunc parabolarum librum nobis reliquit לדעת חכמה ad ſciendam ſapientiam: ut eſt in exordio libri, dubitare poterit nemo, quin rara quædam, & cæleſtis ſapientia ſit in hoc opuſculo prodita. In quo is qui reliquos mortales ſapientia præceſſit, ſapientiam ex profeſſo tradere inſtituit. Mirata eſt olim antiquitas hoc nomine Thaletem, Solonem, Biantem, & aliquot alios: ſed Socratem imprimis Apollinis oraculo iudicatum omnium ſapientiſſimum, uel quod conſtanter aſſereret ſe nihil ſcire, uel quod primus philoſophorum relicta cæleſtium rerum inueſtigatione, nempe deſyderum curſu, magnitudine & interuallis, philoſophiam è cælo in urbes auocaſſet, & à ſapiẽtum gymnaſiis in priuatas deduxiſſet domos, neque omnium rerum diuinarum humanarúmque ſcientiam eſſe philoſophiam, (ut ueteres illi) exiſtimauit. Sed mortis meditationem potius, cum Paulo apoſtolo hac in re conſentiens: qui cotidie moritur per noſtram ſalutem, & cui mori lucrum eſt. Meritò igitur Socrates primus obtinuit inter philoſophos, ut qui de mortalibus optimè mereri ſtuduit, & eam artem tradere quæ ad bene beateq; uiuendum, imprimis ſpectare & ualere ſibi uideretur. De uirtute totus fuit illi ſermo, in qua ſola beatam collocauit uitam. Nam rogatus de magno Perſarum rege, beatúſne eſſet ut eſt apud Platonem in Gorgia, non poſſum dicere, reſpondet, cum ignorem quàm ſit uir bonus. Prorſus exiſtimans bonos beatos, improbos miſeros. Miſer eſt ergo Archelaus, qui tum temporis fortunatiſſimus habebatur, certe, inquit, ſi iniuſtus. Præclara quidem ſunt iſta, ut pleraque Stoicorum placita, qui una nobiſcum negant, uel corporis dotes, uel fortunæ bona, ad animi fœlicitatem eſſe requirenda. Cæterùm iſtos quanlibet præclarè philoſophantes, à ſapien-

tia quam profitebantur, alieniſſimos fuiſſe conſtat, ut qui ne principium quidem ſapientiæ nouerant. Initium (inquit) ſapientię, timor Domini, & unius ueri Dei uera & caſta religio. Multa ex noſtris libris hauſerāt. Nam apud Platonem, Deum mundi fabricatorem reperias: apud Zenonem, inferos, & immortales animos, unum & ſummum bonum honeſtatem. Magno ſtudio circa ueritatis inueſtigationē occupati, & ut inquit Paulus, γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν ἢ ηὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, φάσκοντες εἶν σοφοὶ ἐμωράνθησαν: Sed cum Deum, ipſam ueritatem, cognouerunt, non ſicut Deum glorificauerūt, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti fuerunt: hæc ille. Qui ſapientiam loquitur inter perfectos, non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur. Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio (inquit) quam prædeſtinauit Deus. Hanc Salomō ut longè excellentius, quàm ullus philoſophorum intellexit, ita ſenſibus hominum obiicere, & pectoribus inſtillare modis omnibus conatus eſt. Nam apud hunc, uelut in theatrum prodiens ſapientia, imò in ſuggeſtum aſcendens, concionabunda, O uiri ad uos clamito (inquit) & uox mea ad uos ô fili hominum: intelligite paruuli aſtutiam, & inſipientes animaduertite. Audite, quia de rebus magnis locutura ſum. Quòd ſi quę ſim quęras, Dominus poſſedit me in initio uiarum ſuarum: quando præparabat cælos, aderam. Per me reges regnant & principes imperant: mecū ſunt diuitiæ & gloria: melior eſt fructus meus auro: ego diligentes me diligo: &, Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominū. Sed antequam has magnas ſapientiæ dotes, & ſublimitatem proponat nobis Salomon, à magnis ſceleribus & flagitioſis criminibus, auditorum animos purgare grauiſſima doctrina ſtudet. In principio libri, à furto, rapinis, libidine, & aliis id genus flagitiis uehementer deterret: rem familiarem rectè inſtituere & adminiſtrare docet in ſeptem primis libri capitibus. Vt honeſtate morum & omni probitate ornati, accedamus ad ſapientiam ſuas uirtutes in octauo & nono capite prædicantem, & ut mirificos illius concipiamus amores: ac denique aures libenter accommodemus ſapientiæ præceptis, quæ à principio decimi capitis, ad trigeſimum uſque denſiſſimè conſtipantur, ſuboſcuris loquendi ſchematibus, & tanquam mella in fauis reconduntur, uariis ſtultitiæ generibus è regione collocatis, quò ex tenebrarum horrore, gratior ſit lucis aſpectus, miro & incredibili planè artificio. Ad hæc omnibus ferè rebus, ſiue à natura productis, ſiue ad uſus humanos inuentis abutitur Salomon, ad uarias ſapientiæ partes explicādas. Non ſolum omnes hominum conditiones, Reges & ſubditos, parentes & liberos, cōiuges, amicos, diuites & pauperes, opifices agricolas, doctos & imperitos, probos denique & improbos, omnes in theatrum accedere, & ſapientiæ audire præcepta magnoperè inuitat. Nouerat enim nullam uitæ partem, neque in priuatis neque publicis rebus, ſapientiæ præceptis poſſe carere. Porrò temerarios eſſe mortales, ſeriis rebus ferè non uacare, grauibus ſapientum elogiis uulgus hominum non delectari haud ignorans,

rans, in omnes ſe uertit formas Salomon. Nunc blandè, nunc aſperè caſtigat, pueraſcens penè cum pueris, iocatus cum imperitis, & cum impudicis mulierculis propemodum laſciuiens: ſtertit cum ſomnolentis & pigris, cum laborioſis agricolis copioſam colligit annonã. Cum bonis parentibus uirgis cędit liberos: cum iudicibus populi iura decernit, & ciuibus æquitatem legum deſcribit: cum regibus denique, & ducibus iuſtitiam colentibus, timorem incutit contumacis & prędfracti ingenij homi nibus, quos imperio facilè parere cogit: unicuique patello dignum coaptans operculũ. Nouit etiam cum fabris fabrilia tractare, rudes & ignaros non ſtatim in ſapientiæ conclaue intromittere uoluit, neque nudas porrigere margaritas, illotis contrectandas manibus, ſed ueluti per cancellos obſcuro lumine ſpectandas primò: imò uerborum ambagibus, & ſermonis coloribus auditorum pectora percutiens, è lapideis hominum imperitorum cordibus, tanquam è ſilice, ſcintillas ſapientiæ cogit emicare. Sed de his hactenus: nam ad ſapientiam Salomonis dignè decorandam ac depingendam, non mediocri ſapientia opus eſſe uidemus. Suſcepimus hunc librum interpretandum, ut pauca de noſtro dicamus inſtituto, non ſolum quòd reconditam uideretur habere doctrinam, & tanto authore non indignam, ſed etiam quòd concionatoribus ad plebem, & corruptiſſimis noſtri ſeculi moribus caſtigandis, uehementer accommodus. Qua in re ſi quando aliàs, nunc maxime eſt elaborandum: Nam ex quo tẽpore de dogmatibus fidei, de ritibus eccleſiæ, & myſteriis Chriſtianæ religionis dubitare, & digladiari cęperunt iſti, quantum fide promouimus, doctorum hominum eſto iudicium. Quanta uerò clades morum, quanta probitatis & pudicitiæ iactura, quanta denique totius diſciplinæ, & ſanctorum canonum ſubuerſio ſubſecuta ſit, heu nimium clarè uident omnes. De dogmatibus uel retinendis, uel recuperandis, quæ ab importunis hominibus labefactari cœperãt, à quamplurimis ſtudioſè, & magna cum laude deſudatum eſt, & libris editis pro ueritatis defenſione pugnatum eſt egregiè. Ipſe uerò in hoc pernicioſo Chriſtianæ orbis incendio, unà cum aliis cupiens operæ manus admouere, ſuſcepi hãc Salomonis philoſophiam moralem explicandam, ut ex fontibus Hebræorum reconditis, leuiter & quàm fieri poteſt lympidè, in legentium animos defluat. Vtcunque, ſi non eruditis, tamen lucidis illuſtrare commentariis, & commentandi ratione longe ſeiuncta ab omnibus illis, qui prius huic operi manus admouerunt: ne quis me dicat rem actam agere, & hoc opus poſt magnos uiros uelut ad incudem fruſtra reuocare. Nam præter aliorum, inter opera diui Hieronymi docti extant commentarij, quos doctorum conſenſus iamdudum Bedæ tribuit. Cuius authoritas, & patria communis, mihi quoque calcar addiderunt, cupienti illam operis partẽ abſoluere, quam ab eo uiro ferè prætermiſſam uideo, nempe hiſtoricum & craſſiorem ſenſum, quem ego fuſius proſecutus ſum iuxta proprietatem linguæ Hebraicæ, uariis modis pro ambiguita-

te (ſiue ut ego interpretor) pro ubertate ſcripturæ eundem explicantes locum, ſuum lectori relinquẽtes iudicium, noſtrum quoque interponere ſæpiſſime non dubitauimus. Nouam uerſionem adiecimus quibuſdã in locis, ubi noſter interpres Septuaginta potius, quàm ueritatem Hebræam ſecutus eſt. Allegoriã & ſenſum ſublimiorem minimè negleximus. Ante omnia dedimus operam, ne noſtris intelligẽdis aliis eſſet opus commentariis: ſed ut grauiſſimas ſententias & magna difficultate impeditas, quanta potuimus luce claras efficeremus. Id quod ſi ſumus aſſecuti, non noſtram, ſed poſt Deum linguæ Hebraicæ laudem eſſe cupimus. Imò tuam, Rex Henrice, cuius nominis maieſtati hos noſtros labores conſecramus: non ſolum quòd in celeberrima academia, tuo ſalario literas Hebræas publice profitemur. Sed quòd præter alias inſignes uirtutes & uere heroicas, quas in te admiramur, etiam literarum & artium profeſſoribus magnifice pergas illuſtrare tuum regnum, ſecutus exemplum parentis tui, fœliciſſimæ memoriæ Frãciſci, qui hoc nomine immortalitatem per orbem conſecutus, perinde hominum memoria uiuit hodie, ac cum ſtipatus ſuorum turmis, ſuper terram mortalis incederet. Alia laudum encomia, ſiue belli, ſiue pacis artibus comparata, erũt tibi Rex cum aliis Galliarum regibus communia: uerum hic literarum honos, & artium liberalium decus, quibus non tuum regnum ſolùm, ſed orbem Chriſtianum illuſtras, tuum erit & parentis tui duntaxat: ut quorum magnificentia denuò ditatus uideatur mundus, & uaria linguarum genera conſecutus, ut olim naſcente eccleſia Chriſti. Tuo igitur iure uendicare potes, non ſolùm ſi quid à tuis profeſſoribus adminiculo literarum lucubratum fuerit: ſed quotquot hac ætate prodeunt literarum monumenta, Chriſtianiſſimi Regis Galliarũ ſubſidia agnoſcãt oportet. Quare macte uirtute perges (nemo dubitat) indies hanc nominis tui celebritatem pene pluſquàm regiam augere: adiutus præſertim opera, prudentia inuitatus & firmatus conſilio Reuerendiſſimi & illuſtriſſimi Cardinalis Lotharingi. Qui cùm tuæ maieſtati ubique adſit, mira dexteritate in omnibus rebus gerendis, tum in hac parte laudis inſignem nauat operam, & profeſſoribus literarum & artium addit animos, humanitate inuitans, & authoritate calcaria ſubiiciens, ut hoc uel totius orbis lumen accenſum ſemel, indies longiùs & ſplendidiùs porrigat radios uolente domino Ieſu, qui tuam maieſtatem diu ſeruet incolumem. Lutetiæ.

RODOL.

RODOLPHI BAYNI CANTABRIGENSIS, ET SANCTAE LINGVAE Regij profeſſoris Lutetiæ Pariſiorum, In prouerbia Salomonis liber Commentariorum primus.



Arabolæ Salomonis filij Dauid, Regis Iſraël.

B Tres libros compoſuiſſe Salomonem citra cõtrouerſiam aſſerunt omnes. Rabbinorum ſententia Canticum Canticorum etiamnum adoleſcens cõſcripſit: Prouerbia, iam grandis natu, ac ætate uirili: Cohéleth ſiue Eccleſiaſten, conſeneſcens. Atqui huius rei coniecturam faciunt ex uariis iſtorum operum inſcriptionibus. Nam in Cantico nominis ſui duntaxat fecit mentionem: Prouerbiis, regem Iſraël adſcripſit. In Eccleſiaſte denique, rex in Hieruſalem

C uocari uoluit. Prouerbia משלי uocãt Hebræi: quæ uox Similia potius ſignificat, ſiue Metaphoras, cùm unum dicitur, & aliud intelligitur. Id quod duplici de cauſa fieri ſolet: Quandoq; ut detur cogitãdi ratio, & ut melius intelligatur quod dicimus, cùm ſimilitudine propoſita docemus aliquid: Quandoque ad excitandos auditorum animos parum attentos: ut cùm non ſatis intelligant quod dicitur, anſam perſcrutandi habeant. Atqui hac de cauſa Chriſtus à diſcipulis rogatus, ut eſt in euangelio, Quare in parabolis loqueris eis? Reſpondet: Vt uidentes non uideant, & audientes non intelligant: omnes, uidelicet: ſed hi ſolum qui ſtudiosè audientes cum Apoſtolis, latentẽ inueſtigarent ſenſum. Non ſunt tamen huius ge- *Lucæ. 8.*

D neris omnia Salomonis prouerbia: ſed ut inter adagia, à prophanis authoribus uſurpata, quædam clara ſunt, neque ulla ſimilitudine ſenſum obumbrant, cuius generis eſt illud: Filius ſapiens lætum reddet patrem, ſtultus uerò filius eſt mœſtitia matris ſuę: utcun-

» que, nullum ferè reperies, quod ad inſtitutionem morum, & moderationem uitæ, atque prudentiam non pertineat. Quare tradita à Græcis adagij deſcriptio, his prouerbiis non minus quadrare deprehenditur, quàm prophanis parœmiis, nẽpe, παροιμία ἐστὶ λόγος ὠφέλιμος ἐν τῷ βίῳ, ἀσθενεῖ μετεῖα πολὺ τὸ χρήσιμον ἔχων, hoc eſt, Prouerbium eſt ſermo ad uitæ rationem conducibilis, moderata quadam obſcuritate, multam in ſe continens utili-

E tatem. Sunt præterea ex his quæ nihil γνωμικὸν habere uidentur, neque quidpiam ſenſus ſecretioris: ubique tamen plus in receſſu continent, quàm prima facie præ ſe ferunt. Neq; ullum uel ex uniuerſo prouerbiorum numero reperias, quantumuis humile aut obuiũ eſſe uideatur, quod non eximium ſapientiæ dixeris elogium, & ſapientiſsimo Salomone dignum, ſi modo ueram & germanam aſſecutus fueris intelligentiam. *Parabolæ Salomo-*

» *nis filij Dauid regis Iſraël.*) Primus uerſiculus operis inſcriptionẽ & nomen authoris cõtinens, more Hebræorũ ueluti pars totius operis, initiũ libello præbet, quem משלי שלמה uocãt Hebræi à שלם aſsimulauit, Græci uero ἀπὸ τοῦ παραβάλλειν, parabolas, tamen ſeptuaginta duo interpretes παροιμίας σολομῶντος, adagia Solomonis, reddiderunt. Latinè Simi-

F lia, uel quod uſus magis obtinuit, Prouerbia, uel exempla dici poſſunt. Denique ſunt pleræque ex his parabolis, γνῶμαι grauéſque ſententiæ, aut ſapiẽtiæ præcepta, ad uitiorum fugam, & uirtutis amorem ſpectantia. *Filij Dauid*) non ſolum ad dignitatẽ authoris ſpectat, ſed ad commendationem operis, cuius author fuit uir ſapiens, & filius uiri ſapientis. Vltima uerſiculi clauſula, nempe, *Regis Iſrael*) iuxta diſtinctionem lectionis Hebraicæ, non ad Dauidem, ſed ad Salomonem refertur. Cõtextus denique, hunc habet ordinem: Hæc ſunt Prouerbia, uel hæ ſunt ſimilitudines, quas dixit uel conſcripſit Salomon, in eum uſum & finem, qui ſequentibus uerſiculis continetur, nempe·

» AD SCIENDAM ſapientiam & diſciplinam, ad intelligẽda uerba pru-

» dentiæ. *Hebræum*, Ad intelligenda uerba intelligentiæ.

Poſt titulũ,in quatuor primis uerſiculis,operis proponitur utilitas, quæ eſt planè maxi- G
ma,ut ex his quæ dicẽda ſunt ſtatim apparebit.per חכמה ſapiẽtiã, Hebræi ſpeculationẽ,
ſiue uitã cõtemplatiuam,intelligunt.Nos diſtinctius uirtutes quę mẽtem illuſtrãt,& in-
tellectũ: cuiuſmodi ſunt,fides & ſpes,& reliquæ quæ ad Deũ dirigunt,per מוסר diſcipli
nam,caſtigationem,eruditionem,ſiue morũ correptionẽ intelligimus. Sũt ex Hebræis,
qui ſatis doctè per hæc duo חכמה ומוסר ſapientiã & diſciplinã, timorem Dei,& obſer-
uationem mandatorum intelligunt.Et eſt ſenſus clauſulæ pendens à primo uerſiculo.
Parabolæ Salomonis ſunt,ut ſcias ſapientiam,hoc eſt uirtutes, quibus intellectus orna-
tur,quas in ſapientia intelligimus,& diſciplinam,hoc eſt uirtutes quibus ornatur uolũ- H
tas,hoc eſt quibus effrenæ & brutæ uoluptates cohibentur, quas in מוסר comprehẽdit
» ſapiens.Sequitur, *ad intelligendum uerba prudentiæ,*) אמרי בינה uerba ſiue ſermones in-
telligentiæ:nam ab intelligendo deducitur nomen בינה.& Aben Hezra ex Rabbinis fa
cilè doctiſsimus,clauſulam refert ad diſtinctionem inter rem & rem,iuxta præſcriptum
legis,inter bonum & malum,mundum & immundum, ne ponamus (inquit) tenebras
» lucem,neque lucem tenebras.Aliter,*ad intelligenda uerba intelligentiæ.*)hoc eſt uerba quæ
præbent intelligentiam,& prudentem efficiunt auditorem,ut de futuris rationem ha-
» beat,longéque cætera uincat animalia, quæ intelligentia carent. Porrò *ad intelligenda* I
» *uerba intelligentiæ*) geminatio intelligentiæ,ad ſeipſum & alios referri poteſt,hoc eſt,non
ſolum ut ipſe intelligas,ſed ut etiam alios docendi facultatem habeas.Denique,*ad intel-*
» *ligenda uerba intelligẽtiæ*,hoc eſt uerba quæ duplicem habent intelligentiam,alteram ex-
trinſecus & hiſtoricam, alteram intrinſecus & ſecretiore ſenſu reconditam. quaſi dice-
ret,ex his parabolis diſces arcanorum eloquiorum intelligentiam.

» AD SVSCIPIENDAM eruditionem doctrinæ,iuſtitiam & iudicium
» & æquitatem.*Hebræi*, Ad ſuſcipiendam eruditionem intellectus.

מוסר eadẽ uox Hebręa,quam priori uerſiculo uertit interpres noſter diſciplina,in ſecũ- K
do reddit eruditionẽ,utrunq; ſignificat. Aben Hezra ſubaudit copulã ad hũc modũ, ad
ſuſcipiendam eruditionem& doctrinam,ſiue intellectum,(ut eſt in Hebręo)ut quod in
genere dictum eſt prius de ſapientia & diſciplina,per partes explicari intelligamus.Ac ſi
diceret,Non tam hãc uulgarem & prophanam eruditionem ſuſcipies ex his prouerbiis,
quàm eruditionem intellectus,uel cum intellectu: hoc eſt,non eruditionem, ſiue uir-
tutes morales quales tradunt philoſophi,ſed eas,quæ cum intellectu & fide ſunt cõiun-
» ctæ. Aliter, *ad ſuſcipiendam eruditionem ſiue diſciplinam*) ut quod prius dictum eſt ad
ſciendam ſapientiam & diſciplinam,referatur ad ſeipſum. Ex his prouerbiis uel diſcet L
quiſque ſeipſum caſtigare,ſibi ipſi legem imponere, quæ omnium longè iucundiſsima
eſt diſciplina:uel diſcet aliis obtemperare,accepta intellectione huius operis: uel deniq;
» *per intellectum ſuſcipiet diſciplinam,iuſtitiam,& iudicium,& æquitatem.*) Iuſtitia in genere
comprehẽdit cultum Dei,& omne opus bonum,inquit Aben Hezra.Iudicium,ut rectè
iudicet inter uirum & uirum, & recta in iudicio loquatur, & ſubauditur ex præceden-
tibus,ad ſciendam iuſtitiam,& iudicium,& æquitatem, ſiue rectitudines. Aliter ex hoc
libello ſuſcipiet quis intellectum,ut faciat iuſtitiam,iudicium & æquitatem. Iudicium
refert Beda ad diſcretionem boni & mali:ut in genere intelligamus dictum, uel ad ea, M
quæ recta diſcretione cum proximis agimus, inquit.

» VT DETVR paruulis aſtutia, & adoleſcenti ſcientia & intellectus.

Hebręa ueritas nõ utitur iſta uarietate, ſed priore loquendi phraſi,nẽpe, ad dandũ: ut
ſuperius ad ſciendũ, ad ſuſcipiendum,& ſubauditur finis,ſeu utilitas operis huius erit,
ad dandum paruulis.uox Hebræa פתאים à uerbo פתה ſuaſit, attraxit,pellexit. Et ferè
in malam partem accipitur, pro his qui facilè perſuaſionibus ducuntur, hoc eſt rudi-
bus & imperitis.Septuaginta ἀκάκοις παιδίαν, puris innocentibus minimè doloſis, in
bonam partem.Hoc loco auditores ſuos ſibi præparat Salomon, dum neminem in his
parabolis,

A parabolis neglexiſſe uideatur:Imò omnium habuiſſe rationem, & imprimis eorum qui *Cap.1.*
maxime indigent ſapientia, cuiuſmodi ſunt ætate moribúſq; iuuenes, & quos ad ſuam
doctrinam moralem inidoneos iudicat Philoſophus. Hos inter primos admittit Salo-
mon,Chriſtum adumbrans,qui dicit:Sinite paruulos ad me uenire, talium eſt regnum *Matt.19.*
cælorum.Et ſapientiæ euangelicæ maxime ſunt capaces,qui paruuli ſunt,& de ſe humi
liter ſentiunt. Qui ſunt ſimplices ſicut columbæ,his neceſſaria eſt aſtutia, hoc eſt pro-
funda cogitatio,aſtuta inuentio,ingenij exercitatio in rebus iudicãdis, ut cum ſimplici-
tate colũbina ſerpentis iungatur prudentia:quam in hoc libello accipient, ut his prouer
B biis inſtructi, malorum perſuaſionibus & technis non capiantur. Imò ut aſtutia ſerpen-
tina (hebraice ערמה) dolos,inſidias,& circunuentiones animaduertere,prudentérq; ca-
uere poſsint: quaſi dicat,imperiti & paruuli hoc libello diligenter perlecto, prudentes
„ euadent.Aben Hezra ſic:Hæ parabolæ ſubminiſtrabunt ſup.intelligentiam, ut per eas
„ detur aſtutia imperitis,ut deponant ſtultam ſimplicitatem, quæ impedit quò minus ad
ſapientiam queant attingere. *Et adoleſcenti ſcientia,& intellectus,uel potius ſcientia & co-*
gitatio.) Indocta eſt fere adoleſcentia, neque nouit inter bonum & malum diſtingue-
re.Ex his parabolis omnium ferè uirtutum & uitiorum ſcientiam accipiet, & intellectũ
C ſiue cogitationem:qua quod honeſtum eſt eligat. Non enim ſcire uirtutes laus eſt, ſed
ſequi, דעת ſcientia,iuxta Hebræos diſtinguit inter ueritatem & mendacium מומה co-
gitatio uel conſilium, honeſtum ſecernit à turpi, quanuis paruulis & adoleſcentibus
hæ parabolæ ſint neceſſariæ:& hos imprimis ſibi præparat auditores ſapiens,ſunt etiam
quamlibet ſapientibus utiles,iuxta id quod ſequitur.

„ AVDIENS ſapiens ſapientior erit,& intelligens gubernacula poſsidebit.
„ *Hebr.* Audiet ſapiens & addet doctrinam, & intelligens conſilia poſsidebit.

In his prouerbiis huiuſmodi doctrina eſt: quæ non ſolum paruulis, ſed etiam ſapien-
D tibus poſsit eſſe uſui:ſi modo uelint audire,uel potius ſi uelint obtẽperare, & opere im-
„ plere quæ docentur. Nam hæc pars philoſophiæ in actione conſiſtit, in qua doctiſsimus
eſt,qui maxime obtemperat.Sapiens igitur,uel qui omnino eſt ſapiens,uel qui habetur
„ ſapiens inter homines, magnam acceſsionem ſapientiæ faciet, ſi Salomonem noſtrum
ſtudioſe audire uelit. Aliter *Si audiat ſapiens has parabolas,addet doctrinam*) hoc eſt,multa
diſcet, & doctior euadet. Aliter, Addet doctrinam, quia magis erit idoneus ad docen-
dum, & ut aliis addat doctrinam. Ex his tribus, ſecunda mihi maxime placet expoſi-
tio. Poteſt denique intelligi, quaſi in genere dictum. *Audiens ſapiens*, ut non ſolùm ad
E auditum prouerbiorum huius libri referatur, ſed ad auditum cuiuſcunque ſapien-
tiæ.Nemo uſque adeo ſapiens eſt, ut ſapientior non poſsit eſſe audiendo. Imò quanto
quis ſapientior fuerit,tanto paratior ad audiendum,& tardior ſolet eſſe ad loquendum. *Iacob.1.*
Sequitur *& intelligens gubernacula.* Hebr. Conſilia poſsidebit. Interpres ſeptuagin-
ta ſequutus eſt, qui κυβέρνησιν uertentes, metaphorice gubernacula pro conſiliis po-
ſuiſſe uidentur, quibus res agendas moderantur uiri prudentes, ut clauo nauem di-
rigit nauclerus. תחבולות ſunt conſilia, uel cogitationes (inquit Dauid Chimhi) quas
„ ſecum uoluit homo ac uerſat,quo meliores eligat:ſolent enim poſteriores cogitationes
F eſſe meliores,iuxta prouerbium. *Intelligens ſiue cogitabundus poſsidebit*) ſiue acquiret ſibi
ex his prouerbiis cogitationes non quaſlibet,ſed uerſatiles & prudentes. In ſenſum non
multum differt à priore clauſula,nempe ſapiens cum audierit,ſapiẽtior erit, ut uertit in-
terpres, uel addet doctrinam,ut nos,quam uerſionem defendimus etiam noſtri inter-
pretis authoritate, qui Deutero 32.eandem dictionem Hebræam לקח uertit,ut nos hoc
in loco.Concreſcat ut pluuia doctrina mea.Cui Caldæus aſtipulatur interpres pro לקח
ut eſt in Hebræo, מדעא ſcientiam reddens.Ab accipiẽdo nomen habet, proprie doctri-
nam uel legem,quam à maioribus traditã accepimus, ſignificat.uel לקח uocatur ſcien-
tia,inquit Hezra,propter ſuauitatem quam capit aliquis ex ſciẽtia. לקח enim ſignificat
dulceſcere. Poteſt ſenſus referri ad moderationem affectuum,& totius uitæ tenorem,ut
in huius mundi fluctibus,neque proſperitate nimium elatus,neq; aduerſitate depreſſus,

clauum amittat. Poteſt deniq; ad eos referri, qui præſunt in ſolicitudine, ut inquit Paulus G
Rom.12. Rom.12. Qui ueluti per mare huius mundi traiicientes, alióſq; ſecũ tranſmittentes: per has parabolas edocti, & intelligentiã aſſecuti, gubernacula poſsidere digni habebuntur.

» ANIMADVERTENT parabolam & interpretationem, uerba ſapien-
» tium, & ænigmata eorum. *Hebr.* ad intelligendam parabolam, &c.

Mihi placet ut retineatur Latine, ſicut Hebraice, idem ſermonis color, & loquendi modus, ut facilius intelligamus ſenſum pendere à primo uerſiculo huc uſque, ad hunc modum: Non ſolum ad ea quæ diximus utilis eſt parabolarum libellus, uerum etiam ad in- H
telligendam quamcunque parabolam & interpretationem. Hoc eſt ex his intelliget ſapiens quiuis, & alias ſcripturas parabolicas, & interpretationem earum. Sunt ex Hebræis qui uocẽ מליצה, interpretationẽ, nõ ad parabolã, ſed ad proprietatẽ linguæ & elegantiã referunt, quaſi ex hoc libello optime diſcatur Hebræa lingua. Et משל parabola eſt (inquit Aben Hezra) ex qua uerbum aliud egreditur, cum unum dicitur & aliud intelligitur. Aenigma uero uerbum occultum ſiue tectum, quod intelligi nõ poteſt, niſi explicetur. Interpretes ferè omnes uerba ſapiẽtum, & ęnigmata eorum, ad uerba prophetarum
Pſal. 49. referunt, quæ ſunt ęnigmatibus inuoluta, iuxta illud: Inclinabo in parabolam aurem I
meam, aperiam in cithara ęnigma meum. In Hebræo חידתי ęnigma meũ uox eadem,
» quæ hoc in loco legitur. Aliter, *ad intelligendum parabolas*) ut ex præcedente pendeat uerſiculo. ubi audierit ſapiẽs noſtras parabolas, tantum doctrinæ adiiciet, ut intelligat alias ſcripturas parabolicas, cum interpretatione earum. Verba ſapientum, cum ęnigmatibus, hoc eſt quantumuis obſcura & difficilia. Porro quatuor illa quę in contextu ponuntur, nempe parabola, & interpretatio, uerba ſapientis, & ænigmata, reducimus ad duo. idque duplici ratione: uel ut intelligatur ſecunda clauſula replicare primam (quod frequens eſt cum in hoc, tum in Pſalmorum libro.) Et erit ſenſus ad intelligendam parabo- K
lam, & intepretationem: hoc eſt uerba ſapientum & ęnigmata eorum. Vel ut idem ſit parabola & ęnigma, idem interpretatio & uerba ſapientum: & ſit ſenſus non multum diuerſus à priore, uidelicet, ad intelligendum parabolam, hoc eſt ęnigma parabolæ, & interpretationem, hoc eſt uerba ſapientum. Vel denique ut per parabolam & interpretationem unum intelligas: nam parabolam non animaduertit neque intelligit, qui eandem interpretari nequit: uerba ſapientum animaduertet, hoc eſt intelliget ænigmata eorum. Si quis quatuor diſtincta malit intelligere, abundet quiſque ſuo ſenſu: mihi uero ſecunda combinatio maxime placet.

» TIMOR domini principium ſapientiæ: Sapientiam atque doctrinam L
» ſtulti deſpiciunt. *Hebr.* Timor domini principium ſcientiæ: ſapientiam &
» eruditionem ſtulti deſpexerunt.

De duplici timore diſtinctionem nemo fere ignorat, quorum altero (ut inquit Auguſtinus, timetur ne iudicetur in tormentum ſupplicij, ſed hunc foras mittit charitas. Altero,
Rom.11. ne amittatur gratia beneficij. Iuxta illud Pauli: Tu fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Multiplex eſt huius uerſiculi intelligẽtia. Prima, timere Deum, hoc eſt reuereri & colere unum Deum, eſt principium & radix omnis ſcientiæ. q.d. qui hoc ignorat, nihil nouit. M
Omnis ſapientiæ ſiue ſcientiæ (ut eſt in Hebræo) eſt ignarus. Et iuxta hunc ſenſum lo-
Gene. 20 quitur Abraham Gen. 20. Forſitan non eſt timor Dei in iſto loco: hoc eſt, non credũt ne-
Deute. 4. que colunt Deum. Et Deut. 4. Congrega ad me populum ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me. Poteſt ad pręſentem Salomonis ſcientiã referri quod dicitur, Initium ſcientiæ, initium ſcientiæ noſtræ, quam in hoc opere tradere decreuimus, ſumatur à timore domini. Nam ut timor domini cuiuſcunq; ſcientię eſt initium, ſic eſt etiam ſapientiæ & diſciplinæ, quas omnes ſequuntur & amplectuntur, præter ſtultos. Soli ſtulti deſpiciunt ſapientiam, qua Deus cognoſcitur: & diſciplinam, qua mores corriguntur. Tertia expoſitio, initium ſcientiæ quam ex ſcripturis haurimus ſacris, eſt timor domini, quem lex Moſaica maxime docet. Ex lege igitur tanquam principiũ diſcimus timere Deum:

Ex euangelio

A Ex euangelio uero, ſapientiam & diſciplinã, hoc eſt fidẽ & integritatem uitæ. Denique ſi uoces Hebręas perpendimus, aliũ quodãmodo ſenſum inueniemus: ראשית enim, non tam principium quàm primitias, & præcipuam cuiuſque rei partem ſignificat. Primitias frugum offerre Deo, lex Moſaica paſsim iubet, ubiq; hac uoce Hebręa ראשית uſa. Iuxta quem ſenſum primitias dormientium uocat Chriſtum Paulus, hoc eſt non ſolum pri- *Cap. 1.* *Cor. 15.*
» mam, ſed præcipuam & electam partem. Et erit ſenſus uerſiculi, *Principium ſcientiæ*) hoc eſt præcipua inter ſcientias, eſt timor domini, cognoſcere deum eſſe timendum, tãquam omniũ dominũ. & hic ſenſus mihi maxime placet: Sapientiã & diſciplinã ſtulti deſpexe-
B runt. Iuxta ambiguitatẽ ſermonis Hebraici ſic uerti poteſt: *Timor domini eſt initiũ ſcięti æ,*
» *initiũ ſapientiæ, & initium diſciplinæ*) quẽ timorẽ ſtulti hactenus contempſerunt. Hebræorum cõmentarij tradunt דעת ſciẽtiam. In genere comprehendere ſapiẽtiam & eruditionem, ut ſit ſenſus: Timor domini eſt principium ſcientiæ, hoc eſt ſapientiæ, & eruditionis, & ſupplere oportebit, quam ſtulti deſpexerunt. Quòd ſi uulgarem uerſionem ſequamur, quam ſequuntur hoc in loco omnes interpretes, erit ſenſus: Stulti deſpiciunt ſapiẽtiam, & diſciplinam, quia non timẽt Deum: hoc eſt, cum principium & præcipuam partem ſapientiæ non amplectantur, neq; ſapientiam & diſciplinam, quas nos traditurî ſu-
C mus, magni faciunt: ſed illis omiſsis, qui ſapientiam Dei ſpreuerunt in ſemetipſis, filium ſuum erudire aggreditur ſapiens.

» AVDI fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.

Vt filij patres libenter auſcultent, & correptionem, ſiue admonitionem libenter admittant, æquum eſt. Primo quòd liberos ſuos monẽdo & inſtituendo ſuo fungãtur munere: deinde quòd nemo eos maiore proſequatur amore, quàm parentes. Porrò cum ſint maiores natu, nobis ſcire plura illos ueriſimile eſt: ideo dicit Salomon, Fili mi, quiſquis es, audi patris tui diſciplinam. Obſeruant Hebræi, non dixiſſe Salomonem ſequere ueſtigia
D patris, ſed audi diſciplinam: ſolent enim patres etiam mali, recte filios admonere, iuxta illud euãgelij: Vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis ueſtris, quanto magis pater *Luc. 11.*
ueſter cœleſtis? Iuxta ſimpliciſsimũ ſenſum de ſeipſo loquitur ſapiẽs, qui animo uerè pa-
» terno omnes, maxime iuuenes, inſtruere uolens inquit: *Audi fili mi diſciplinam patris tui.*) Per אם matrem, אום populum, & cœtum ſiue congregationem alicubi intelligunt Hebræi. Si Deum omnium patrem intelligamus, nunquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſe- *Deute. 32*
ditte, fecit & creauit te? Erit ſenſus, iuxta Paulum, Patres quidem carnis eruditores ha- *Hebr. 12.*
buimus, & uerebamur eos, num multo magis obtemperabimus patri ſpirituũ & uiue-
E mus? De matre non dixit, Audi diſciplinã matris, nam ex priori clauſula ſubauditur, uidelicet, audi diſciplinam matris. Et quod ſequitur ad utrunque poteſt etiam referri, *Ne*
» *proiicias legem.*) poteſt uerti, *ne euellas legem matris.*) Solent enim matres magna ſedulitate, ueluti plantare monitiones & legem præſcribere, quæ ſi creſcere permittantur, fructum aliquando ferent. Quòd ſi euellere iuxta Hebræum uertatur, erit metaphora ſumpta ab hortulanis, qui ſimul euellunt & proiiciunt malas herbas. Porro opportune poſt timorem domini, & cultum unius Dei obiter commendatum, in quo præcepta primæ tabulæ poſſumus intelligere, ad paternum deſcendit honorem, patri filium obtemperare iubens, etiam caſtigationem & diſciplinam imponenti: ſimul monens patrem ſui offi-
F cij, quaſi ad paternam ſpectaret authoritatem & prudentiam, filium corrigere. Matris eſt monere, & præcepta ſalubria potius inſtillare quàm corrigere, ut quæ nimium tenerè filium ferè diligit. Proiicere legem matris, eſt iuxta ſenſum ſublimiorem, eccleſiæ præcepta contemnere, maioribus nõ obtemperare, quorum authoritate mores ſubditorum moderatos eſſe oporteret.

» VT addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Heb.* Quia additio uel
» coniunctio gratiæ ſunt capiti tuo, & torques gutturi tuo.

Hoc eſt primum mandatum in promiſsione, inquit Paulus: Nimirũ, Honora patrem tuũ *Epheſ. 6.*
& matrem tuam, ut ſis longęuus ſuper terram. Cęterum Salomon pręmiũ quod debetur

iuuenibus,qui parentibus libẽter obtẽperant,his rebus cõfert,quibus illa ætas maxime G
ſolet oblectari,nempe ſplendido ornatui, coronis & diademate, auro & gemmis ſplendentibus, torquibus deniq; qui pendent ex humeris nobiliũ,quibus rebus oculis uulgi plurimum commendari putantur.Et ſenſus erit uerſiculi (ut in Hebræo habetur)erunt ſupple diſciplina patris, & lex matris, tanquam collectio uel cumulus gratiæ, & additio chariſmatum capiti tuo, & tanquam torques collo. quaſi dicat, Gratioſus omnibus uideberis,ſic ornatus fauore & gratia,ut omnes te libenter aſpiciant,omnes complectantur & exoſculentur, & maximi te faciant: ut qui patris diſciplina & lege matris iuuenis morigerus & ſtudioſus euaſeris. uerbum Hebræum לוה duo ſignificat, nempe addere H
ſiue copulare & fœnerari,ſiue dare ad fœnus. Priorem interpretationem ſequuntur interpretes, nẽpe ut addatur,ſiue copuletur.In Hebræo additio gratiæ, uel additio earum
» rerum,quæ gratiam & fauorem conciliant capiti. *Et quaſi torques collo.*) hoc eſt undique, ex omni parte,quocunque te uertas, ſi diſciplinam patris audiueris,& legem matris retinueris,omnibus uirtutum ornamentis decorus & conſpicuus eris. Denique iuxta ſenſum hiſtoricum,per gratiam uel fauorem & laudem,quam omnes tali tribuunt iuueni, poſſumus intelligere uel honores inſignes, quos facile in republica bene inſtituta aſſequentur iuuenes,qui à pueritia patris diſciplinam,& matris legem amplectuntur. Alio- I
qui capitis gratia ſiue diadema & torques colli, qui dependet in pectus, regum ſunt ornamenta,& uictoriam promittunt. Nam qui ſtatim à teneris annis huiuſmodi uirtutibus fuerint præditi,de mundo,de carne,& de diabolo uictoriam facile reportabũt. Iuxta Hebræos qui additionem gratiæ legunt, omnium uirtutum cumulus intelligitur,ut dictum eſt.

» FILI mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis, uel ſi te decipere ue-
» lint,ne conſentias.Si dixerint,ueni nobiſcum,inſidiemur ſanguini, abſcon-
» damus tendiculas contra inſontem fruſtra,deglutiamus eum ſicut infernus K
» uiuentem,& integrum quaſi deſcendentem in lacum. *Heb.* Fili mi ſi allici-
» ant te peccatores, noli.Si dixerint,ueni nobiſcum,inſidiabimur ſanguini in-
» nocentis gratis. Deglutiemus eos ſicut infernus uiuos & integros,ſicut de-
» ſcendentes in puteum.

Inter patris admonitiones primum eſt, ut filius à malorum declinet colloquiis, & ſo-
Gene.6. cietate. Nam ſenſus & cogitatio hominis prona eſt ad malum, à natiuitate ſua.præſertim ſi improbus perſuaſor ad naturæ fragilitatem accedat. Porro iuuenilis ætas, malis conſiliis admodum eſt obnoxia, à quibus ſuum filium deterrere ſtudens Sa- L
lomon, exemplum proponit de latronibus & ſicariis, qui publicas obſident uias, qui prædantur, & ſtrangulant homines innocẽtes. De huiuſmodi inquam potiſsimum proponit exemplum,quòd maxime ſoleant alios allicere ad ſimilia facinora,quo facilius efficiant,quod moliuntur. Solent præterea huius farinæ homines, certis quibuſdam uti perſuaſionibus,quibus imperiti iuuenes facilius pelliceantur ad malum.Primum pollicentur fore ſecretum quod agunt, nam pudore & uerecundia cohibentur iuuenes à fla-
» gitiis. *Inſidiabimur ſanguini,abſcondemus nos contra innocentem gratis.*)ſic Heb. nam tendiculas adiecit interpres,nihil enim huic uoci reſpondet in Hebræo.Sunt ex Hebræis qui M
» putant uoces illas. לנקי חנם *contra innocentem gratis ſiue fruſtra.*)non eſſe ex uerbis latronũ,ſed ſcripturã adiicere per parẽtheſim.quaſi dicat iſta abſcõſio quæ fit contra innocentẽ,fruſtra fiet: res ad lucem aliquando ueniet,& de uobis ob effuſum ſanguinem in-
» nocentis,ſupplicium ſumetur, uel ſunt uerba latronum *contra innocentem gratis*) contra eos qui nobis non nocuerunt. Deinde à facilitate perſuadẽt, nam difficultas multos deterret à uitiis. *Deglutiemus eos ſicut infernus*)uiuos & integros,ut qui deſcẽdunt in lacum, uox Hebræa שאול ambigua eſt,ſignificãs ſepulchrum & infernum.Similitudo quibuſdam melius quadrare uidetur,ſi legamus ſepulchrum. Nobis ſatis arridet uerſio uulgaris,eo quòd in contextu legamus, Et deuorabimus eos ſicut infernus uiuos,uidetur alludere ad

A ludere ad hiſtoriam, ubi legitur aliquos uiuos cum rebus omnibus fuiſſe receptos in abyſſum. Eritque unus ſenſus primæ clauſulæ,& ſecundæ huius uerſiculi: Nam per uiuos & integros,eoſdem intelligimus:Per infernum quoque ſiue ſepulchrum & lacum, idem. id eſt, non minore negotio deglutiemus eos, etiam ſi multi fuerint innocentes, quàm ſi in foſſam inopinantes aliquis detrudat.Nolunt mutilare quenquam, aut uulnerare,ne prodantur: ſed totum hominem è medio ſubito tollere, & ueluti ſubitaneo ſepulchro claudere,& in abyſſum ſubmergere, ut nullum huius facinoris ſuperſit ueſtigium:hoc eſt,magna facilitate & nullo noſtro periculo. Denique ex lucro ſolent peccatores lactare iuuenes,ut ſequitur. *Cap.1.*

B

» OMNEM precioſam ſubſtantiam reperiemus: implebimus domos no-
» ſtras ſpoliis.

Prędam capiemus opulentam, ædes implebimus & ornabimus ſpoliis. Te moueat ſaltē prędæ magnitudo, cùm iuuenis ſis, & multis indigeas rebus, inquiunt peccatores, qui imperitos iuuenes ad barathrum malorum ſecum trahere moliuntur: quanuis ipſi ſint ueluti duces,& in illis rebus iam aſſuefacti, ut ſuo iure poſsint uindicare ſibi primas par

C tes in præda: tamen omnem æqualitatē pollicētur, uſque adeo,ut in communem uelint conferre loculum,& ut ſorte ac æquiſsimo iure fiat partitio, iuxta ea quæ ſequuntur.

» SORTEM mitte nobiſcum, marſupium ſit unum omnium noſtrum.
» *Heb.*Sortem tuam proiicies inter nos,loculus unus erit omnibus nobis.

Quaſi dicerent,ſi uolueris ſtatim partem tuam capere ex prędą,ęqua ſorte tua portio tibi cedet,ut liber abeas cum ingente pecunia. Quòd ſi una nobiſcum manere uolueris, in commune conferemus omnia,ut ſumma ſit æqualitas,& marſupium commune omnium noſtrum.Sed iuuat hanc malorum hominum orationem,& perſuaſionem ad ma

D lum repetentes,perpendere propius,iuxta contextum Hebræum.Fili ſi perſuadeant tibi peccatores,ut ſocietatem ineas cum illis, ne conſentias, quanuis magna promittant,& dicant, ueni nobiſcum,inſidiabimur uel inſidiemur ſanguini,hoc eſt,per inſidias effundamus ſanguinem,uel inſidiemur ſanguini humano: abſcondemus ſup.noſmetipſos,
» hoc eſt ſecreto agemus.*Contra innocentem gratis.)* quaſi dicerēt,ponemus inſidias,non ſolum inimicis noſtris,ſed etiam innocentibus,qui nobis nulla re nocuerunt.Aliter,abſcō demus noſmetipſos ad innocentiam, gratis, uel ſine cauſa: utrunque enim uox hebræa ſignificat:hoc eſt,ea ratione faciemus omnia, ut innocentes habeamur, ut nemo poſsit
» nos accuſare. Quod ad facilitatem negotij ſpectat: *Abſorbebimus eos uiuos)* ſicut ſepul-

E chrum, abſorbet cadauera integra: quæ à feris deuorantur, paulatim conſumuntur: Sed ſepulchrum uel foſſa unico morſu corpus totum deuorat. Facilitatem operis ne-
» farij, hac ſimilitudine expreſsit,*Abſorbebimus eos integros ſicut qui deſcendunt in foueam)* hoc eſt, abſque negotio erimus uiribus ſuperiores, & primo ſtatim impetu ſuperabimus.Omnem ſubſtantiam precioſam, omnimodas opes, non ſolum ad neceſsitatem uictus noſtri,ſed etiam ædes implebimus ſpoliis.Hebræorum commentarij referunt, hoc quod dicit uiuos & integros deglutiemus eos,ad opes & uires:quaſi dicat,Quanuis uallidi & potētes fuerint,ſuperabimus eos,& integras opes accipiemus.Locus hic ad Chri-

F ſti tempora refertur, cuius ſanguini innocentiſsimo inſidias poſuerunt peccatores,uiuū & integrum cum doctrina & nominis fama,deglutire feſtinauerunt:ſed de ſenſu myſtico,quem & nos obiter attingemus, Bedæ doctiſsimos habemus cōmentarios:nos hiſtoricum potiſsimum proſequimur:ídque iuxta ueritatem Hebræam.

» FILI mi,ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pe-
» des enim eorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem.
» *Heb.* Fili mi,non ambulabis in uia cum illis. Prohibe pedem tuum à ſemitis
» eorum. Nam pedes eorum ad malum current, & feſtinabunt ad effunden-
» dum ſanguinem.

Noli ambulare in uia cum illis, hoc eſt, noli habere commercium cum illis: & quanuis G
ſocietatẽ frequenter iungamus cum ignotis hominibus in itinere, tamen cũ huiuſmodi
tantum abſit ut iungas amicitiam, ut ne per uiam quidem publicam uelis cum illis in-
» cedere: uel potius metaphorice dixit, *ne ambules in uia*) pro ne ſequaris eorum uiuendi
rationem, iuxta id quod ſequitur: *Sed prohibe pedem tuum à ſemita eorum.*) ne diſcas opera
& ſtudia eorum. Nam uia in ſcripturis mores & cõſuetudines ſignificat. Geminat uiam
& ſemitam, ad maiorem energiam: uel iuxta Hebræos, neque publice, neque ſecreto,
» cum illis quidquam negotij tractes. *Nam pedes eorum ad malum currunt.*) Longe alius erit
exitus rei, quàm prima fronte præ ſe ferunt hi, qui te lactare uolunt: ingentem pollicẽtur H
prædam, ſed in omne nephas ruunt & feſtinant, hoc eſt celerrime currunt, & incidunt
in homicidium: quod ex latrociniis ſolet ſequi. Ad malũ current, & damnum inferẽdum
innocentibus, uel ad malum quod ſibi inferunt ipſis, iuxta Hebręos: quaſi dicat, Feſtinãt
dare occaſionem, ut ſanguis ipſorum proprius effundatur: & iuxta hunc ſenſum bene
quadrabit ſimilitudo ſequens, de rete quod ſuſpenditur ad capiendas aues.

» FRVSTRA autem iacitur rete ante oculos pennatorum. *Heb.* Fruſtra uel
» gratis ſpargitur rete in oculis omnis pennati. Ipſi quoque contra ſanguinem I
» ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas. *Heb.* Et ipſi
» ſanguini eorum inſidiabuntur, abſcondentur contra animas eorum. Sic ſe-
» mitæ omnis auari, animas poſsidentium capiunt. *Heb.* Sic ſemitæ omnis aua
» re cupientis lucrũ, uel laborantis auaritia, animam dominorũ illius capient.

Iuxta ſententiam Hebræorum, duobus prioribus uerſiculis ſimilitudo proponitur: & in
tertio ſimilitudinem ad ſuum accommodat inſtitutum. Hebræi ſimilitudinem diuerſis
explicant modis: primo, ut uox hebræa חנם uertatur non fruſtra, ut interpr. uertit, ſed ul K
tro & gratuito, & referatur חנם gratis, ad eos qui aucupantur, nõ ad aues, & ut ſupplean
tur aliquot uerba, ad hunc modũ: Vltro ſpargitur, granum ſupple, aut eſca, circa rete, uel
prope rete, in oculis pennatorum, quod faciunt aucupes ut aues capiant, & nihilominus
inſidiantur ſanguini earum, & abſcondunt ſeſe contra animas auium, quibus granum
gratis ſparſerunt. Sic, ſubaudi iſti latrones, & ſicarij, qui erga te tantam præ ſe ferunt be
neuolentiã, quaſi uelint ſine negotio & ſine periculo te locupletẽ facere, cogita non mi-
nus illos inſidias ponere animæ tuæ, quàm aucupes auibus quibus eſca diſperſa blandi-
ri uidentur. Imo cuiuſcunque auari, ſiue prædonis animæ, ipſa auaritia & deſiderium
inexplebile ponit inſidias, & capit animam illius, qui deditus eſt lucro, cum rapina & L
homicidio. Aben Hezra uertens locum, ut D. Hiero. nempe, fruſtra iacitur, uel extendi-
tur rete, ad ſtoliditatẽ & auiditatem auium refert, non ad eos qui extendũt, ut ſit ſenſus:
Ante oculos pennatorum fruſtra extenditur rete, quod ad aues ſpectat, cum illæ non ani
maduertant rete extenſum, ſed præda illectæ capiuntur: & non uident, quod illi. ſ. aucu-
pes inſidiantur animabus illarum. q. d. eſcam uident, & rete non uident. Sic multi flagi-
tioſi prædam reſpiciunt: Omnem ſubſtantiam precioſam capiemus inquiũt, ſed non ui
dent pericula, non uident rem eſſe capitalem, & morte plectendam, & dum alieno inſi-
diantur ſanguini, ipſi pœnas morte luunt. Iuxta ſenſum tertij uerſiculi, Sic eſt uia omnis M
auari, ſiue raptoris, ipſa auaritia tandem ad necem ducit animam rapientis. Tertiam ex-
plicationem habemus à Leui Bengerſoni, qui uertit aduerbium חנם fruſtra & ſine cau-
ſa, & refert ad innocentiam auium. quaſi dicat, Auiculæ nihil tale meruerũt, neminem
læſerunt, & proinde, ut ſine cauſa extendere ſolent aucupes rete ad capiendas aues: ſic
iſti peccatores inſidiãtur ſanguini alieno, & occultè agunt ut interficiant innocẽtes qui
nihil tale meruerũt. ut ad exaggerationem & amplificationẽ referatur, & ut magis de-
terreat ſuum filium à conſortio eorum: quaſi diceret, Sanguinem humanum effundere
grauiſsimum crimen eſt, uerum innocentium ſanguinem ſine cauſa effundere, eſt im-
mane flagitiũ. Et iuxta hanc intelligentiã ſimilitudinis, ſequetur ſenſus tertij uerſiculi,
Sic eſt uia prædatoris, ut non ſit contentus lucro, niſi animã accipiat poſſeſſoris. Ad hunc
modum

A modum fere Hebræi hos tres uerſiculos explicant, ut in duobus primis proponatur ſimile,& in tertio intelligamus per aucupes, qui extendunt rete latronum inſidias contra innocentes, quorum præda non ſunt contenti, niſi ſanguinem quoque & uitam capiant: uel ut ſanguinem proprium effundant, & animam perdant. Noſtri interpretes longe aliter hunc locum explicant, nempe ut metaphorice intelligatur Salomon loqui, potius quàm ſimilitudinem proponere, quaſi his uerbis fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum, reuocaret ſuum filium ab amore rerum terrenarum, & à rapina. *Fruſtra iacitur rete.*) quaſi diceret: Aues quæ uident rete ſuſpenſum non capiũtur:ſed ui-
B dentes periculum cauent, ſic iuuenes qui rebus cæleſtibus ſeſe oblectant, qui mente & cogitatione ſurſum uolant,ab iſtis malis hominibus decipi non poſſunt:ſed ſtatim intelligunt pericula, & quàm horrendum ſit ſanguini innocentium inſidiari. Id quod nemo poteſt facere,niſi periculo uitæ ſuæ & ſalutis.Mihi optime placet expoſitio Hebræorum. Secũda quæ eſt,Aben Hezra, cui ſubſcribit author commentariorum Hebræorum,inquiens affert ſimilitudinem, quæ docet, qua ratione iſti peccatores ſunt ſibiipſis cauſa malorum: & tertius uerſiculus claudens ſimilitudinem, reciprocum habet ſenſum. Omnis auarus,qui alienas rapit opes,animam propriam capit,hoc eſt,ad mortem dedu-
C cit ſeipſum,ut נקה ſenſum habeat,iuxta illum locũ, Cape animam meam,tertio Regũ: nos tertium denique uerſiculum,quo totum hunc locum claudit, in genere dictum intelligimus,contra auaritiam:quæ ut inquit Paulus,mergit homines in interitum & perditionem. 1. Timo. 6. Eſt enim radix omnium malorum,& aufert animas eorum, qui eam poſsident,aut potius ab auaritia poſsidentur.

"SAPIENTIA foris prædicat, in plateis dat uocem ſuam. *Hebr.* Sa-
" pientiæ foris clamabunt,in plateis dabit uocem ſuam.

Peſsimorum hominum audiuimus conſilia, quæ quãtumuis pulchra & blanda uidean-
D tur in principio,tamen imperitos ad extremam pertrahunt miſeriam: quos ad longe diuerſa conſilia flectere conatur Salomon. Cæterùm, quo plus ponderis habeat illius monitio,ſapientiam ipſam loquentẽ introducit,& in confuſionẽ humanæ ſtultitiæ, & ignorantiæ,quæ tot erroribus ſeſe implicat, oſtendit ſapientiam omnibus eſſe obuiam: non latere in tenebris,neque in deſertis aut lõginquis locis,quaſi ad eam non pateret aditus. Imo palam prædicare cum magna uoce, omnibus locis præſertim publicis,in plateis, in uicis, in ipſis foribus & portis ciuitatis, in foro ubi concurſus fit hominum, ne quis ſuæ ſtultitiæ prætexat difficultatem aſſequendi ſapientiam. Poſſumus intelligere per uicos & plateas,ignobile uulgus hominũ, per portas ciuitatis,iudices & magiſtratus, per me-
E dium urbis,diuites & potentes,qui ciuitatis optima quæque loca incolunt:quaſi diceret, ſapientiam eſſe communem omnibus ordinibus hominum, qui clamantem & concionabundam uolunt audire ſapientiã. Omnibus debitor ſum (inquit Paulus) ſapientibus & inſipientibus.Sed quid tandem intelligimus per iſtam ſapientiam,tam obuiam & familiarem?Hebræi libenter intelligunt legem Moyſi,cuius intelligentiam & memoriam uoluit eſſe uulgarem & publicam, ſcribi in foribus ædium, in fimbriis ueſtimentorum. Meditaberis,inquit,ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque cõſurgens,& ligabis ea quaſi ſignum in manu tua:erúntque & morabuntur ante oculos tuos, ſcribéſque ea in lumine domus tuæ. Deut. 6. Nos potius Chriſtũ Dei ſapientiam intelli-
F gimus,qui factus eſt nobis ſapientia & iuſtificatio. Iuxta Paulum:Qui palam locutus eſt mundo,& in occulto locutus eſt nihil,ſed ſuis iuſsit, quæ audiuiſſent in aure, prædicare ſuper tecta:quorum ſonus in omnem terram exiuit: hæc eſt igitur ſapientia euangelica, quæ in apoſtolicis uiris multiplicata,& in diuerſis eccleſiis enuntiata. Iuxta Hebræum, in plurali ſapientiæ uocantur. Sic enim hunc legunt uerſiculum Hebræi. *Sapientiæ foris uociferabitur,in plateis dabit uocem ſuam.*) In futuro, ut per formam ipſam loquendi, magis ad Chriſtum referatur locus: quemadmodum & præcedentia, Chriſto Dei ſapientiæ inſidiati ſunt, & necem eius machinati ſunt Scribæ & Phariſæi: & innocentiſſ. fude-

runt ſanguinem. Quanuis hæc tam concinnè Chriſto coaptentur, ut uel hiſtoricus ſenſus uideri poſsit, quem nos in primis aſſequi conamur, tamen poteſt locus aliter, iuxta ſenſum hiſtoricum exponi: nempe multiplicem ſapientiam, quæ foris uociferatur, aut hanc, quam in hoc opere complexus eſt Sapiens, & diuulgandam curauit: aut ſapientias intelligimus, quibus ſeniores & prudentiores uiri paſsim pollent, & qui non deſinunt monere imperitos, & caſtigare imprudentes: aliqui exemplo uitæ, aliqui ſana doctrina, alij denique authoritate legum, & caſtigatione: qui etiam antiquitus, in portis ciuitatum, & locis publicis, ad corripiendos malorum mores, omnibus ſeſe offerre ſolent. Denique ſi uideatur, per ſapientiam, quæ tanta cura clamitat, & dat uocem ſuam, naturalem cognitionem, & legem ſcriptam în cordibus hominum intelligemus: quam ex creatura mundi, & orbis fabrica haurire licet: dicente Paulo, Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius uirtus & diuinitas. Aben Hezra uult eſſe parabolam, neque neceſſum eſſe, ut intelligamus clamantes ſapientias, ſed non minus obtemperandum ſuis uerbis docet Salomon, quàm ſi ſapientiam clamantem audiret filius. Mihi placet, ut ſapientias uarias intelligamus hoc in loco, iuxta interpretationem Sapientiæ, quam ſecundo uerſiculo huius capitis poſuimus: nempe ut per ſapientiam, fidem & cognitionem unius Dei intelligamus, quæ cognitio ubique clamat, in uicis & plateis, hoc eſt inter ignobiles, in portis, hoc eſt, inter magiſtratus. In medio ciuitatum, inter nobiles, clamat (inquam) cum Salomone, Prohibe pedem tuum à conſortio & commercio peſsimorum hominum, quorum pedes feſtinant ad effundendũ ſanguinem. Sapientiæ igitur uariæ, & unaquæque ex prædictis ſapientiis, foris in uico clamitat, ut iam nemo ignorantiam prætexere poſsit.

» IN CAPITE turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert uer-
» ba ſua, dicens. *Hebr.* In capite tumultuantum clamabit, in oſtiis portarum
» in urbe uerba ſua loquetur.

Ex hoc uerſiculo & prȩcedente intelligimus, quàm ſit ſolicita æterna illa ſapientia de ſalute noſtra, quæ modis omnibus conatur reuocare nos à uanitatibus huius mundi, à caducis rebus ad permãſuras. Omnibus in locis clamat ſapientia, ſiue illa quæ ſacris codicibus auditur, ſiue illa quæ cordibus noſtris loquitur: quæ non ceſſat pulſare conſcientias eorum, qui ſpreta uera & ſolida fœlicitate, ſectantur uana huius uitæ gaudia. *In capite turbarum:*) uel in loco præcipuo & eminentiore, ut eſt in Hebræo, ubi ſtrepitus, ſiue tumultus, hoc eſt, ubi turba populi, ut rectè uertit interpres, in portis ſolet eſſe concurſus populi, intrantium & exeuntium. Chriſtus cum publicanis & peccatoribus uerſatus in urbe, uerba ſua prædicauit, non ut Ioannes in deſerto ſolum. Quanuis iuxta allegoriam, de prædicatione ſiue prophetarum, ſiue apoſtolorum & epiſcoporum, recte intelligatur locus, indicans excuſatione carere eos, qui ſapientiæ non conſultant.

» VSQVEQVO paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſunt no-
» xia cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? *Hebr.* Quouſque impe-
» riti imperitiam diligetis, & deriſores deriſionem deſiderabunt ſibi, & ſtulti
» odio habebunt ſcientiam?

Non ſine cauſa ſtultitiam hominum miratur ſapientia, ſecundum illud Pſalm. Filij hominum, ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium, mirabitur quoque quiſquis ſecum perpendit, hominum ſtudia, quiſquis ob oculos ponit occupationes illas, quibus maiorem partem, ne dicam uniuerſam ætatem, conſumunt plurimi qui rebus caducis, & huius temporis commodis, aut incommodis, metiuntur ſingula.

Pſalm. 4.

A ſingula. Qui hæc inquam, ſecum diligenter perpendit, libentius ſapientiæ monitio- Cap. 1.
nibus, aurem accommodabit, quæ aliquot uerſiculis ſequentibus continentur: in quibus eſt obſeruandus ordo, quem mox aperiemus. *Vſquequo paruuli diligetis infantiam?*) uel ſimplices ſimplicitatem, ut alij uertunt, ſed melius ignari ignorantiam. quaſi dicat: Iam deceptione & errore in quo hactenus uerſati eſtis, depoſito, amplectamini aſtutiam, de qua ſuperius dictum eſt: ſup. Vſquequóque ſtulti ea quæ ſunt noxia cupient? Hebræum, Et deriſores deridere concupiſcent ſibi, uel inter ſe deridere, & ſanam doctrinam contemnere: peſsimi uero omnium ſunt, qui tanta ſtultitia laborant,
B tam procul abſunt à ſapientia, ut ſcientiam odio proſequantur. Triplex eſt ordo eorum qui ſapientia carent, quorum Primi mundũ, & ea quæ in mundo ſunt, diligunt. Secundi, euangelicam doctrinam & eccleſiaſticam derident, quod hæretici ſolent. Tertij, etiam odio habent & proſequuntur, quod infidelium eſt & Iudæorum: quorum partim ignorantiam & ſtoliditatem, partim leuitatem & inſaniam, aliorum denique maliciam & odium, admirans ſapientia, ad reſipiſcentiam & ſanam mentem reuocare, omni benignitate laborat. Deinde ſegniciem & tarditatem miratur humanam, quæ cunctatur tam pio præceptori obtemperare, acriter demum obiurgat, perniciem minaC tur & interitum. In quo tantum aberit ut conſolationẽ inueniant, aut ad miſericordiam flectant ſapientiam, ut etiam ipſa irrideat, & ſubſannet ſubſannatores, ſi quando ſera ducantur pœnitentia, ut ſequitur.

» CONVERTIMINI ad correptionem meam: en proferam uobis ſpiri-
» tum meum, & oſtendam uobis uerba mea: quia uocaui & renuiſtis, exten-
» di manum meam, & non fuit qui aſpiceret.

En proferam uobis ſpiritum meum.) In Hebræo metaphora tracta eſt à fontibus uiuis qui
D perpetuo fluunt, & uerti poteſt fluere, uel ſcaturire faciam uobis ſpiritum meum. quaſi dicat, Non impertiar uobis paruam partem ſapientiæ meæ, nolite contemnere doctrinã meam, quam copioſiſsime uobis effundam. Iuxta illud Moyſi, Fluet ut ros eloquiũ meum. Et in Euangelio, Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ: ut totus locus, non ſolũ ad ſapientiam Salomonis, & huius libri menſuram referatur, ſed potiſsimũ ad doctrinã euãgelicam, in qua diuina ſa pientia non ceſſat clamare, addẽs minas & increpationem, Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Increpationis principium eſt, *Clamaui & renuiſtis, extendi manum meam*) hoc eſt adiuui ad conuerſionem. Extenſio manus, *Deut.32. Ioan.7. Luc.13.*
» promiſsio & collatio gratiarum intelligitur: uel extenſio manus, paternam correctio-
E nem & emendationem ſignificat. denique porrectio manus, indicat ſtudium docendi, & tamen nemo attendit, neque curat. Proferre ſpiritum uel effundere, eſt mentem depromere: & oſtendere uerba, eſt doctrinam exponere ut locum habeat, Si non ue- *Ioan.15.*
niſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationẽ non habent, non adhibentes fidem, ſed quod in illis fuit, irritam fecerunt illius doctrinam, & ſapientiam ſpreuerunt, iuxta id quod ſequitur.

» DESPEXISTIS omne conſilium meum, & increpationes meas
F » neglexiſtis.

Deſpexiſtis Hebraice תפרעו, quod uerbum Exodi quinto capite, reddidit interpres noſter, ſolicitare ab operibus, ocioſum reddere & inutilem. quaſi dicat, Per uos effectum eſt, ut conſilium meum ſit irritum, neque ad effectum perueniat. Hanc iuſtam ſapientiæ querelam, utinam in ſolos Iudæos reiicere liceret: qui, quod euangelica teſtatur hiſtoria, & Paulus Actorum ultimo, ſemper ſpiritui ſancto reſtiterunt. Et non etiam in Chriſtianos aliquot, qui poſt tot miracula, tot iuſtorum & martyrum exempla, tot correptiones & caſtigationes, nolunt ſapientiam audire euangelicam. Aliquos omnino incorrigibiles eſſe ſignificat, & nec promiſsionibus, nec minis poſſe ad ſapientiam pertrahi.

» EGO quoque in interitu ueſtro ridebo, & ſubſannabo cùm uobis, id quod G
» timebatis aduenerit. *Heb.* Etiam ego in calamitate, ſiue fractura ueſtra ri-
» debo, ſubſannabo cùm uenerit terror ueſter.

Non quòd ſapientia diuina ſubſannet uel rideat aliquem, ſed talis eſt finis malorum, ut iudicio ęquiſsimo uideantur irridendi & ſubſannandi, qui ſalutem propriam contempſerunt. Vel deridere & ſubſannare ſapientię, eſt ſubſannandos aliis tradere. Et ea tandē extrema eſt miſeria, cum nō ſit neque qui doleat uices miſerorum, neque qui ſuccurrat infœlicibus. Quòd ſi fuerint qui gaudeant de calamitate noſtra & ſubſannent, malum H
erit omnino intolerabile. Subſannare Dei, eſt ſtultitiam malorum palam oſtendere omnibus, conatúsque eorum irritos reddere, comprehendere aſtutos in aſtutia ſua, cuiuſmodi uidemus hodie Iudęos, quanuis ipſi non uideant. Senſus prouerbij eſt, fletum & ſtridorem dentium manere eos, qui in tempore pœnitentię, pœnitentiam noluerunt agere. Porro quantus futurus ſit timor eorum qui ſapientiæ non obtemperant, ſimilibus quibuſdam exprimit & metaphoris, comparans pœnas & ſupplicia malorum uaſtitati hoſtili, & deſolationi ciuitatis, ubi omnia incendio & rapinis traduntur, ubi crudelitatem hoſtium nemo effugit. I

» CVM irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit,
» quando uenerit ſuper uos tribulatio & anguſtia. *Heb.* Cum uenerit quaſi
» deſolatio metus ueſter, & calamitas ueſtra uelut turbo uenerit, cum uenerit
» ſuper uos afflictio & anguſtia.

Explicat in hoc uerſiculo, quantus ſit futurus ille timor, de quo ſuperius locutus eſt. Erit ueluti deſolatio, quæ repente & præter expectationem ſolet irruere: ut inquit Paulus,
2. *Theſ.* 5. Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repētinus eis ſuperueniet interitus. Si ſimplicē ſequa- K
mur ſenſum, prouerbium indicat ad ſummas miſerias redigi, ſi non rerum externarum, at certe ad anguſtias animi, quotquot ſapientiam ſpernunt: horrenda & inexpectata ſupplicia manere eos, qui ſapientiam non complectuntur euangelicam. Alioqui hæc aptiſſime quadrant in Iudaicæ gentis ruinam, exilij & ſeruitutis anguſtias, quæ teſte, non ſolum eorum conſcientia, ſed uniuerſo orbe, ſuper eos uenerunt, quòd Chriſtum Dei ſapientiam noluerint audire. A quibus liberari & eripi, quotidie clamant, ſed fruſtra, imò ſunt iuxta præſentem locum ludibrio, ſúntque riſui omnibus, in quibus uera ſapientia uiget: tantum abeſt ut quiſquam eorum doleat uices, aut miſeriis ſuccurrere
laboret. L

» TVNC inuocabunt me & non exaudiam, mane conſurgent & non inue
» nient me, eò quòd exoſam habuerunt diſciplinam, & timorem domini non
» ſuſceperunt: nec acquieuerunt conſilio meo, & detraxerunt uniuerſæ corre-
» ptioni meæ. *Heb.* Tunc uocabunt me, & non reſpondebo, mane quærent
» me, & non inuenient me, eò quòd oderunt ſcientiam, & timorem domini M
» non elegerunt: noluerunt conſilium meum, ſpreuerunt omnem increpa-
» tionem meam.

Tunc inuocabunt, uel uocabunt me) ſunt uerba ſapientiæ, quæ uocat ad pœnitentiam: obiurgando, minando inuitat ad ſanam mentem. Porro tranſacto pœnitendi tempore, non amplius dignatur eos alloqui: ſed mutata perſona, quid futurum ſit prædicit: Futurum inquam, ut illi clament. Nam hactenus ego clamaui, inquit ſapientia, & noluiſtis audire. Poſthac illi clamabunt, & ego non exaudiam, uel non reſpondebo. In Hebræo quęrent aut inueſtigabunt potius, quàm mane ſurgent: ſed in defenſionē interpretis noſtri, aſſerunt Hebræi hoc uerbum שחר mane quærere, ſignificare: hoc eſt, cum ſtudio & ſolicitudine

A ſolicitudine.q.d. Ante omnia tunc quærent me, qui nunc conſilium meum contẽnunt. Cap. 1.
Iſta non ſolum damnatis animabus poſt mortem quadrant,quæ aliquando ſera ducẽtur pœnitentia, ut ſcribitur Sapientiæ 5. Intra ſe pœnitẽtiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, neque ſolum traditis in ſenſum reprobum in hac uita,qui locum pœnitentię non inuenient,etiam ſi cum lachrymis quęrant,ut Eſau ad Hebræos duodecimo: ſed omnibus quotquot iuuenili ætate bonas & honeſtas artes ſpernunt, maiores natu & grauati ſenio,ſeipſos accuſabunt, & ſera pœnitentia doctrinam quęrent, *eo quod exoſam habuerunt ſcientiam*)huiuſmodi eſt ſermonis contextus: In anguſtiis conſtituti uocabunt me,ut opem illis feram,& ego non reſpondebo, non iuuabo, ut pœna reſpondeat
B culpæ:nam odio habuerunt ſcientiam, qua Deus cognoſcitur,ſciẽtiam prophetarum & legis,quę eſt ut cognoſcant te ſolũ uerũ Deũ,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum.Ioan. 17. Hæc notitia potiſsimũ naſcitur ex timore Dei. hinc addit,*& timorem domini non ſuſcepe runt,non elegerunt timorem domini,quod eſt principium ſapientiæ*:)ut ſuperius dictum eſt. *Non acquieuerunt conſilio meo.*) In Hebręo *noluerunt conſilium meum*,)uel potius noluerũt audire conſilium meum, quod fuit huiuſmodi, conuertimini ad correptionem meam. Sequitur, *Detraxerunt uniuerſæ correptioni meæ*) uel ſpreuerũt omnẽ correptionẽ meã, quod
C fere ſolent imperiti & ignari, qui ſapientiæ ſunt expertes: qui huius uitæ commodis & amœnitate ſeſe oblectant.hi inquam ſolent floccifacere diuini ſermonis & cœleſtis philoſophię correptionem,& ſubinde meritas pœnas luunt,iuxta id quod ſequitur.

» COMEDENT igitur fructus uiæ ſuæ,ſuísque conſiliis ſaturabuntur.

Metaphorica locutio accepta ab agricolis,& quadrat in eos,qui ſibi ſunt ipſis cauſa malorum,& authores. Neque eſt ſenſus alienus ab illo Pauli ad Corinth. elogio: Quæ ſeminat homo,hęc & metet. 2.Cor.9.Adiectis duabus uocibus,nempe uia & cõſiliis, apparuit ſenſum eſſe de moribus,& cibo animæ: hoc eſt de his rebus, quibus ſuum appe-
D titum paſcunt homines,dum ſua ſtudia & conſilia ſequuntur:quibus aliquando ſaturabuntur,& ad faſtidium & nauſeam uſque perueniẽt. Eſt enim omnium rerum mundanarum ſaturitas, quantumuis amœnæ uideãtur in principio:quemadmodum ſcribitur, Extrema gaudij occupat luctus. Comedere denique de fructu uiæ ſuæ eſt, dignam factis mercedem recipere, conſiliis ſuis ſaturari,pœnas dare pro peccatis,quæ eum conſilio & animo deſtinato perpetrauerunt, uel pernicioſis conſiliis quibus aliis machinabantur malum,ſibi ipſis conciliant interitum.

» AVERSIO paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet
E eos.

Auerſio uox Hebræa משובת ,pro quiete capi poteſt,& erit idẽ ſenſus primæ & ſecundæ clauſulæ huius uerſiculi,ad hunc modũ: *pax & requies paruulorum perdet eos*) dũ abuntur proſperitate, mala committunt plurima, quibus interficientur:aduerſa fortuna,& huius uitæ moleſtiis ſapere coguntur plurimi: nã uexatio dat intellectũ. Eſa.28.& huic ſenſui reſpondet ſecunda clauſula,*& proſperitas ſtultorum perdet eos.*) Quod ſi iuxta Abẽ Hezra,pronomen eos non referatur ad paruulos,& ſtultos reciproce, ſed ad peccatores, de quibus ſuperius loquuti ſumus,erit ſenſus,quies paruulorum & proſperitas ſtultorũ,
F hoc eſt malorum hominum,& peſsimorum fœlix ſucceſſus in hac uita,plurimos ad perniciem,& interitũ perducit: quaſi dicat, eò quod non ſtatim puniũtur,qui ſtulte agunt, multi pereunt,& hoc eſt quod conqueritur Sapiens,Eccleſiaſt.9. hoc eſt peſsimum inter omnia quæ ſub ſole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt, unde & corda filiorum hominum implentur malitia. Prior expoſitio eſt melior: hanc poſteriorem tamen ſequitur Nico.de Lyra. Manifeſta ſatis eſt intelligentia quam noſter reddit interpres, nẽpe auerſio paruulorum,ſupple à ſapientia interficiet eos, cauſa erit interitus & perditionis illorum.Sed ſtulti non præuident mala futura, præſentibus bonis libenter fruuntur: nempe ſanitate,diuitiis,honoribus,ex quibus damna capiunt ſtulti,hoc eſt,diuinæ ſapientiæ expertes.

» QVI autem me audierit abſque terrore requieſcet, & abundantia perfrue- G
» tur, timore malorum ſublato. *Heb.* Qui obtemperat mihi, habitabit cum
» fiducia, uel confidenter, & proſpere aget, procul à timore mali.

Id quod ſola ſapientia diuina præſtare poteſt. Alioqui qui maxima huius mundi felicitate fruuntur, maximis fere terroribus concutiuntur, timentes uidelicet ne amittant ea, quæ malis artibus ſunt aſſequuti. Sunt ex Hebræis qui exponunt, proſpere aget à timore mali, quod ueniet ſuper eum, hoc eſt, non minorem ſecuritatem ſentiet, aut etiam fœlicitatem rebus aduerſis quàm proſperis, ſemper ſui ſimilis. Aduerſa ſiue mala huius H
mundi, quæ alios reddunt infœlices, non minuent proſperitatem, aut quietem illorum, qui ſapientię auſcultant, uel requieſcẽt abſque timore, pacato animo, à ſuperuacaneis curis, & tentationum tumultibus: quaſi perpetuum agentes ſabbatum in timore domini. Senſus denique eſt, ſolam ſapientiam præſtare tranquillitatem animæ, & metum mali expellere.

CAPVT II.

I

FIli mi, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te.

HActenus auaritiam cauere docuit, & rapinas, & alia horrẽda peccata, ad quæ iuuenes, peccatorum conſuetudine & conſilio, nonnunquam pertrahuntur: quibus manet exitus peſsimæ uitæ dignus. Sed his relictis conuertit ſermonem ad filium. In hoc capite ſapientiæ inculcat laudem, ſtudium, & amorem, qui nos ad res cœleſtes perducit, mundum conculcare docet. *Fili mi*) ſunt uerba ſapiẽtię. Nemo melius ad ſapientiam pertrahit homines, nemo melius ſapientiæ laudes celebrare poterit, quàm ipſa ſapientia. Quibus ergo ueſtigiis, & K
quo ſtudio ad ſcientiam perueniatur, porro quæ uitia iuuenibus potiſsimum obſtant, quo minus ſapientes euadant, principio huius libelli, ueluti præfatione quadam enumerat Salomon. Et primo, *Fili mi, ſi acceperis uerba mea.*) Accipienda ſunt uerba ſapientię, quod ad uoluntatem audiendi, ad obedientiam, & intelligentiam uerbi diuini, referri poteſt. *Si ſuſceperis ſermones meos.*) quaſi dicat, ſapiẽtia quod ad eam ſpectat, facit, clamat, dat uocem ſuam in loco eminentiore, omnes inuitat, à ſua doctrina neminem excludit: imo ueluti unicum filium, unumquẽque uocans, Fili mi (inquit) ſi ſuſceperis, quod meũ eſt feci, uocaui, porrigendo manum opem tuli, & gratia præueni: nunc tuum eſt obedi- L
endo ſuſcipere ſermones meos, & abſcondere penes te, tanquam ingentem theſaurum, & res quaſque chariſsimas. In capiendo & recondendo oſtende quàm chara ſint tibi ſapientiæ præcepta. Hebræi referunt ad iugem præceptorum memoriam, hoc quod dicit abſcondes tecum, uel apud te. Quibus modis ſint arripienda uerba, & quo loco occultanda præcepta, in ſequenti uerſiculo oſtendit.

» VT AVDIAT ſapientiã auris tua, inclinabis cor tuum ad cognoſcen-
» dam prudentiam. *Heb.* Vt attentam præbeas ſapientiæ aurem tuam, inclina- M
» bis cor tuum ad intelligentiam.

Ex proprietate linguæ in uerbis, ut audias & inclinabis, eſt aliquid energiæ, quam Latinus ſermo non aſſequitur, qua magnum ſtudium & ſedulitas in audiendo commendatur, & humilitas cordis, dum aurem inclinat. Si audieris, inquit, ſic ut attendere facias aurem tuam ſapientiæ: hoc eſt quod Chriſtus toties repetit, Qui habet aures audiendi audiat. Valde difficile eſt iuuenibus oblectari ſeſe rebus ſeriis, habere aurem attentam ſapientiæ præceptis, habere cor inclinatum ad intelligentiam, ſup. eorum quæ ſapientia docet: uel potius inclinare cor ad intelligẽtiam, eſt applicare animum ad res quæ mente & intelligentia percipiuntur: quaſi dicat, remoue cor, & deſiderium tuum à rebus: quæ

uides

A uides,quæ audis, & quæ reliquis ſenſibus hauriuntur:& attentum habe ad res cæleſtes, Cap. 2.
quæ cogitatione comprehenduntur, & intelligentia : uſque adeò difficile eſt, ut humanas quodammodo ſuperet uires, & proinde ad preces confugiendum eſt, iuxta id quòd ſequitur.

» SI enim ſapientiam inuocaueris,& inclinaueris cor tuum prudentiæ. *Hebr.*
» Sed ſi ad intelligentiam clamaueris,ad prudentiam dederis uocem tuam.

Septuaginta ſic, ἐὰν γὰρ τῷ σοφίαν ἐπικαλέσῃ, καὶ τῇ συνέσει δῷς φωνήν σου: Si enim ſapien-
B tiam inuocaueris, & intellectui dederis uocem tuam.ut ſit ſenſus,Si clamaueris ad intelligentiam, ſi clamaueris ad Deum pro intelligentia.uel intelligentiam Dei, qui ſpiritus Dei eſt,inuocandam docet,quò intelligentiam nobis neceſſariam aſſequamur.prior expoſitio eſt melior,ut cui ſecunda clauſula reſpondet,ſecundum Hebr.& Septuag. Sunt ex Hebræis,qui duas uoculas כי אם nam ſi,exponant per כאשר quando uel cũ, & erit ſenſus, cum inuocaueris, uel oraueris Deum, æquum eſt, ut ores eum, quò te iuuet, in acquiſitione intelligentiæ.poteſt uerbum קרא uocauit, inuocauit, orauit, in alio ſenſu intelligi:nempe ſenſu eligendi,inquit author commẽtariorũ,iuxta illum locum Eſa.48.
C ישראל מקוראי Iſrahel,non,uocatus meus(ut noſtri legũt)ſed,electus meus: atqui iuxta hanc ſignificationem huius uerbi, קרא uidetur Rom. primo, electus apoſtolus potius legendum,quàm uocatus apoſtolus. *Et intelligentiæ,ſiue prudentiæ dederis uocem tuam.*)hoc eſt, oraueris pro intelligentia,ut Deus opem tibi ferat in acquirẽda intelligentia. Et hæc quod ad neceſsitatẽ gratiæ ſpectat,cui etiã noſtra induſtria accedat oportet,iuxta omniũ etiam Iudęorum ſententiam:in quem ſenſum facit ſequens uerſiculus.

» SI quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam. *Hebr.* ſi
» quæſieris eam quaſi argentum, & ſicut theſauros eam ſcrutatus fueris.

D Effoderis illam ſcrutando,uidelicet ut inuenias eam, ſicut auidiſsime ſcrutari ſolent, & effodere,qui pecunias uel theſauros alicubi abſconditos norunt.Sermo noſtri interpretis eſt obſcurior,ſed ſeptuaginta & Hebr. habent pro effoderis, ſcrutatus fueris, καὶ ὡς θησαυροὺς ἐξερευνήσῃς. ut idem ſit ſenſus in utraq; clauſula,nempe,ſi quęſieris eam, ſicut argentum,hoc eſt tanto ſtudio,tanto deſiderio,quanto ſolent homines diuitias quęrere: quaſi dicat, rem eſſe indignam,homines ad ſapientiæ cognitionem natos,ſtudio ſapientiæ neglecto,opibus congerendis tanta auiditate uacare.Ad hunc locum alludere uidetur parabola euangelij : Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. In-
E exhauſtam uidelicet indicans eſſe, diuinarum rerum & ſcripturarum intelligentiam,ut quam nulla ætas,aut hominum induſtria poſsit exhaurire,aut penetrare. Similitudines iſtę de argento & theſauro huc ſpectant,ut oſtẽdat labores magnos, & animum inuictũ exigi à iuuenibus,in ſapientia inquirẽda.Vel ſimilitudo refertur ad uoluptatem,quã capiunt homines inuento theſauro:uel deniq; refertur ad inuictum ſtudium, & ſedulitatẽ eorum,qui lucro dediti ſunt,qui totis uiribus & omnibus ſtudiis,illò reſpiciũt,qui omnẽ opportunitatem captent opes augendi:ſimile aliquid exigit ſapiens in ſtudio ſapientiæ, ut quanuis magnus ſit labor in acquirenda ſapientia, uirtus enim uerſatur circa difficile,tamen præ magnitudine amoris,leuis apparebit. Atqui ex omnibus his tandem con-
F ditionibus,nempe ſi acceperis uerba mea,ſi pręcepta abſconderis penes te:& cętera quæ à principio capitis recitata ſunt,infert.

» TVNC intelliges timorem domini,& ſcientiam Dei inuenies.

Niſi magna humilitate & induſtria, niſi ſedulis precibus & aliis officiis, modo recitatis, nunquam intelliges timorem domini quod eſt initium ſapientiæ. Magna diligentia & prompta uoluntate & gratia Dei opus eſt, alioqui de ſapientia Dei nihil penitus intelliges,ne rudimenta quidem ſapiẽtiæ. A timore Dei qui primus gradus eſt,ad ſcientiã Dei peruenies:inueniésque ſcientiã Dei.Duplex eſt ſenſus,uel ubi omnia hæc feceris,& prædictis modis & laboribus nactus fueris ſcientiã, quã Deus largitur hominibus,tanquam

à Deo datam inueniſti eam,ut gratiã Dei cum humano iungat conamine. uel, ſciẽtiam Dei inuenies,qua Deus cognoſcitur:quaſi dicat, à timore domini ad cognitionem Dei peruenitur, quod donum Dei eſſe, ſequens docet uerſiculus. G

» QVIA dominus dat ſapientiam,ex ore eius prudentia,& ſcientia.

Non eſſe uirium humanarum hanc inueſtigare & inuenire ſapiẽtiam, frequenter dictũ eſt:unde potiſsimum petenda ſit, preſens locus aperit. Dominus dabit ſapientiam illam, quã quæris,iuxta illud Iacobi:Si quis indigeat ſapientia,poſtulet à Deo:ut intelligas ubi quærẽda ſit ſapientia,non in ethnicorum & infidelium libris,ſed in his libris,quæ Deus ore proprio locutus eſt. Aliter,quęrenda eſt uelut theſaurus, non qui in terris abſconditur,ſed ubi fures non effodiunt,neque furantur:perennis eſt,non conſumitur, non contrahit rubiginem,nam ab ore dei defluit. In contextu tria nomina ponuntur:ſapientia, quæ ad cœleſtia refertur:ſcientia,ad cognitionem rerum in hac uita neceſſariarũ:intelligentia ſiue prudentia,ad mores & integritatem conuerſationis inter homines: quarum unamquanque tanquam ex ore dei inſtructi & edocti, habent quotquot his uirtutibus ſunt prediti. Non ſunt autem uulgares hæ uirtutes,aut omnibus collatæ:ſed iis dũtaxat qui inculpate uiuunt,& ambulant in perfectione,iuxta id quod ſequitur. H I

» CVSTODIET rectorũ ſalutem,& proteget gradientes ſimpliciter. *Hebr.*
» Abſcondet rectis ſalutem,ſcutum ambulantibus in perfectione.

Et Septuag. theſaurizabit. καὶ θησαυρίσει τοῖς κατορθοῦσι σωτηρίαν. Quod ad ſenſum ſpectat,non eſt tanta diuerſitas,quanta eſt in uerbis:nam qui abſcondit & reponit,diligentiſsime cuſtodit: *Dabit dominus ſapientiam ex ore ſuo*) ſed non omnibus dabit,ſed occultat quibuſdam,& ſecretam ſeruat rectis:hoc eſt,his qui recte ambulant in fide & charitate, iuxta id quod ſequitur: *Proteget gradientes ſimpliciter*)uel,ut eſt in Hebræo, ambulantes in perfectione,in hac uita preſente,iuxta Hebræos. Subinde uerba ſapiẽtiæ occultat,ubi non eſt opus:ſed parata eſt ſapientia,uelut clipeus in defenſionem eorum qui rectè ambulãt. Obſeruãdum eſt hoc in loco poni uocem Hebręam תושיה quam noſter Interpres uertit ſalutem. Hebræi,quos alij ſequuntur interpretes, uertunt ſapientiam. Ad ſenſum haud ita multum refert,nam dubiũm non eſt,quin ſalus illa,ſiue ſapientia,quam Deus abſcondit pro rectis,ſit ſalus noui teſtamenti,& æterna ſapientia. A nonnullis eſſentia uertitur,nam uox Hebræa à uerbo יש quod eſſe ſignificat,habet originem,ſolidam firmámque ſubſtantiam,hoc eſt perſeuerantiã in bono ſignificare poteſt. Hebræi,ſuo more,legem intelligunt Moſaycam,quam hoc nomen ideo ſortitam inquit Dauid Kimhi, quòd cum alia ſint caduca & uana, ſola lex(inquit)perpetuo durat. Sed quanto certius Paulus,qui ad Corinth.ſcribens de Chriſto,& euangelica ſapiẽtia, Loquimur Dei ſapiẽtiam(inquit)quæ abſconditur in myſterio.& poſt:Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Sunt autem recti,qui faciunt uoluntatem patris,in qua nihil eſt obliquum. Fuit igitur diu recondita, iſta ſiue ſapientia æterna,ſiue ſalus æterna: quæ eſt protectio & clipeus,ſiue ſcutum,iuxta Hebræum, cõtra omnia huius mundi aduerſa,his qui perfecte uiuunt,iuxta id quod ſequitur. K L

» SERVANS ſemitas iuſtitiæ,& uias ſanctorum cuſtodiens. *Hebr.* Ad ſer- M
» uandum ſemitas iudicij, & uiam ſanctorum cuſtodiet.

Declarat hoc uerſiculo quid ſit ambulare perfecte,uel in perfectione:nimirum cuſtodire ſemitas iuſtitiæ. Verſiculus præcedens cum præſente connectitur, ad hunc modum: Salus uel ſapientia æterna,quę abſconditur rectis, erit protectio gradientibus in perfectione, ad ſeruandum uias iudicij. Sed cum hoc ſit ſupra uires noſtras, addit, *Et uiam ſanctorum ſuorum ſeruabit*) ſup. Dominus. In Hebręo ſupplicum potius legitur quàm ſanctorum,hoc eſt,illorum qui miſericordiam implorãt. Et,ut inquit quidam ex Hebræis, eſt menſura,pro menſura,hoc eſt prẽmium reſpondet merito: ſi is qui ambulat in perfectione,ſeruat ſemitas iudicij tribuens unicuiq; quod ſuũ eſt, Deus cuſtodiet uiã eius,ut

ſcriptum

A ſcriptum eſt: Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodient te in omnibus uiis tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum: Pſal. 90. Cap. 2.

» TVNC intelliges iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem ſcientiã
» bonam, ſi intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit.
» *Heb.* Tunc intelliges iuſtitiam, & iudicium, & rectitudines, omnem ſemi-
» tam bonam, cum intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ ſua-
» uis fuerit.

B Tũc, referri poteſt uel ad præcedẽtia, ut ſit ſenſus, Cum perfeceris ea quæ prædicta ſunt de inuocatione & inueſtigatione ſapientiæ: Sed melius ad ſequentia: & particula כי non debet uerti, ſi, ſed cum, & erit ſenſus, Non ſolum has uirtutes, iuſtitiam, iudiciũ, & æquitatem intelliges, ſed omnem uiam bonam, hoc eſt, omnes bonos mores, cum intrauerit ſapientia in cor tuum, & ſcientia placuerit: uel, ut eſt in Hebræo, amœna & dulcis fuerit animæ tuæ. Non puto nimis anxiè laborandum in diſtinctione harum uirtutum, iuſtitiæ, & iudicij, & æquitatum ſeu rectitudinum, cum in ſacris literis non ſimilis ubique ha beatur diſtinctio. Vtcunque, hoc in loco ſecundum quoſdam iuſtitia ad ſpeculationem
C & cõtemplationem, hoc eſt ad Deum refertur. Iudicium ad actionem, præſertim eorum qui authoritate præditi ſunt. Aequitates ad eos qui priuatim agunt uitam. Aequitas eſt nemini male uelle, proximis facere quod tibi fieri optares. Aliter, Tunc intelliges iuſtitiam, hoc eſt fidem, ſpem, & charitatem, quibus à Deo iuſtitiam cõſequimur. Iudicium iuſtum erga proximum, eadem illi faciendo quæ tibi fieri uelis. Denique rectitudines intelliges in omni uia bona: ſi ſapientia ſemel intrauerit cor tuum, eris idoneus ut quancunque degas uitam. Equidem ſimpliciter intelligendum puto: Intelliges iuſtitiam & iudicium, hoc eſt, poteris diſtinguere inter ueram iuſtitiam euãgelij, & fictam ſiue umbratilem, & legalem. Et ita de cæteris uirtutibus, & iſta ſcientia erit amœna animæ tuæ,
D ut quæ conſcientiam hominis ſola reddit tranquillam. Cęterum quàm dulcis ſit iſta animæ, quam intrauerit ſapientia, ſoli norunt qui ſunt experti. Guſtate, inquit, & uidete quoniam ſuauis eſt Dominus.

» Conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te.

Vt ubique eandem uocem Hebræam eodem modo latine redderet, interpres curioſus minime fuit: nam uocem מזמה quam ſuperius uertit intellectum, hoc in loco cõſilium reddit. Alij ſecundum Hebræos, cogitationem cõſtanter uertunt. Ad ſenſum non uſque adeo refert: Sunt enim mentis functiones, intelligere, cogitare, & conſultare. Sẽſus uer-
E ficuli dependet ex præcedentibus, & proſequendo explicat beneficia, quæ ſequuntur ex inhabitante ſapientia: quorum eſt illud quod cogitatio ſeruabit te, uel potius iuxta Hebræos, excubias & uigilias aget ſuper te, & intelligẽtia ſeruabit te: quaſi dicat, quorũ corda ſapientia non intrauit, ſalubres cogitationes, uel conſilia non habent, quibus tuti eſſe poſſint: nam humanę mentis mira eſt inconſtantia, magna cęcitas, & fragilitas: ſępius de uanis & pernicioſis rebus cogitant, quàm de honeſtis, niſi adſit ſapientia, quæ ſuppeditat cogitationes cordatas, & cœleſtes: quæ hoſti noſtro aditum excludant quemadmodum ſequitur.
F

» VT ERVARIS à uia mala, & ab homine, qui peruerſa loquitur.

Ad eruẽdum te, potius à uia mali, ſup. hominis, uel refertur ad id quod proxime præceſſit, nempe intelligentia ſeruabit te, ut eripiat te à uia mala, uel denique refertur ad illum locum, ubi dictum eſt: Cum intrauerit ſapientia in cor tuum, ſup. tecum erit ad eripiendum te à uia mali, hoc eſt ab his, qui male uiuunt, & à uiro loquente peruerſa, hoc eſt contraria ueritati. Ac ſi dicat, niſi cogitatio, ſiue conſilium ſapientiæ, tãquam cuſtos, intrauerit cor tuum, quomodo conuerſatus inter homines, qui fere ambulant per uiam malam, hoc eſt quæ ducit ad malum, poteris eſſe immunis à corruptiſsimis illorum moribus, qui etiam peruerſa loquuntur, alios ſubuertere conantur, corruptis illorum ſer-

monibus & dogmatibus, ut ad hęreticos referatur, qui relicta ueritate & luce, tenebras G
ſequuntur, iuxta id quod ſequitur.

» QVI relinquũt iter rectum, & ambulant ſuper uias tenebroſas. *Heb.* Relin-
» quentes ſemitas rectitudinis, ad tranſeundum per uias tenebrarum.

Quibus, ut inquit Petrus, melius erat non cognoſcere uiam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti, ab eo quod illis traditum eſt ſanctum mandatum: ſecundæ Pet. 2. Sunt idololatræ, inquit author Commentariorum Hebræorum, & hi qui credunt opinionibus mendacibus, qui fidem habent uerbis ſcientiæ uanæ, quæ tenebræ uocantur, ut puta ſapientiæ contrariæ, quæ uocatur lux. Magna cæcitas eſt, relicta luce ſequi tenebras, ſed tamen hoc illis euenire ſolet, qui ſapientia carent, qui fidem Chriſti non ſeruant, qui claritate non fruuntur lucernæ ſuper candelabrum poſitę, quæ lucet duntaxat his, qui domo Dei, hoc eſt eccleſia uera & unica, continentur, non his qui ad malam uitam mala dogmata adiunxerunt, qui tenebris obcęcati, lætantur in malis, ut ſequitur. H

» QVI lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſsimis: quorum
» uiæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum. *Heb.* Qui lætantur ad facien-
» dum malum, & exultare ſolẽt in ſubuerſionibus malis: quorum ſemitæ per- I
» uerſæ, & obliquitates in uiis eorum: exultant in rebus peſsimis, uel in per-
» uerſitatibus.

Senſus pendet ex eo quod ſuperius dictum eſt, ut eruaris à uia mala, & totus hic locus ad laudem ſapientiæ ſpectat, oſtendens à quibus malis eruat ſapientia. Quod ad intelligentiam prioris uerſiculi ſpectat, poſſunt prima & ſecunda pars ad diuerſa referri, ut ſit ſenſus, Gaudent in eo quod ipſi male faciunt, & exultant cum audiunt recitare peruerſa, ſiue peruerſitates & ſubuerſiones malas aliorum: uel potius ſubuerſiones mali hominis, quibus ſubuertit bonos. Non ſolum ipſi male facere gaudent, ſed exultant audire aliorum mala. Iſti miris tenebris uerſantur, qui gaudent ubi dolere & erubeſcere oporteret: ſed huiuſmodi ſolet eſſe exitus eorum, qui malis moribus imbuuntur, ut paulatim ad peiora declinantes, donec penitus extincta luce ſapientiæ, in tenebris errorum ambulantes nequeant inter bonum & malum iudicare. Imo ſummo deſiderio ſequuntur mala. De quibus Paulus Epheſ. 4. Tenebris habentes obſcuratum intellectum, alienati à uita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatẽ cordis ipſorum. *Quorum ſemitæ peruerſæ)* poſtquam reliquerint uiam rectitudinis, quæ non declinat, neq; ad dextrã, neque ad ſiniſtram, uiæ eorum ſunt nihil aliud, quàm peruerſitates. Quaſi dicat, nemo L
putet ſe poſſe cum illis uerſari, & recte incedere per ſemitas iuſtitiæ, & æquitatis. Sed ſi amplexus fueris ſapientiam, ipſa ſeruabit te, & ſecurum reddet, non ſolum ab his hominibus malis, & peruerſis: ſed etiam à muliere aliena, à qua maius nonnunquam eminet periculum, præſertim iuuenibus, quos inſtituendos ſuſcepit Salomon in hoc libello.

» Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea quæ mollit ſermones ſuos. *Heb.*
» Ad eripiendum te à muliere aliena, ab extranea quæ uerba ſua poliit.

Supple, ſi intrauerit ſapientia cor tuum, intelligentia cuſtodiet te, *Ad eripiendum te à muliere aliena, ab extranea quæ ſermones ſuos fecit blandos*, ut eſt in Hebræo. Ab huiuſmodi mulieribus, quantum tibi emineat periculi, exemplo Samſonis & Salomonis licet intelligere, quarum blandiciis, ille corporis oculis, hic mentis captus fuit. Mulier aliena quæ non eſt coniunx legitima, extranea uocatur: Hebræis, quæ non eſt Iſrahelitica, ſed infidelis & impia. Aben Hezra uocem Hebræam נכריה metaphorice intellectã, ſic explicat: Extranea & aliena, quæ non didicerunt opus bonum, ſunt quaſi eſſent ex ſemine extraneo, & alieno. Quam blandi autem ſint ſermones mulieris extraneæ, oſtendit Salomon loco haud diſsimili inquiẽs, Fauus diſtillans labia meretricis: non quòd ita ſint, ſed iuxta affectum eorum, qui blandiciis trahuntur, loquitur ſcriptura: alioqui omni felle amarulentiores ſunt huiuſmodi blandiciæ. Poſſunt hęc referri iuxta allegoriam, ad peruerſam M

doctrinam,

A doctrinam, quæ ſuauitate quadam ſermonis ſolet imperitorum animos ad ſe allicere, dum iucunda quędam & carni adblandientia pollicentur: cum uera & catholica doctrina, carni minime laxat habenas. Sed cuiuſmodi ſit hæc mulier externa, à qua eripit ſapientia, uid eamus. *Cap. 2.*

„ QVAE relinquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt.

Magnum impudicitiæ & impudentiæ argumentum. Solent uirgines propenſiores eſſe ad fidum amorem ſeruandũ: iſta tamen impudica, relicto duce & marito, cui fuerat nu-
B pta uirguncula, adulterum ſecuta eſt, oblita & contemnens fœdus Dei, hoc eſt ſacramẽtum & ſponſionem, quæ Dei inuocato nomine, inter ſponſum & ſponſam celebrari ſolet: uel fœdus Dei, legem Moſaicam intelligit, quæ fornicarios & adulteros condemnat. Iuxta allegoriam mihi uidetur illa ſecta, ducem pubertatis relinquere, & oblita uidetur pacti Dei, quæ noua concepta opinione, fidem relinquit, per quam Chriſto copulata fuerat in baptiſmate, contemnens pactum & fœdus, quod ſub duobus aut tribus teſtibus iniuit. Sed huius infœlicis mulieris, infœlix eſt exitus: nam recta in perditionem tendit ipſa, una cum his qui ingrediuntur ad eam.

C „ INCLINATA eſt ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ ipſius.
„ *Hebr.* Cum declinauerit ad mortem domus eius, & ad mortuos, uel gigan-
„ tes, uiæ eius.

Relicta mariti ſui domo, uidebatur ſplendidas aliquas ædes adulteri ingreſſura, ſed hallucinata eſt uehementer: nam declinando à domo mariti, declinauit ad mortem, qua ueluti domo perpetua, manſura eſt: & ſemitę, per quas à fœdere Dei elapſa eſt, ad mortuos tendunt. Aliter, declinauit ad mortem, qui declinauit ad domum illius: & ſemitæ illæ,
D quæ ducunt ad domum illius mulieris, ducunt ad mortuos, ſiue gigantes (ut alij uolunt) & dæmones tortores intelliguntur, ut de æterna morte animæ fiat ſermo. Sed cum crebra fiant homicidia ob inſanos muliercularum amores, poſſumus ad tẽporalem mortẽ locum referre. nam cauſa extitit interitus & ruinæ totius familiæ.

„ INGREDIENTES ad eam non reuertentur, nec apprehendent ſemitas
„ uitæ. *Heb.* Omnes qui ingrediuntur ad eam, uel omnes qui rem habẽt cum
„ ea, non reuertentur, non apprehendent ſemitas uitæ, uel uiuentium.

Qui ad hanc impudicam mulierem, quæ reliquit thorum mariti, ſiue reuera adulteram
E intelligimus, ſiue ſectam aliquam & doctrinam adulteram, non reuertẽtur. Non ſolent reuerti per pœnitentiam, qui eam amplexi fuerint: nam ſubuerſi ſunt huiuſmodi, neq; ſolent apprehendere uias uitæ, qui huius mulieris ingreſſi ſunt ſemitas quæ ducunt ad mortem: nam paucos ex hæreticis pœnitentiam agere nouimus. Nõ reuerti, eſt raro difficultérque deſerere ſiue ſectam malignam, ſiue ardentes inſanáſque libidines, quæ excęcant corda fornicatorum, ut non niſi magna & rara gratia reſipiſcant.

„ VT ambules in uia bona, & calles iuſtorum cuſtodias.

F Pendet ſenſus ex eõ quod dixerat, intelligentia cuſtodiet te ab iis qui relinquũt uias rectas, & à muliere adultera. *Vt ambules in uia bona*, ſiue in uia bonorum, ut in Hebræo legitur. uirtutes & exempla patriarcharum & prophetarum intelligimus: *Et iuſtorum ſemitas cuſtodias*) in quibus nullus eſt error, ſed ſpes præmij, ut ſequitur.

„ QVI enim recti ſunt, habitabunt in terra, & ſimplices permanebunt in ea.
„ *Heb.* Nam recti habitabunt terram, & perfecti relinquentur in ea.

Iuxta morem legis Moſaicæ, ſub qua uixit author, loquitur. Sic enim legimus, Vt cuſtodiatis uniuerſa mandata, quæ ego præcipio uobis hodie: & poſſitis introire & poſſidere terram, multóque in ea uiuatis tempore, Deut. 11. à qua Cananęi peccatores fuerunt exterminati.

terminati. Porrò Iudæos ob peccata migrasse captiuos à terra, testatur historia: rectos uero & iustos, uel relictos fuisse in terra promissionis, uel in terra peregrinationis consolationem accepisse: quanuis sub lege possessio terræ promittatur iustis. Sub Euangelio tamen, cuius perfectio est omnibus renũciare, terram uiuentium intelligimus. Beati mites, quoniam ipsi possidebũt terram: mites inquam, qui solent esse obnoxij iniuriis, & à iustis possessionibus expulsionem æquo animo tolerãtes, neque sectantes lites, ipsi maxime possidebunt terram uiuentium, à qua impij exterminabuntur, unde sequitur. G

» IMPII uero de terra perdentur, & qui inique agunt, auferentur ex ea. *Heb.* H
» Sed impij à terra excidentur, & transgressores abradentur ab ea.

Secundus hic uersiculus cogit nos quodammodo, utrunque ad literam intelligere de terra præsente, à qua impij solẽt excindi & abradi, non à terra uiuentium, quam nunquã possederunt: abradi, inquam, ut neque posteri eorum, neque nominis fama permaneat: sed periit memoria eorum cum sonitu, Psalm. 9. Cõtra qui reliquerit agros propter me, centuplum in præsenti accipiet, Matth. 19. Quem sensum, si quis non recipiat, alterũ sequatur, ut non de præsente terra, sed uiuẽtium & futura intelligatur. Nam id genus supplicij Iudæis accidit, dispersis uidelicet per orbem, ut prædictum fuerat per Prophetas: I Et manet omnes impios, qui tum fere auferuntur à terra, cum maxime uelint uiuere.

CAPVT TERTIVM.

FILI MI, legem meam ne tradas obliuioni, & præcepta mea » custodiet cor tuum. Nam longitudinem dierum, & annos » uitæ, & pacem addent tibi. K

Superiore capite à quibus malis eripiat sapientia, dictum est: in hoc uero, quanta præmia conferat his, qui sapientiæ sunt studiosi. Verba sunt uel Salomonis, uel sapientiæ. Legem & præcepta sua intelligit, quæ sequuntur, nempe misericordia & ueritas non deserant te: quæ ut maiore studio amplectatur filius, præmia proponit, teneræ ætati maxime chara, uidelicet diuturnam & fœlicem, siue tranquillam uitam. Tria nomina, *Longitudinem dierũ, annos uitæ, & pacem*) sic distingunt Hebræi: ut longitudo dierum referatur ad præsentem uitã, quam iuxta naturæ periodum sit impleturus: annos uitæ ad seculũ animorum, & æternæ uitæ fœlicitatem: pacem addent, quasi dicat, super pacem corporis, & animæ pacem addẽt, nam non est ulla pax im- L piis, & ultra pacem in prosperis, addẽt pacem in aduersis huius uitæ & pacem cum Deo: nam in additione multiplicem pacem significat. Magna promittit, sed ea lege, ut legem seruet non oscitanter, sed iugi memoria retineat, & non ore tenus, sed ex animo, & toto affectu adimpleat. *præcepta*) misericordiæ & ueritatis, ut memoria referatur ad studium & meditationem, & obseruatio ad opus.

» MISERICORDIA & ueritas non deserant te, circunda eas gutturi tuo, » scribe illas super tabulas cordis tui, inuenies gratiam & intellectum bonum, M » in conspectu Dei & hominum. *Heb.* Misericordia & ueritas ne te derelin- » quant, liga eas super guttura tua, scribe eas super tabulã cordis tui, & inue- » nies gratiam & intellectum bonum, in oculis Dei & hominum.

Legem accepit Moyses in tabulis lapideis scriptam: suam legem in tabulis cordis scribi uult sapientia: possunt uerba, liga & scribe, referri ad misericordiam & ueritatem, uel ad legem & præcepta: ut sit sensus, Misericordia & ueritas nõ deserent te, si ligaueris legem & præcepta mea super guttur tuum, & scribas ea super tabulam cordis tui. Aliter, ut intelligamus legem misericordiæ & ueritatis ligãdã collo, & scribẽdam in tabulis cordis. Sapientis enim præceptũ, de misericordia & ueritate. Collo ligari & tabulis cordis, uult

inscribi

A ſcribi. Per ueritatem noſtri interpretes confeſsionẽ fidei: per miſericordiam, opera intel- *Cap. 3.*
ligunt. Hebræi preſsius, per ueritatem officia debita proximo, quæ iure illi debẽtur: per miſericordiam officia quæ ſponte & liberalitatis ſtudio impendimus, intelligunt, unde Raab dixit exploratoribus, Facietis cum domo patris mei miſericordiam, ſicut ego feci uobiſcum, & dabitis mihi ſignum ueritatis: Ioſue ſecundo. Quanuis in hoc loco melius quadrat, ut miſericordiam intelligamus non quamlibet, ut puta naturalem aut ciuilem, ſed eam quæ ueritati, hoc eſt uerę religioni innititur. Nam hæc ſola eſt, quæ non hominibus tantum commendat iuuentutem, ſed etiam Deo, qui ſanam mentem & intelle-
B ctum bonum, talibus uirtutibus impertit, tãquam præmium incomparabile. *Et inuenies gratiam.)* Sũt ex Hebræis qui legunt imperandi modo, quaſi admoneret ſapientia, ut per eas uirtutes daret operam, inuenire gratiam. Apud Deum, ueritas nos cõmendat: apud homines uero miſericordia gratiam inimus, ſed cum ex fauore hominum nõnunquam naſcatur arrogantia, præceptum ſecundum de humilitate ſubiicit ſapientia, inquiens.

» HABE fiduciã in domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.
» In omnibus uiis tuis cogita illum, (in Heb. cognoſce uel agnoſce) & ipſe di-
C » riget greſſus tuos: ne ſis ſapiens apud temetipſum (Hebræum, in oculis tuis) ti
» me Deum, & recede à malo.

Eodem ſpectant hi tres uerſiculi, oſtendentes quid ſoleant facere qui intellectum bonũ à Deo accipiunt, nempe longe aliter, quã qui ſapientia mundana tument. Nam hi, in ſua confidunt prudentia, ſuam iactant peritiam: ſed tu (inquit ſapiẽs) qui intellectum à Deo cognoſcis te accepiſſe, fiduciam etiam habe in Deo. Inter prima præcepta ſapientiæ com mẽdatur humilitas, confidentia in Deo, quem ſemper ob oculos habere, illius implorare opem, ſumma ſapientia eſt: propriæ uero inniti prudentiæ, ſumma ſtultitia. Quid enim habes (ut inquit Paulus) quod non accepiſti? In oculis ſuis ſapiens eſt, qui recte mo
D nentibus non obtemperat. *In omnibus uiis tuis, cogita illum)* uel, ut eſt in Hebræo, ſcito illum, hoc eſt agnoſce illius beneficia, ſi quid prudẽter agas, & agnoſce illũ dirigere greſſus tuos, *Vt ne ſis ſapiens apud temetipſum.)* in Hebræo, ne ſis ſapiens in oculis tuis. totus locus ad commendationem humilitatis ſpectat. *Time Deum & recede à malo.)* Si uis eſſe ſapiens, à principio ſapientiæ incipias, nempe à timore Dei: time Deum & declina à malo. *1. Cor. 4.*

» SANITAS quippe erit umbilico tuo, & irrigatio oſsium tuorum. *Heb.*
» Sanitas erit umbilico tuo, & irrigatio uel ſuccus oſsibus tuis.

Pendet à priori uerſiculo, nempe timere Deũ, & declinare à malo, erit ſanitas umbilico
E tuo, & irrigatio oſsibus tuis. Iuxta ſimplicem ſenſum, uidetur umbilicum poſuiſſe, (quòd ſit in meditullio corporis) pro uentriculo & aliis internis corporis partibus, in quibus ſanitas corporis maxime ſpectatur: oſſa autem pro exterioribus, in quibus robur & uires conſiſtunt. Sanitas igitur umbilici, eſt totius corporis optima conſtitutio, quod ad temperaturam humorum ſpectat: rigatio oſsium quibus nerui adhærent, & omnium membrorum agilitas, & promptitudo ad opus: tropicẽs uero, interioris hominis uirtutes, & exteriora opera intelligimus, iuxta Dauidis planctum, Sana me quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt ualde. Similitudinem denique ad hunc mo- *Pſal. 6.*
F dum licet explicare: ut ſanitas uentriculi totum corpus reddit incolume, ſic timor Dei refrenat concupiſcentias & libidinem, quæ per umbilicum intelliguntur, & quæ ſanitati animæ in iuuenibus maxime aduerſantur. Irrigat etiam oſſa timor domini, hoc eſt omnia corporis membra reddit apta & agilia ad uirtutum opera.

» HONORA dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium fru-
» gum tuarum da pauperibus. Et implebuntur horrea tua ſaturitate, & uino
» torcularia redundabunt. *Heb.* Honora dominum de diuitiis tuis, & de pri-
» mitiis totius annonæ tuæ, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & muſto
» torcularia.

Tua redundabũt,uel muſto torcularia tua defluent,uel denique muſtum torcularia au- G
gebunt:Hebræi הון ſubſtantiam,opes eſſe uolunt,quibus neque in uictu,neque in ueſti-
tu utimur תבואה fruges autem,quæ ex agris,uel prouentus qui ex pecoribus capiuntur,
aut denique fructus qualeſcunque: hæc omnia domini ſunt beneficia, & ex illis, honor
domino eſt referendus. Et obſeruandum eſt honorẽ Dei,non ſolum conſiſtere in humi-
litate confeſsionis,& cõfidentia in illius bonitate,de quibus ſupra dictum eſt, ſed etiam
in externo cultu,& rebus corporeis,quas à Deo accepimus,impendẽdus eſt honor Deo,
id quod facere oportet quoties his rebus utimur, & quoties egenis opem porrigimus,
1.Tim.6. non noſtram,ſed illius gloriam ſpectantes,qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendũ. H
Imo qui diuites œconomos ſuos eſſe uoluit,ſuorum uidelicet bonorum diſpenſatores.
Quod de primitiis additur, ad legem alludit,quæ non qualeſcunq; fruges, ſed de primis
fructibus domino,tẽplo,ſacerdotibus,& leuitis,offerri iubet, Deut.26.exẽplo Abel,qui
de grege pinguiora mactauit pecora,Gene.4. Et hodie in noua lege, presbyteri duplici
honore digni habeantur,maxime qui laborant uerbo & doctrina,Timoth.5. Quos qui-
cunque alit,quòd Chriſti ſint miniſtri,& diſpenſatores myſteriorum Dei, Deum de ſuis
ſubſtantiis honorat: neque eſt quòd quis timidus diſpenſator uereatur ne ſibi deficiant
neceſſaria, uel ne ad egeſtatem liberalitate deueniat, præſertim ea liberalitate qua do- I
mini honorem quærit:Imo hac uia augebis potius tua, ſolet enim Deus implere horrea,
& augere incrementa frugum iuſtitiæ.2.Corinth.9.eorum qui eleemoſynas de iuſtis la-
boribus in Dei laudem largiuntur. Iuxta allegoriam, non ſolum ex caducis & exterio-
ribus opibus,ſed ex talentis animæ cœlitus collatis,liberali quadam diſpenſatione,& uſu-
ra diſtributis, quærenda eſt gloria domini, non noſtra. Sed reliqua ſapientiæ præcepta
proſequamur.

» DISCIPLINAM domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias cum ab eo K
» corriperis: quem enim diligit dominus corripit, & quaſi pater in filio com-
» placet ſibi. *Hebr.* Diſciplinam domini,fili mi, ne reſpuas,neque moleſte fe-
» ras caſtigationem illius: quem enim diliget dominus caſtigabit,& ut pater
» filium caſtigat,cui bene uolet,uel quem unice diliget.

Superius præceptum propriè ad ditiores ſpectat, quibus nihil deeſt, ſed hoc quod nunc
tractamus magis ad eos pertinet, qui uel egeſtate uel quocunque damno premuntur,
quæ omnia inter flagella, ſiue caſtigationes domini, ſunt connumeranda, quocunque
modo,uel occaſione nobis eueniant, ut Iobi exemplo docemur, qui in ſingulis malis à L
Satana inflictis,ſiue per turmam Chaldæorum, ſiue denique per uim uentorum, tole-
rantia armatus, conſolationem accepit inquiens,Dominus dedit,dominus abſtulit: ſic
in hoc loco ſub caſtigationis nomine,omnia genera morborum, ſiue quodcunque ma-
lum huius corporis & temporis, intelligamus: quæ omnia dum uelut è manu domini
porrecta accipimus,æquo animo feremus,ut inquit Paulus,Hebr.12. Quem enim dili-
git dominus,caſtigat:flagellat omnem filium quem recipit. In multis offendimus om-
nes,Iaco.3. Ingratum eſt fere mortaliũ genus, creatoris ſui facile obliuiſcitur, dum pro-
ſperitate huius mundi gaudet,cui morbo remedium quærens pius pater, filium ingra- M
tum ad ſe reuocat,dum nunc egeſtate,nunc morborum & ægritudinum uarietate,nunc
aliis quibuſcunque afflictionibus caſtigat:quæ omnia, Diligentibus Deum, cooperãtur
in bonum,Roma.8.& ex magna Dei miſericordia proueniunt, ac ex paterno plane affe
ctu,ne cum hoc mundo damnemur:1. Corinth.11. ne igitur murmures aut deſpondeas
animum,à domino caſtigatus. Notandum eſt uerbum Hebræum יסר, unde deſcendit
nomen מוסר diſciplina,utrunque ſignificare,erudire ſcilicet & caſtigare, utrũque enim
ex æquo ad patrem amantem ſpectat: neque cum uulgo putes fœlicitatem conſiſtere
in proſperitate huius uitę,in qua difficile eſt Deum,ut oportet,cognoſcere & honorare,
ſed potius in Dei caſtigatione & uexatione,quæ intellectum ſolet dare,& cognitionem
Dei, quibus in rebus magna eſt fœlicitas. unde ſequitur·

BEATVS

A BEATVS homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: melior Cap. 3.
» eſt acquiſitio eius negotiatione auri & argenti, primi & puriſsimi fructus
» eius: precioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic non ua-
» lent comparari. *Heb.* Beatus qui inuenit ſapientiam, & homo qui educet
» intelligentiam: nam melior eſt negotiatio illius, negotiatione argenti, &
» quàm aurum puriſsimũ prouentus illius: precioſior eſt unionibus, & omnia
» à te deſiderata non æquabunt eam.

B Poſt præcepta quæ nos ad diuinam ſapientiam erudiunt, illius laudes decantat ſapiens, ut quæ ſola homines fœlices poſsit reddere, non huius mundi ſplendor, non opes quas magno ſtudio quærunt multi, putantes ſe hac ratione fore fœlices, & in otia tuta recedere. Verum ſoli fœlices euadunt hi, qui prædictis inſtructi uirtutibus, pietatis operibus Dei gloriam quærunt, qui æquis animis aduerſa tolerant, tanquam patris diſciplinam amplectentes, tales ſapientiam inueniunt, Dei uidelicet filium, qui pulſantibus aperit, Luc. 11. Imò clauſtra cordis noſtri pulſat, & intromitti cupit, Apocal. 3. Solus igitur beatus, qui talem hoſpitem habet, hic affluet prudentia, ſiue (ut in Hebræo eſt) hic intelligẽ-
C tiam proferet de theſauro ſuo, & egregium prouentum ſuæ ſapientiæ oſtendet: cui collata mercatura ſeu negotiatio, qua argentum coaceruatur & aurum, quamlibet fulgens nihili æſtimari debet: eſt ipſis unionibus, regum deliciis precioſior hæc ſapientia: margarita precioſa, qua inuenta negotiator Euangelicus uendit omnia quę habet, & emit eam. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, inquit prudens negotiator: deniq; quic- *Matt. 19.*
quid optabile, quicquid deſiderabile excogitari poteſt, huic ſapientiæ collatum ſordeſcit: momentanea enim ſunt argentum & aurum, neque uitam prolongare poſſunt poſſeſſorum, imò nec febriculam quidẽ ſanare, ut inquit ille; Non æris aceruus aut auri, ægro
D to domino deduxit corpore febres. Sed ſapientiæ dotes audiamus.

» LONGITVDO dierum in dextera eius, & in ſiniſtra eius diuitiæ & glo-
» ria. Viæ eius, uiæ pulchræ, & omnes ſemitę eius pacificæ. Lignum uitæ eſt iis
» qui apprehenderint eam: & qui tenuerint eam, beati.

Ne putes ſapientiam de qua loquimur, ullius rei eſſe indigam, nouit quid humana indigeat infirmitas, iam in promptu habet quod quæris. Mortem times, uitam perennem exoptas, in dextra ſua longitudinem dierum habet: Qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum, Ioan. 11. Immortalis eſt, mortem ſuperauit: immortali dextra, immorta-
E litatem porrigit. Quod ſi interim opes & gloriam quæras, ſiniſtram extentam conſidera: quæ populo Iſraëlitico terram lacte & melle manantem largita eſt, inſigni honore eam prouinciam afficiens, cum nõ eſſet alia natio ſub cælo, quæ haberet Deos ſuos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis, inquit Moyſes Deuter. 4. In Chriſto ſapientia patris, per ſiniſtram, humanitatem poſſumus intelligere, qua incredibili honore genus humanum affecit, eam collocans ad dexterã Dei, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi, Colloſſen. 2. Aliter, dextram & ſiniſtram, euangelium intelligimus & legem. Licet in dextra, cæleſtia præmia: in ſiniſtra, temporalia intelligere,
F quæ nemo niſi ſapientia diuina porrigente recipit, dicente eadem: Per me reges regnãt, Prouerb. 9. Quæ Hebræorum commentarii habent de lege Moſaica, quam ſapientiam appellatam putant in hoc loco: & de dextra, quæ ſit uera ex amore obſeruatio legis: & ſiniſtra obſeruatio qualiſcunque pro prẹmio temporali, nobis parum arrident. Cęterum noſtræ, hoc eſt Chriſtianæ ſapientiæ, quàm ſint uiæ pulchræ, quæ ad lucem perducunt, & ſemitæ, quibus pacem aſſequimur, quam mundus dare non poteſt, nemini dubiũ eſſe puto, qui exitum non exordia rerum conſiderat. Alioqui arcta eſt uia quæ ducit ad uitam: uiæ ſapientũ ſunt præcepta euangelica, iugum uidelicet ſuaue & onus leue, Mat. 11. Quod maculas & ſordes omnes delet, unde in Hebræo habetur דרכי נועם uiæ amœnitatis, ſiue ſuauitatis, priſtinam pulchritudinem, quam in Adam perdidimus, reſtituentes,

aut angelicam potius,neque enim Adam ex ligno uitæ immortalitatem eſt aſſequutus, G
ſed quotquot Chriſtum uiua fide tenẽt, ex ligno uitæ comedunt,præſertim qui perſeue-
rauerit uſque ad finem,nam hic ſaluus erit. *Qui apprehenderint eam,beati.*) Hebr. Fulcien-
tes eam,tenentes aut ſuſtentantes eam,beatus, uel beatitudine donatus,ſup. erit unuſ-
quiſque,eorum qui ſuſtinẽt. Et ne quis putet eum de terrena aliqua ſapientia loqui,aut
Moſaica lege,ut illi uolunt,quæ ſequuntur uideamus.

» DOMINVS ſapientia fundauit terram,ſtabiliuit cælos prudentia:ſapien-
» tia illius eruperunt abyſsi,& nubes rore concreſcunt. *Heb.* Dominus ſapien- H
» tia fundauit terram,ſtabiliens cælos per intelligentiam:per ſcientiam illius,
» rupti ſunt abyſsi,& nubes ſtillabunt rorem.

Magnas laudes ſapientiæ audiuiſti,audi maiores,quo magis in illius amorem accenda-
ris.Nõ eſt res humanitus inuẽta ut philoſophi putauerunr, qui ex ſuis præceptis ſapien-
tiam pendere exiſtimabant,& humana induſtria comparari poſſe.Sapientia,de qua tra-
ctamus,ipſo mundo longe eſt antiquior,ut puta per quam iacta ſunt ipſius fundamenta.
Mirum in modum diſpoſuit cælos intelligentia: nam uerbum בונן ratione coniugatio- I
nis Hebraicæ plus aliquid ſignificat quàm parauit, uel ſtabiliuit. Abſolutè per terram
omnia elementa,& quęcunque hac mundi parte inferiore proueniũt intelligimus,quo-
rum terra ueluti fundamentum inferius collocatur ineffabili ſapientia: ut nunquam de
ſuo moueret loco,ne concuſſo fundamento corruere uideretur reliquum ędificij. Cælos
autem ſic diſpoſuit,ut in perpetuo motu nullam neque laſsitudinem,neque diminutio-
nem aut diſſolutionem paterentur, ſed perenni quadam uirtute ubertatem in hæc infe-
riora transfunderent,neque unquam diſtillare aut influere ceſſarent. Dei ſcientia (quæ
à ſapiẽtia nõ eſt diuerſa) rupti ſunt abyſsi ob concaua terræ loca,quibus aquæ, quæ alio-
qui ſuperficiem terræ tegerent,ſunt receptæ,quo liceret etiam homini, & cęteris animã-
tibus uiuere,dicente Deo,Cõgregentur aquæ in locum unũ, & appareat arida, Geneſ.1. K
hoc Dei duntaxat ſapientia eſſe factum,coguntur philoſophi confiteri,ut qui non igno-
rant aquæ naturam eſſe,uniuerſam terram tegere,ut aëris naturæ eſt,uniuerſam aquam
circuire.Sed ſcientia ſapientiſsima Cæli ſubinde diſtillare ſolent rorem,ne terra humo-
re deſtituta ſterilis remaneat. Alij per abyſſos, intelligunt ingentia flumina, quæ paſsim
per orbem erumpunt. Alij abyſſos intelligũt,quos in ſubmerſione orbis, nouo quodam
impetu,uoluit Deus erumpere. Quòd ſi conſtat iſta non potuiſſe fieri niſi per Dei ſapiẽ-
tiam, per hæc opera uſque adeo magna & ſtupenda, uſque adeo firma & ſolida, cogi-
ta quàm magna ſit hæc ſapientia,per quam facta ſunt,quo facilius illius amore capiaris, L
& caue ne ulla perſuaſione humana ducaris, ut credas hæc quæ uides corpora cæleſtia
aliunde habuiſſe principium,ſed reuera habuiſſe principium à ſapientia, ut ſequitur.

» FILI MI, ne effluant hæc ab oculis tuis, cuſtodi legem meam atque conſi-
» lium meũ. *Heb.* Fili mi,ne recedant ab oculis tuis,cuſtodi ſapientiam & co-
» gitationem.

Hanc de ſapientia opinionem caue ne aliquando dimittas ab oculis mentis tuæ, ſed di- M
miſſa uana ſapientia,permanentem & ſtabilem ſapientiam amplectere: hoc enim ſigni-
ficat uox תושיה, quæ rurſum hoc in loco repetitur,& quæ ab eſſendo,ut diximus,habet
originem.Nam in Hebræo,Cuſtodi ſapientiam, & cogitationem: intelligimus dignam
hac ſapientia,omnia uidelicet per ſapientiam eſſe creata. uerum iuxta noſtrum Inter-
pretem:*Cuſtodi legem & conſilium*) erit ſenſus:cuſtodi legem que tradit mundum à Deo
creatum. Et conſilium meum: quod eſt,ut quàm optime erga ſapientiam ſis affectus,
eam uidelicet eſſe prędferendam omnibus opibus,unionibus magis precioſam. In pote-
ſtate illius uitæ longitudinem,gloriam & diuitias,& cętera quæ prędcedens lectio conti-
net:huiuſmodi inquam cogitationes ſi animo uoluas,magna aſſequeris,quę ſequens le-
ctio complectitur.

ET

A ET ERIT uita animæ tuæ,& gratia faucibus tuis Tunc ambulabis fidu- Cap. 3.
» cialiter in uia tua,& pes tuus non impinget.Si dormieris non timebis, quie-
» ſces, & ſuauis erit ſomnus tuus.Ne paueas repentino terrore,& irruentes tibi
» potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem
» tuum ne capiaris. *Heb.* Et erunt uita animæ tuæ & gratia gutturi tuo, tunc
» ambulabis cum fiducia uias tuas, & pes tuus non impinget. Si dormieris
» non pauebis,imo dormies,& dulcis erit ſomnus tuus. Nō timebis terrorem
B repentinum,neque deſolationem impiorum(uel uaſtitatem ab impiis)cum
» uenerit.Nam dominus erit fiducia tua, & ſeruabit pedem tuum ne capiatur.

Prius numerauimus magna ſapientiæ munera, quæ fortaſsis ad futuram uitam magis referri debent:audi etiam quanta præſentis uitæ commoda amatoribus ſuis largitur ſapientia:ſecuritatem ſane magnam contra omnia huius uitæ pericula, & in primis animæ ſanitatem,& uitam,quę ſine ſapientia omnino mortua eſt. Vt animo igitur uiuas & intellectu,& non ueluti pecora hanc uitam tranſigas, Sapientię huius de qua loquimur munus eſt. Quod in Hebręo legitur erunt uita,exponunt Hebræi,erit fides hæc,mundū
C uidelicet eſſe ſapientia Dei conditum & prouidētia gubernatum,uita animæ tuæ, nam iuſtus ex fide uiuit. *Et gratia faucibus tuis erit ſapientia.*) Senſus eſt iuxta interpretationē ſimilis loci, primo capite,torques collo tuo,hoc eſt,ut gratiam cōferre putatur torques aureus collo ſuſpenſus,ſic amabilem uitæ ornatum confert ſapientia:uel gratia gutturi tuo,hoc eſt, uerbis tuis, quæ per guttur intelliguntur. Denique erit ſapientia uita animæ tuæ,hoc eſt,alimentum & cibus quo uiuit anima tua: Ego ſum panis uiuus, qui de cælo deſcendit,& dat uitam mundo,cuius guſtus per fidem,miram gratiam faucibus digne comedentium tribuit,quantam uero ſatis norunt,qui in menſa ſapientiæ digne re-
D cumbunt. Porro in huius uitæ periculis te ſecurum reddet,ſiue domi maneas,ſiue peregrè profectus uiam ignotam capias, qua ſolent multa aduerſa timeri,at tibi ne tantillum quidem mali continget, imo ne leuiſsima quidem pedis offenſio: Nam angelis ſuis mandauit de te ſapientia, ut cuſtodiant te in omnibus uiis tuis, nequando offendas ad lapidem pedem tuum,Pſalm. 90. Peregrini ſumus in hac uita, & ſine offenſione pedum,hoc eſt affectuum,non ingredimur per uanitates huius mundi, niſi fide conditoris & prouidentia gubernatoris,quæ ſapientia eſt patris,muniti. Quod ſi cubitū ibis,quando hoſtes ſolent maxime uigilare,inſidias ſtruere,tibi quod paueas nihil erit: imo ſecurus dormies, & ſecuriſsimum ſomnum capies, cuſtoditus uidelicet à ſapientia, quam
E amplexus es. A quocunque igitur malo,quod ſiue uigilantibus,ſiue dormientibus, ſiue peregrè,ſiue domi agentibus euenire ſolet hominibus, te ſecurum reddet ſapiētia. Iuxta altiorem intellectum hæc nō tam de pedibus corporis & ſomno palpebrarum, quàm de uita uel morte ſunt accipienda,aut ſi mauis de actiua uita & ſolitaria, quæ negotiis uacua ſomno comparatur. Alicubi in ſcripturis,nempe Can.5. Ego dormio & cor meum uigilat, poteſt & ad ſomnum mortis referri, qui tranquillus & placidus futurus eſt his, qui in Dei ſapientia ſpem habent, timentes Deum uidelicet, non eos qui occidunt corpus. *Non timebis repentino terrore, & irruentes potentias impiorum.*) hoc eſt, non timebis de-
F nique,ne ab his quæ mortalibus maxime horrenda occurrent, utputa ab hoſtili incurſione & impiorum uiolentia, quæ omnia uaſtare ſolent ferro & igni, quibus maxime conſternuntur animi hominum:ab his omnibus,inquam,ſecurus eris ſapientiæ innixus: Cum dominus ſit ſpes tua,te ſeruabit:quis enim ſperauit in domino,& derelictus eſt? *Et cuſtodiet pedem tuum ne capiaris,*) uel ne capiatur pes tuus, ut eſt in Hebræo. Iuxta altiorem intellectum, in medio laqueorum tranſis, ut ait alius ſapiens,& imprudentibus nobis quaſi laquei tenduntur à dæmonibus,quibus pedes, hoc eſt affectus infirmorum, facile innectuntur,& repente magna uirtutum deſolatio fit,& uaſtitas pudicitiæ, & integritatis morum. Poſt egregias ſapientiæ laudes & magna præmia, quæ ſapientia largitur ſiue in hac uita,ſiue in futura,reuertitur ſapiens ad id quod paulo ſuperius incepe-

rat tractare, nempe miſericordiæ & ueritatis opera, quæ in egentibus amicis,& alienis ſpectantur.Primo quod ad egenos attinet ſubdit· G

» NOLI prohibere benefacere eum qui poteſt: ſi uales,& ipſe benefac. *Heb.*
» Ne prohibeas bonum ab eo,qui dominus illius eſt,cum ſit fortitudo manus
» tuæ ut facias.

Ambiguus eſt Hebræorum ſermo,& multiplicem ſenſum admittit.Aut enim rem alienam detinere prohibet, aut ne quis unquam alteri ſit impedimento, quo minus ſit beneficus:aut denique ne ipſe detineas egentis bonum,hoc eſt eleemoſynam quę ad eum, H tanquam dominum illius,ſpectat.quaſi non noſtra, ſed pauperum ſunt bona, quæ illis largiri poſſumus & debemus:unde ſequitur in Hebręo,Cum in uirtute manus tuę ſit ad faciendum:ut ad ſingulos priores ſenſus referatur, Si penes te ſit alterius boni reſtitutio, ſi in tua poteſtate ſit,egentium neceſsitati ſubuenire,ſiue quenquam impedire quo minus officium præſtet. Hunc uerſiculum peculiariter ad ſubuentionem pauperum ſpecta re uolunt interpretes.Sublimior ſenſus eſt,ſi referatur ad doctrinam, ad rectam inſtitutionem ignorantium,quibus ex officio debetur à doctioribus cibus animæ, & talis doctrina quæ unicuiq; maxime ſit idonea, & quæ ad ſingulos iure quodã pertinere poteſt, I ne margaritas porcis ſpargere uideamur, ut ait unus ex Hebræorum magiſtris, uolens exprimere uim illius uocis בעליו hoc eſt domini illius,ſupple beneficij.Secunda pars miſericordiæ & beneficentiæ ad charos & familiares amicos ſpectat, quibus nihil negare poſſumus.

» NE dicas amico tuo uade, & reuertere, & cras dabo tibi,cum ſtatim poſsis
» dare.Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam. *Heb.*
» Ne machineris malum contra amicum tuum,cum ipſe habitet confidenter
» tecum.

Quod ad amicos & charos ſodales ſpectat, tantum abeſt ut quicquam illis deneges, K ut ne in craſtinum quidem opem deferas, quam hodie poſtulant, ſi modo penes te fuerit præſtare quod petitur. Quanuis ultimam particulam uerſiculi,quidam referant ad primam:ut ſit ſenſus iuxta ueritatem Hebræam:Ne dixeris amico uade,& cætera:neque dixeris, eſt tibi, quaſi contumelia afficiens eum qui petit, dum negas illum egere ea re quam petit, in loco panis uidelicet lapidem porrigens, Lucæ undecimo. Prima pars beneficentiæ in amicum, eſt omnibus uiribus illius uotis annuere : Secunda eſt, integram ſaltem ſeruare amicitiam, nihil amico indignum moliri, illius opinionem de te minime fallere, qui tecum una cohabitat fretus fide & amicitia tua. Prætereun- L dum non eſt, quendam ex Hebræis ſecutum aliam ſignificationem illius uerbi תחרש machineris, ſenſum uoluiſſe mitigari, quaſi abſurdum eſſet monere, ne quis malum machinetur in amicum, cùm hoc tam longe abſit ab amici officio, ut ſummam crudelitatem præ ſe ferat,& proinde חרש exponit non moliri,ut D.Hierony.neque machinari, ut nos, ſed ſuſpicari. quaſi dicat, Ne habeas amicum,qui tecum habitat,ſuſpectum alicuius mali, ſed quemadmodum confidenter habitat tecum, ita tu habitabis cum illo cum fiducia,abſque ſuſpicione mala.ſequatur prudẽs lector, utram uelit lectionem,mihi prima non diſplicet. Fideliter colendam amicitiam docet prouerbium. M

» NE contendas aduerſus hominem fruſtra, cum ipſe tibi nihil mali fecerit.
» *Heb.*Ne contendas cum homine fruſtra,ſi non ingeſſerit tibi malum.

Hęc præcedentia miſericordiæ officia non poſſunt eſſe omnibus communia, uidelicet opibus aut doctrina quàm plurimos iuuare:quod ſequitur ad omnes ſpectat,nempe neminem iniuria afficere. hoc præceptum cæteris multum diſsimile uidetur. Sunt ex noſtris interpretibus qui ad fraternam correctionem referunt ſenſum.Lyranus ſimpliciter intelligit,quaſi bene habeat contendere, ſi iuſta ſubſit cauſa: & tamen ſunt aliqui Hebræorum interpretes,nonnihil offenſi hoc loco,quaſi contrario præceptis Moſaycis,Le-

uit.

uiti.19.ubi legitur:Non quęras ultionẽ:aut,ne memor ſis iniuriæ ciuium tuorum. Iuxta Cap.3.
Hæbraicam ueritatem, Non ultionem ſumes, neque ſeruabis odium filiis populi tui. *Leuit.19.*
Quam in ſpecie repugnantiam conantur aliqui tollere,dicentes hunc locum ſic eſſe intelligendum:uidelicet,non licere contendere neque litigare,niſi reddiderit tibi malum: & iam qui tranſgreſſus eſt præceptũ, Diliges proximũ tuũ ſicut teipſum,pro inimico habendus eſt,& talem licet odio habere,ſed in longe alium ſenſum,& meo iudicio magis pium,uertunt alij Hebręorum magiſtri,non litigabis neque facias malum alicui gratis, uel ſine cauſa:ſi non,ſupple ita feceris,rependet malum,& ulciſcetur ſe:& hæc eſt uſitatiſsima huius linguæ phraſis, ut ante hanc particulam אם לא,ſi non,intelligatur aliquid, ut in iuramenti formam redigatur ſermo, ut uerbi gratia,mentiar, mihi ne credas,aut aliquid huiuſmodi:ſenſus tandem erit,ſim mendax,niſi repẽdat tibi malum: & hæc germana huius loci interpretatio eſſe uidetur.Sequitur.

„ NE æmuleris hominem iniuſtum, nec imiteris uias eius. Quia abomina-
„ tio domini,omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Aegeſtas à
„ domino in domo impij, habitacula autem iuſtorum benedicentur. Ipſe de-
ludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam. Gloriam ſapientes poſsidebunt,
„ ſtultorum exultatio ignominia. *Heb.* Ne æmuleris uirum iniquum, neque
„ elegeris ullas uias illius. Nam abominatio eſt domini,peruerſus: & cum re-
„ ctis ſecretum eius.Maledictio domini in domo impij, & habitationi iuſto-
„ rum benedicet.Nonne cum illuſoribus ipſe illudet, & manſuetis dabit gra-
„ tiam?Gloriam ſapientes poſsidebunt,& ſtulti exaltant ignominiam.

Poſt prolixam admonitionem qua filium ſuum inſtruxit ſapiens, de uariis ſapientiæ &
miſericordiæ officiis,quæ bonis & malis,amicis & inimicis præſtare oportet, quo maiori ſtudio aurem accõmodemus,eum non impune euaſurum, qui huiuſmodi officia negligit, oſtendit,inquiens,Ne æmuleris hominem iniuſtum & oppreſſorem, qui rapinis pro tempore diteſcunt,qui imperitis & uulgo fortunati habentur,cum illis omnia ex animi ſententia ſuccedunt. Caue tamen ne huiuſmodi uelis imitari, neque eligas omnes uias eorum,hoc eſt,ne ſimilis illis eſſe uelis, neque ſocium te adiungas uiis illorum & moribus.Succeſſus & proſperitas iſta non eſt à domino.Nam dominus execratur & abominatur hanc,quam uulgus fœlicitatem putat.Execratur,inquam, omnem peruerſum, ſiue declinantem à lege,quæ recta eſt.Et quanuis iudicia Dei ſint inſcrutabilia, tamen
cum ſimplicibus ſermocinatio eius.Heb.Cum rectis ſecretum eius,hoc ſecretum,eſt rectis notum,nempe non idcirco gratum eſſe hominẽ peruerſum, quòd proſperitate gaudeat,neque ſtatim puniatur:imo tanto magis execrabilẽ eſſe iudicio Dei,quãto fœlicior mundo apparet.Neque enim eſt Dei benedictio, copia rerum male parta, ſed ut ſequitur in cõtextu,maledictio Dei eſt in domo impij,tametſi proſpera fortuna interim fruatur.Non ſolum familia,ſed etiam conſcientiæ domus,quæ nullum fructum boni operis gignit,maledicta eſt: ut inquit Paulus, Infidelibus nihil eſt mundũ, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia, ad Tit.1.Contrà habitationẽ iuſtorum benedicere ſolet
dominus,qui ipſa eſt iuſtitia,& unicuiq;(ut inquit Dauid)reddit iuxta opera ſua. Vnde ſequitur, Cum illuſoribus ipſe illudet, dum per irriſionẽ aut per iocum aliena rapiunt, & rapinis diteſcunt,dominus ſubſannabit eos,uel facillime puniẽdo,uel irridendos hominibus proponens,ut qui nihil poterunt contra illius potentiam,neque diutius pauperes opprimere, quàm à domino permittantur, ſed humilibus & manſuetis, qui iniquorum uiolentiis ſunt obnoxij gratiam copioſam & cæleſtia dona largiri ſolet, quæ præſentibus rebus collata, centupli rationem habent. Idcirco amplexanda eſt ſapientia non ſequendæ uiæ impiorum, per illam enim gloriam aſſequeris,per has autem ignominia. *Gloriam,*)inquit, *ſapientes poſsidebunt,* uel pro hæreditate capient potius, hoc eſt non ad momentum temporis, ſed iure hæreditario. *Stultorum exaltatio ignominia:* uel,

ut eſt in Hebræo, ſtulti extollunt ignominiã, uel (ſupple uirum) ignominioſum: & iuxta idioma & phraſim Hebræam, non dicit ſtulti extollunt, ſed ſtultorum unuſquiſque extollit, & laudat uirum ignominia dignum. G

CAPVT QVARTVM.

VT erudite traditum eſt à pluribus, primus gradus eſt ad pietatem & ſapientiam, ex animo uelle eſſe pium & ſapientem: & idcirco ſapientiæ præcepta tradẽs Salomon, ſubinde hortatur iuuentutem ad ſtudium & amorem ſapientiæ, non ignarus quantum aggrauat animam corpus quod corrumpitur, quàm faciles, quàm procliues ſint ad malum, ſenſus & cogitatio humani cordis ab adoleſcentia ſua. Iuuentutem ad meliorẽ mentem reuocare, & ſapientiæ imaginem ante oculos depingere uehemẽter conatur, cuius pulchritudinem, ut inquit Plato, ſi oculis contemplari liceret, uileſceret facile aliarum rerum quamlibet amœnus aſpectus. Atqui ut facilius ſtudium ſapientiæ & amorem perſuadeat, ſeipſum exemplum proponit, inquiens: H

„ AVDITE filij diſciplinam patris, attendite ut ſciatis intelli- I
„ gẽtiam. Donum bonum tribuam uobis, legem meam ne re-
„ linquatis. Nam & ego filius fui patris mei, tenellus & unicus
„ ante matrem meam. Et docebat me, atque dicebat, ſuſcipiat
„ uerba mea cor tuum, obſerua præcepta mea & uiues. Poſside
„ ſapientiam, poſside prudentiam, ne obliuiſcaris, neque declines à uerbis oris
„ mei, neque dimittas eam. Dilige eam & conſeruabit te. *Hebr.* Audite filij, di-
„ ſciplinam patris, & attendite ad cognoſcendam intelligentiam, cum doctri-
„ nam bonam dederim uobis, legem meam ne deſeratis. Fui equidem filius pa K
„ tri meo, tenellus & unicus coram matre mea. Et cum doceret me, dixit mi-
„ hi, ſulciat uerba mea cor tuum, ſerua præcepta mea & uiues. Compara ſapiẽ-
„ tiam, compara intelligentiam, neque tradas obliuioni uerba mea, neque de-
„ clines à uerbis oris mei. Ne dimittas eam & cuſtodiet te, ama eam & ſer-
„ uabit te.

Prius filium ſuũ docuit (inquit Aben Hezra, hoc in loco alienos & iuuentutem omnẽ, ut pater pro maiore iuxta idioma Hebræorum capiatur: & ſecundũ Rabbinos, admonitio L eſt ad legem Moſaicam diligenter auſcultandam. *Audite filij diſciplinam patris*) æterni, & auſcultate ad ſciẽdum intelligentiam legis, non ſolum iuxta literam, ſed iuxta altiorẽ ſenſum, quam cabulã uocãt Hebræi, & quã Moyſen in monte accepiſſe credunt, ſed literis nõ mãdaſſe, imò ueluti per manus à maioribus ſemper ad minores perueniſſe. Quod ſequitur, Donũ bonũ dedi uobis, לקח donũ uel acceptio uerti poteſt, doctrina etiã alicubi uertitur, ut ſuperius oſtẽdimus. Et ſecundũ Hebræos, uerba ſunt Dei cauſam reddentis, quare debeant auſcultare: nempe quòd ſana & ſalubris ſit doctrina legis, & proinde relinquẽda non eſt. mihi magis arridet ut accipiantur uerba Salomonis, *Donum bonum dedi* (ut eſt in Hebræo) *uobis,*) doctrinam bonam dedi uobis, & refertur ad doctrinam ſequentem, ut ſit præteritum pro futuro. Et ne quis exiſtimet eum præceptorem parum idoneum, aut ignarum, oſtendit ſe à ſapientiſsimo rege Dauide didiciſſe, & hoc ſtatim à pueritia, quæ eſt ætas magis docilis. Et proinde mallem uertere particulam כי, non per rationalem particulam nam, ſed per aduerbium quando, uel cum, & in hoc ſenſu frequenter accipitur in ſcripturis. Et erit ſenſus, Cum eſſem filius, hoc eſt paruus apud patrem, uel in ædibus paternis, & cum eſſem tener, hoc eſt in deliciis, ac ſi eſſem unicus filius apud matrem meam, & tunc ſtatim docuit me pater (nam iuxta proprietatem ſermonis Hebraici, qui genere diſtinguit perſo- M

nas in

A nas in uerbis, non poteſt aliò referri quàm ad patrem) docuit me pater ſtatim in tenera ætate, & dixit mihi, Suſcipiat uerba mea cor tuum, hoc eſt, memoria tua retineat uerba. Quod ſi iuxta uſitatam ſignificationem capiatur uerbum Hebræũ תמך, quod fulcire uel ſuſtentare ſignificat, erit ſenſus, Suſtentabit uerba mea cor tuum: eritque anallage Hebræis familiaris, qua caſum pro caſu ponunt: ut, miſit in ignem ſanctuarium tuum, promiſit ignem in ſanctuarium tuum: ſic, fulciet uerba mea cor tuum, pro fulcient uerba mea cor tuum tenerum & fluctuans: uel, iuxta alium Hebraiſmum frequentiſsimum, fulciet uerba, hoc eſt unumquodque ex uerbis meis fulciet cor tuum. *Obſerua præcepta*
B *mea & uiue,*) pro uiues: nam frequẽtiſsimũ eſt in hac lingua, ut imperatiuus ponatur pro futuro. ſic enim exponit Dauid Kimhi illum locum, Creſcite & multiplicamini, creſcetis & multiplicabimini: eſt, inquit, benedictio non præceptum: nam quorſum erat brutis animantibus præceptũ dare, aut arboribus, & plantis? Hoc in loco fuerit operæprecium admonere lectorem, quod etiam ſuperius fecimus, Hebræos hunc locum & ſimilia referre ad populum Iſraëliticũ, qui ueluti tenellus & unicus Dei filius, ſtatim poſt egreſſum ab Aegypto, legem accepit, uelut in pueritia. De qua lege totum hunc locum intel ligunt, intelligunt inquam, per obſeruationẽ legis ſe uitam aſſequi, & eius acquiſitionẽ
C omnibus rebus eſſe præponendam. Nos multo rectius Dei patris ſapientiam, quam in Chriſto & euangelica doctrina tenemus relucentem, intelligimus: uelut margaritam, cuius gratia euangelicus negociator uadit, & uendit omnia quæ habet, & emit eam atque poſsidet. Et huic ſenſui plurimum fauet contextus Hebræus, in quo habemus uerbum קנה quod emere & poſsidere ſignificat, ſi utrãque ſignificationẽ intelligamus: Eme & poſside ſapientiam, plenior erit ſenſus, & ſapiente Salomone magis dignus, & pendet ex priore uerſiculo, Serua pręcepta mea, ut ſint uerba Salomonis, iuxta ſimplicẽ ſenſum, legis iuxta Hebræorum magiſtros aliquot, aut denique Chriſti & euangelij iuxta ſublimiorem ſenſum: & uiues, quoniam iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, uiuet in
D ea. Et Chriſtus in euangelio, Hoc fac & uiues: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata: Luc. 10.

» PRINCIPIVM ſapientiæ poſsidere ſapientiam, & in omni poſſeſsione
» tua poſside intelligentiam.

Senſus prouerbij eſt, Sapientiæ primam curam habendam, & non ut inquit ille, quærenda pecunia primum eſt, Virtus poſt nummos: & uerbum קנה, cũ comparare & poſsidere ſignificat, hic melius uertitur, Compara uel eme: cui ni fallor alludit parabola euangelica prius citata. quaſi dicat, Multi impendunt ſedulam operam opibus comparandis, &
E aliis rebus uanis, tu te totum, & primo impende ſapientiæ acquirendæ. Et quanuis donũ ſit altiſsimi, ut alibi inquit, tamen ſocordibus non datur, ſed eos qui ad fores eius uigilant, fœlices efficit: non ſolũ autẽ ante alias poſſeſsiones acquire ſapientiã, quam Solomõ rebus omnibus prætulit, ſed *in omni poſſeſsione poſside intelligentiam,*) ut nihil uel poſsidere uelis, uel diſcere, quod ab intelligentia fuerit alienum. Qui ſunt oculatiores ex Hebręis, alios duos ſenſus huius uerſiculi eliciunt: quorum prior hic eſt: Antequam ſtudio ſapientiæ indulgeas & contẽplationi, ut noſtri loquuntur, quæ in cognitione conſiſtit, da operam ut ſapientiam illam quæ in moribus & integritate uitæ conſiſtit, acquiras.
F *Et in omni poſſ.*) hoc eſt, etiam ſi omnes poſſeſsiones tuæ eſſent impendendæ in acquiſitione intelligentiæ & ſanæ doctrinæ, tamen ne cuncteris, ſed poſside eam. Alius ſenſus eſt, In principio ſapientiæ poſside, & diſce ſapientiam ab aliis. Iuxta illud Iaco. Sit omnis homo uelox ad audiendum, & poſtea eris magis idoneus, ut res omnes cum intelligentia & prudenter tractes, & tuopte ingenio intelligentiam augebis.

» ARRIPE illam & exaltabit te, & gloriaberis ab illa cum illam fueris am-
» plexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarũ, & corona inclita proteget te.
» *Hebr.* Exalta eam, & exaltabit te, honorabit te cum eam fueris amplexus. Da-
» bit capiti tuo multiplicem gratiam, & coronam ornatus dabit tibi.

Pendet à præcedẽte uerſiculo, Ne cũcteris quamlibet magnos uel labores, uel ſumptus G
in acquirenda ſapientia impendere: nam uices rependet tibi cum fœnore, ſummis hono-
ribus honorabilẽ te faciet, ſi exaltaueris eam. Sic enim fere exponunt hoc uerbum He-
bræi סלסלה exalta eam. Aben Hezra exponit hunc locum per alium locum, Pſalm. 68.
סללו לרוכב, quo in loco iuxta Septuaginta legimus, Iter facite ei qui aſcendit ſuper oc-
caſum. Et quanuis hoc uerbum uideatur aliquibus Hebræorum magiſtris multa ſignifi-
care, tamen iuxta Dauid Kimhi, eleuare ſignificat ubique, & fere intelligitur, uel etiam
exprimitur, uia, ut Eſa. 62. סללו סללו המיסלה nos legimus, planũ facite iter, ſed potius
cumulate, & altiorem facite uiam. ſignificat uiam ſternere uel aggerem & cumulum ia- H
cere, conſentiẽtibus ſeptuagin. qui hoc in loco legũt, χωμάτωσον ὁδὸν καὶ ὑψώσατε σε.
Aggeribus circunda illam: & iuxta hũc ſenſum exponunt hunc locum Hebræi aliquot,
nominatim Leui Bengerſon. Si iter facias ſapiẽtiæ, & incedas aſsidue in lege, honorem
tibi conciliabit. Aliter, ut intelligantur omnia hæc eſſe uerba Dauidis, ad Salomonem fi-
lium ſuum dicentis, Sterne iter ſapientiæ, & fac expeditam & ſublimem uiam, ut poſsit
facile uagari per regnum tuũ, & ipſa exaltabit te. Quod in Salomone ueriſsimum fuiſſe
ex illius hiſtoria nouimus, qui inter reges, maximos honores eſt aſſequutus, quòd poſtha
bitis aliis rebus omnibus ſapiẽtiam poſtulauit, qua Dei populum regeret. Et ſapientia, I
iuxta ea quæ ſequuntur in textu noſtro, Dedit capiti illius, tanquam digniſsimæ totius
corporis parti, additionem gratiæ: coronam præterea decoris dedit ei ſapientia. Et hæc
iuxta eos, qui intelligunt Salomonẽ hactenus recitaſſe patris ſui Dauidis uerba: quæ ſe-
quuntur haud multum diſsimilia prioribus, Salomonis ſunt præcepta.

„ AVDI fili mi, & ſuſcipe uerba mea, & multiplicentur tibi anni uitæ, uiam
„ ſapientiæ monſtrabo, & ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus
„ fueris non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. K
„ *Heb.* Audi fili mi, & accipe uerba mea, & multi erunt anni uitæ tuæ, in uia
„ ſapientiæ docui te (ambulare) duxi te in ſemitis rectitudinis, cum ambula-
„ ueris non arctabitur greſſus tuus, & ſi cucurreris, non impinges.

Hoc in loco uidetur Salomon, poſtquam narrauit patris ſui admonitionem, ſic hortari
ad ſtudium ſapientiæ, ut cum factis impiorum conferat probitatem, huius beneficia, &
improbitatis difficultatem amplificans, ut urgentiſsima ſit admonitio, in condemnatio-
nem ſtultitiæ humanæ. Homines uidelicet ad ſapientiam & intelligentiam natos, tot
labores & ærumnas ſuſtinere ut impie uiuãt, & recuſare per uiam uirtutis incedere, quæ L
cum ſit amœna & iucunda, ad maximos perducit honores. Haud diſsimilia ſunt, quæ
præ manibus habemus, iis quæ prius expoſuimus. Quanta pericula morum emineant
iuuentuti, probe nouit uir prudẽtiſsimus: idcirco non ceſſat uariis monitionibus & exẽ-
plis eadem inculcare: Nempe ut filius quem informãdũ ſuſcepit, illius uerba & ſaluber-
rimam doctrinam amplexando, malorum hominum improbitatem & exempla peſsi-
ma ſubterfugiat, Iterum, *Fili mi, audi & accipe uerba mea.*) Beati qui audiũt uerbum Dei,
& cuſtodiunt illud, Luc. 11. *Multi erunt anni uitæ tuæ.*) Superius enim dictum eſt, in dexte-
ra ſapientiæ eſſe longitudinem dierum, imò uitam perennem: etiam in hoc ſeculo ſtu- M
dioſe uiuentibus, ſolet prolongari uita. Tene igitur illa uerba. ſ. quibus ambulare in uia
ſapientiæ docui te: & duxi te, ambulare feci te in ſemitis rectis. Vel pendet à præcedente
uerſiculo, ut ſit ſenſus, *Multiplicabuntur tibi anni uitæ,*) in uia uel propter uiam ſapientiæ
quam docebo te: & per quam te deducam, ueluti manu apprehenſum. Si illa uerba in-
quam tenueris, cum ambulaueris non anguſtabitur greſſus tuus, imo curres & non of-
fendes. quaſi dicat, ne uerearis capeſſere uiam uirtutis, quæ lata & expedita & facilis eſt
aſſuetis, quanuis imperitis uideatur arcta & plurimum impedita, iuxta id quod ſuperius
expoſuimus, ſed in hoc certamine conſtantia & robore opus eſt. Nam difficile uidetur
admodum prima ſtatim facie iuuenibus, imo fragilitati humanæ, affectus cohibere, per
arctam uiam cum paucis comitibus incedere, tot incitamentis & illecebris carnis alio
trahentibus:

trahentibus,nempe à uirtutibus ad uitia,tot exempla malorum hominum proponũtur: proinde iterum atque iterum hortatur ne à uiad iſciplinæ declinet ad uiam impiorum. *Cap.4.*

„ TENE diſciplinam,ne dimittas eam, cuſtodi illam, quia illa eſt uita tua.
„ *Heb.* Tene diſciplinam,ne langueſcas, ſerua eam, nam ipſa eſt uita tua.

Ne quis putet parui momenti quod agitur,ſubinde inculcat uitam in his præceptis conſiſtere,& non eſſe temere dimittendam uiam diſciplinæ, per quam Hebræi legem Moſaicam ſuo more intelligunt,nos rectius euangelicam, à Dei ſapientia qui Chriſtus eſt,
B nobis traditam. החזק apprehende,uerti poterat robuſtus eſto,& ualidus,uel robur ſerua in diſciplina,& ne fueris remiſſus, aut languidus. nam magnum certamen ſuſtines aduerſus hæreticos & Epicureos,inquit quidam ex Hebræorum magiſtris ſuper hũc locum,hoc eſt aduerſus homines corruptos moribus ac doctrina: neque enim ſolent huiuſmodi minus conari quo in ſuam ſectam pertrahant imperitos, quàm conatur ſapiens ſanam doctrinam inſtillare,dicens·

„ NE delecteris in ſemitis impiorum,nec tibi placeat malorũ uia. Fuge ab ea,
C „ ne tranſeas per eam,declina & deſere eam.Non enim dormiunt niſi cum ma
„ lefecerint,& rapitur ſomnus ab eis niſi ſupplantauerint. Comedunt panem
„ impietatis, & uinum iniquitatis bibunt. *Heb.* In uiam improborum non
„ uenies,neque incedas per uiam malorum·Deſere eam, ne tranſeas per eam,
„ declina ab ea,& pertranſi.Non dormient niſi malefecerint,imo rapitur ſom-
„ nus eorum, niſi corruere fecerint (alios) comedunt enim panem iniquita-
„ tis,& uinum oppreſsionum bibunt.

D Per ſemitam impiorum,& malorum uiam, opiniones prauas, & mores corruptos, eorũ qui male uiuunt, & peius credunt intelligimus. A quorum conſuetudine quàm procul abeſſe hortatur ſapiens.Primus gradus eſt non uenire ad ſemitam impiorum: ſecundus eſt,nõ perſeuerare in uia eorum: tertius deſerere uel recedere procul ab ea. Sic enim interpretatur hoc uerbum פרעהו Dauid Kimhi,& huic interpretationi quadrat quod ſequitur,declina ab ea,& tranſi, iuxta Hebræum.Non ſine cauſa tot uerbis hortatur à malis hominibus eſſe fugiendum, ſunt enim peiores quàm quiſquam credat: imo ſomno, pane,& uino,rebus ad ſuſtentationem corporis maxime neceſſariis, nonnunquam præferunt malefaciendi ſtudium. Atqui utinam hoc noſtro ſeculo, minorem huius rei ha-
E beremus experientiam: paſsim reperias,quibus uel pane ſuauius eſt, & quouis nectare dulcius,imperitorum animis pernitioſiſsima inſtillare dogmata: atque illis ſtudiis crebras uigilias & inediam diuturnam impertiri.Obſeruandum eſt uerbum תאשר, non ambulabis in uia malorum,poſſe exponi in alia ſignificatione,nempe beare: quem ſenſum exprimere uolens interpres noſter,nec tibi placeat,uertere auſus eſt: quaſi dicat,neque ſequere,neque fœlicem putes eorum uitam, ſed execrare potius.Et ad hunc ſenſum exponi poteſt uerbum פרעהו id eſt, abominare eam,& execrabilem reputa. Quod ſequitur,*Non dormient,*)non ſolent dormire niſi malefecerint, uel uehemens ſtudium in-
F dicat,& conſuetudinem,quæ in naturam quodammodo uertitur:quaſi in malefaciendo ſummam uoluptatem habeant.uel potius indicat eos non alia arte uiuere, quàm rapinis & latrociniis aut rerum aut animarum: & huic ſenſui quadrat ſequens uerſiculus. *Comedunt panem iniquitatis.*)quaſi dicat,hinc uictum ſibi parant & neceſſum habent noctu uigilare, *& ſomnus rapitur ab eis.*) in Hebræo rapitur ſomnus eorum, uel ſubducit ſeſe ſomnus eorum. Poteſt ad amplificationem referri, quod dicit,panem comederunt impietatis,quaſi eam habeant malefaciendi conſuetudinem,ut in naturam ſit uerſa, & ea ſola ſeſe oblectent. poteſt denique metaphorice ad dogmata referri:quaſi dicat, uerbo Dei non paſcuntur,ſed mala doctrina,quaſi pane & uino.Et quod ſequitur, cõtinenter & affirmatiue legendum eſt: *niſi corruere fecerint*) aliquem, hoc eſt niſi proſtrauerint

aliquem ſpoliandũ, uel offendiculum poſuerint alicui, quieſcere nõ poſſunt. Miſerrimũ G genus hominũ, qui ruina & perditione gaudẽt aliena, & qui noctu & tenebris uictũ ſibi parant. Qui modus uiuendi præterquã quod impius ſit, eſt etiã moleſtus. Sublimiorem ſenſum ſuperius indicauimus, nempe ſi per panem dogmata intelligantur, quæ ſedulo aliis propinare ſtudẽt hæretici: & iuxta hanc expoſitionem ſequitur.

„ IVSTORVM autem ſemita quaſi lux ſplendẽs procedit & creſcit uſque
„ ad perfectum diem. Via impiorum tenebræ, neſciunt ubi corruant. *Hebr.*
„ Semita iuſtorum uelut lux tranſiẽs, & ſplẽdens uſque ad robur diei. Via im- H
„ piorum uelut caligo, non nouerunt in quod corruant, uel impingant.

Velut lux diei quæ ſplendet mane, & paulatim procedens & lucens, uel augens lucem uſque ad meridiem: talis eſt uita iuſtorum, qui de uirtute in uirtutem progredientes, tandem eo perueniunt, ut de illis dicatur: Tunc iuſti fulgebunt tanquam ſol. Matth. 13. *Via impiorum tenebræ,*) Hebr. tanquam caligo, & non uident malum in quod impingunt. Qui ambulat in tenebris neſcit quo uadit, 1. Ioan. 2. Per lucem legem intelligunt Hebræi, nos Chriſtum, qui eſt lux huius mundi, quem qui male agunt, fugiunt, ne- I que ueniunt ad lucem ne arguantur eorum opera. Contra uia iuſtorum qui in Chriſtum credunt, in dies clarior ſcripturarum intelligentia procedit, uelut per ſpeculum in ænigmate, donec tandem ad meridiẽm perueniatur, quæ ueſperam neſcit: tunc enim facie ad faciem cognoſcam ſicut & cognitus ſum, Cor. 13. Prouerbium ſignificat uitam ſtudioſam eſſe expeditam, & ſine periculo. Malorum uero conuerſationẽ, quæ iucunda uidetur his qui nihil ſapiunt præter carnem, eſſe amaram, periculis & offendiculis plenam. hoc enim ſignificat quod dicit, Neſciunt ubi corruant. quaſi dicat, ſemper periclitantur, & perditio eminet illis. K

„ FILI MI, auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuã.
„ Ne recedãt ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui. Vita enim ſunt in-
„ uenientibus ea, & uniuerſæ carni ſanitas. *Hebr.* Fili mi, uerbis meis attende,
„ & eloquiis meis inclina aurem tuam. Ne effluant ab oculis tuis, obſerua ea
„ in medio cordis tui. Nam uita ſunt inuenientibus ea, & uniuerſæ carni
„ illius ſanitas.

Quanta difficultate ſanã & ſalubrẽ doctrinã admittãt iuuenes, imo fragilitas humana, L haud ignarus Salomon, crebras admonitiones admiſcet, & ueluti ſomnolentos excitat. Et quoniã quæ dicturus eſt, uitã conferunt & ſanitatẽ, (quæ duæ res opinione hominũ ſunt maxime) maximopere ſunt auſcultanda. Auriũ oculorũ & cordis fit mentio, quòd his tribus potiſsimum ad cognitionem perueniamus. Quæ membra ſi malis artibus aut dogmatibus ſunt imbuta, ſalubrem doctrinam facile non admittunt. audiendus eſt igitur ſummo ſtudio ſapiens, & firma memoria ac ſyncero corde ſunt retinenda illius præcepta, ſi uel anima perpetuo uiuere, uel interim hac mortali carne ualere cupimus. Primum eſt aures habere ad audiendum, ſecundum cauere ne effluant (ſic enim in Hebræo M legitur) ab oculis, hoc eſt crebra memoria ruminare oportet, & oculos mentis non deflectere ad huius uitæ illecebras, à quibus hæc præcepta reuocant, tu ſi alio cogitationes & deſideria trahas, ſtatim uerba ſapientiæ obliuioni tradis. Habeant præcipuum locum inter cætera, quæ animo reuoluis, medio & digniſsimo cordis loco ſeruentur, ut undecũque inſurgentes, & animum oppugnantes, cupidines malas repellant, ac clauſtris & penetralibus procul eiiciant: quo uerba uitæ retinens in corde, cæleſtem uitam agas in terris, quam corporis ſanitas plerunque comitatur, & morbi carnis ex animi uitiis fere pullulant, dicente Chriſto: Noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat, Ioan. 5. Sed quæ tandem ſunt illa uerba tanto ſtudio audienda, ſequens ſermo declarat.

OMNI

A OMNI cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo uita tua procedit. Remoue à Cap. 4.
te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te. Oculi tui recta uideant, &
palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes
uiæ tuæ ſtabilientur. Ne declines ad dextram, neque ad ſiniſtram, auerte pe-
dem tuum à malo. *Heb.* Præ omni cuſtodia, cuſtodi cor tuum, nam ab ipſo
ſunt exitus uitæ. Remoue à te peruerſitatem oris, & prauitatem labiorum fac
B procul à te. Oculi tui in rectum proſpiciant, & palpebræ tuæ incedant ante
te. Pondera ſemitam pedis tui, & omnes uiæ tuæ dirigentur.

Et alia iuxta interpretem noſtrum. Hæc ſunt uerba medio cordis, & imo pectore repo-
nenda, in quibus, cordis, linguæ, oculorum, & pedum, magnam curam habendam eſſe
ſignificat. Primū ex his uerſiculis uertere poſſumus, in omni cuſtodia, uel per omnē, ut
litera מם mem, pro בית beth ponatur: Sed melius, meo iudicio, litera מם mē cōparationē
indicat. quaſi dicat, Præ omnibus rebus, quas oculatiſsime ſeruare ſolemus, oportet cor
& animam ſeruare, ne uel errore ullo inficiatur, uel ad uitia declinet. Nam prauum eſt
C cor hominis, & inſcrutabile, & ſuapte natura, niſi gratia dei præueniat, ad malum reuol-
uitur: undique obſeſſum facillime expugnatur ab aduerſario, qui tanquam leo rugiens,
circuit quærens quem deuoret, 1. Pet. 5. Porro quicquid eſt in hoc mūdo, aut eſt concupi-
ſcentia carnis, aut cōcupiſcentia oculorum, aut ſuperbia uitæ, 1. Ioan. 2. Quæ omnia bel-
lum gerunt aduerſum nos, & animæ noſtræ fores obſident, caſtrúmque rationis expu-
gnare conantur. Vigilandū eſt igitur, nam neſcimus qua hora fur uenturus ſit, Matt. 24.
O ſi paulo diligentius cogitare uelimus, quanta pericula, quanta mala nobis immi-
neant, & inſidiantur animabus noſtris. Porrò quàm facile uincimur, quàm nullo nego-
tio huc & illuc impellimur, in quanta peccatorum baratra ſæpe detrudimur & collabi-
D mur, dum omnia potius meditamur quàm ſalutem animæ, non ſine cauſa à ſapientiſsi-
mo Salomone dictum eſſe uidebitur, *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum*: ut à quo (ut eſt in He-
bræo) exitus uitæ procedunt. A corde, quod primum animatur iuxta Phyſicos, in reli-
quos ſenſus & partes corporis, uita defluit: & proinde niſi cōualeſcat cor, langueſcunt cæ
tera membra. Quod in corpore fieri uidemus, idem in animo cogitare oportet, qui ſi ca-
piatur ab illecebris, ſi captiuus ducatur quocunque genere uitiorum, de ſalute penitus
deſperatur: nullam uirtutem, nullum opus bonum, ibi poteris expectare. Atque hacte-
nus de cuſtodia cordis, quæ ut facilior fiat, ſumma cura habenda eſt aliarum corporis
partium, & in primis linguæ, oculorum, & pedum. *Remoue à te os prauum*) quanuis He-
E bræi exponant de ore noſtro, quo peruerſitatem loqui prohibemur, tamen de alieno in-
telligi poteſt, ſecundum Pſalm. 100. Detrahenti ſecreto proximo ſuo cum hoc non ede-
bam, ueritas recta, falſitas peruerſa, labia peruerſitatis. Locus non eſt diſsimilis Paulino
præcepto, Propter quod deponentes mendacium, loquimini ueritatem unuſquiſque cū
proximo ſuo, & omnis ſermo malus de ore ueſtro non procedat, Ephe. quarto. Et perfe-
ctus eſt uir qui non offendit in uerbo, Iaco. 3. Nihil mobilius, nihil inconſtantius lingua,
Quis eſt homo qui uult uitam, & dies uidere bonos? prohibeat linguam ſuam à malo,
& labia ſua non loquantur malum, Pſalm. 33. Hebræorum aliquot ſatis docte referunt
F cuſtodiam cordis, ad cuſtodiam animi, os uero rectum ad confeſsionem oris. Corde cre
ditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem, Roma. decimo. Porrò quòd ſequi-
tur, *Oculi tui è regione, uel in rectum proſpiciant,*) ad uirtutis ſtudium referunt, quæ inter
duo extrema conſiſtit, & priuſquam opus aliquod aggrediaris circunſtantias rerum, &
actionum cognoſcere oportet. Oculus animæ iudiciū indicat, iuxta illud, Si oculus tuus
fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit, Lucæ undecimo. *Et palpebræ tuæ recte
dirigant*) ſcilicet intuitum coram te: eundem ſenſum habet, nempe ſyncerum in rebus
habendum iudicium, ne quid in ſtudio uirtutum, uel curſum remoretur, uel in diuer-
ſum trahat: ſed ut per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes
in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucē,

confuſione contempta, atque in dextra ſedis Dei ſedit, Hebr. duodecimo. Hic tandem G
oculos mentis dirigit recte, qui cæleſtium rerum amore, ex æquo proſpera & aduerſa
huius mundi contemnit, ex hac ſyncera rerum æſtimatione, & æquiſsimo oculorum in-
tuitu, facile erit dirigere ſemitas, ſiue ut eſt in Hebræo, *librare greſſus pedum*) affectionum
pondera æquis bilancibus trutinare. Pedes affectus indicare nemo ignorat, qui uel me-
diocriter in ſacris literis uerſatus eſt, qui ad uitam recte, uel ſecus gubernandam pluri-
mum momenti habent: trahit enim ſua quenque uoluptas. Monet igitur ſapiens, ne affe
ctibus nimium indulgeas. Quod ſi nihil amplius quàm quod æquum eſt, & quod ratio
mentis exigit, tribuas affectibus, omnes actionum & officiorum ſemitæ facile dirigẽtur. H
Ne declines ad dextram neque ad ſiniſtram) hoc eſt, neque proſperis, neque aduerſis rebus
ſuccumbas, uel neque amicorum ſtudio, neque inimicorum odio, nimium tribuas. His
metaphoris ſacræ ſcripturæ admodum familiaribus, habes ſaluberrimam ſapientis do-
ctrinam: quæ cor, os & oculos, pedum denique greſſus exornat, & in uirtutum ſemita ad
deſtinatum ſcopum dirigit, hoc eſt, perfectam rerum diuinarum ac humanarum cogni-
tionem, quam ſapientiam etiam philoſophi prophani, uocant: tametſi illis deſint oculi,
quibus abſq; omni obliquitate decernant. & idcirco, Dicẽtes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti
ſunt, Roma. 1. Cum, quod uera ſapientia dictat, non ſicut Deum glorificauerunt. Salo- I
mon igitur ab huiuſmodi fucata ſapientia filium ſuum reuocans, ſub accommodatiſsi-
mis legitimæ uxoris, & ſcorti metaphoris, in exordio capitis ſequentis diligenter admo-
net, ne ſapientia ingenua relicta, quæ fortaſſe iuuenili animo duriuſcula uideatur, adul-
terinam illam quamlibet blandam amplectatur: nam fucata illa blandicies tandem
ad perniciem tendit. Sed ipſum Salomonem loquentem audiamus.

CAPVT QVINTVM. K

FIli mi, attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua conſeruent. *Heb.* Ad cuſtodiendas cogitationes, & ſcientiam labia tua ſeruabunt.

Ad moralem philoſophiam inuitat, cuius difficilis & moroſus auditor eſt iuuenis, ut ſupra diximus, & proinde excitat auditores crebris huiuſmodi clauſulis, inquiens: *Fili mi, ad ſapientiam meam attende.*) in Hebræo non ſimpliciter dicit attende, L
ſed cum emphaſi, ſummo ſtudio, & diligenter attende (energiam huiuſmodi in Hebræo
uerbo habemus) intelligentiæ meæ libenter aurem accõmoda, cuius præcipua pars eſt,
ut omni cuſtodia animam ſerues à cogitationibus malis, & ſapientiæ meæ repugnanti-
bus. Cogitationum prima habenda eſt ratio, & primo concipienda eſt in animo per pru
dentes cogitationes hæc ſapientia, per quam Hebræi legem Moyſi intelligunt, nos euan
gelicam, cuius ſcientia, cogitationibus & labiis, hoc eſt fide & confeſsione ſeruanda eſt.
Aliter, ſapientia Salomonis, & ſcientia recte intelligitur, quam partim audiuimus, par-
tim mox audiemus: nam admonitio ad ea quæ ſequuntur referenda uidetur, de mulie- M
re fallaci cauenda.

» NE INTENDERIS fallaciæ mulieris, fauus enim diſtillans labia me-
» retricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouiſsima autem illius amara quaſi ab-
» ſynthium, & lingua eius acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt
» in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant. Per ſemitam uitæ non am-
» bulant, uagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles. *Heb.* Quanuis fauum diſtil-
» lent labia alienæ, & oleo lenius ſit palatum eius, tamen nouiſsimi eius ama-
» rum ut abſynthium, acutum uelut gladius. Pedes eius deſcendunt ad mor-

tem,

A tem,ad infernũ greſſus qui eam ſuſtentant. Viam uitæ forte ponderabis:mo- Cap.5.
» tæ ſunt uiæ eius,non cognoſces.

Ex ſeptuag.non ex Hebręa ueritate ſunt hęc uerba,nẽpe,Ne intẽderis fallaciæ mulieris, μὴ πρόσχῃς φάυλῃ γωναικί. Qui ni fallor offenſi hac particula rationali כִּי,nam: Nam fauum diſtillant,cùm nihil præceſſerit cuius rationem redderet, aliquid ſupplendum putabãt: Nos non citra doctiſsimorum authoritatem aliter uertendo, nempe(quanuis diſtillent)uoluimus huic incõmodo occurrere,quanuis alioqui recte refertur hæc clauſu-
B la,Nã labia alienę diſtillabunt,ad id quod proxime præceſsit,nempe,Labia tua ſciẽtiam ſeruabunt,ne ſup. decipiaris blãditiis, nam labia alienæ & quæ ſequuntur. Per alienam cuius tam blãda ſunt labia,ut uel fauo mellis cõparari poſsint, alij inanem & infrugiferam philoſophiam, alij hæreſim, alij denique carnis ille cebras intelligunt. Poteſt locus iuxta ſenſum hiſtoricum,de inſano muliercularum amore & libidine,non inepte intelligi. Hæc omnia ſapiẽtiæ Dei uel ex diametro pugnant, quem in Salomone loquentem audimus,cũ dicat, Attendite ſapientiæ meæ,non deliciis carnis, nec uoluptatibus huius uitæ,non opibus cumulandis, non honoribus,quæ ex mundana ſunt ſapientia & carna-
C li:quibus in rebus ſtatim mira nonnunquam amœnitas offertur,quæ uideatur uel fauo, uel oleo,quod ſine ſtrepitu & ſtridore defluit,conferenda. Quaſi diceret Salomon, Imprudens iuuentus deliciis ſeduci ſolet,tu mi fili, exitus rerũ,non initia perpende. Omnia amœna,omnia iucunda nobis pollicetur caro:cuius deſideria ſi ſequamur, poſtrema illius quouis abſynthio amariora experiemur. Fæces enim peccatorũ,& uermem conſciẽtię poſt mundanas uoluptates relinquit. *Lingua eius acuta uelut gladius biceps:*) hoc eſt,tentationes ſunt uehementes,quibus ad uoluptatem trahimur, quouis gladio utrinq; acuto magis lacerant,ac cruentant animum,rebus impudicis & inhoneſtis deditum. *Cuius pedes ad mortem properant.*) Miſerrima conditio eorum qui brutam & uoluptuariã agũt
D uitam,qui deſideriis & affectibus ueluti pedibus ad mortem animæ deſcendunt: & qui ſequuntur greſſus huius mulieris à uera ſapientia alieniſsimæ,ad infernum trahuntur, unà cum epulone euangelico, Luc. 16. qui cum nihil aliud quàm genio & carni indulgeret,extraneam mulierem,uidelicet amplexatus,ſepultus eſt,& cætera. Per ſemitã uitę non ambulant,uiam arctam & parum tritam pedes carnis non frequentant, ſed latam uiam quæ ducit ad perditionem. *Vagi ſunt greſſus eius.*) uoluptatis & deſideriorum carnalium uarietatem,& inconſtantiam ſignificat. Quod ſi cui magis arrideat iſta deflectere ad doctrinam à recta fide & ſapientia euangelica alienam, quæ blanda ſolet eſſe, & Turcarum more multa carni tribuere, ſuo utatur quiſque iudicio. Vltimus ex his uerſi-
E culus longe aliter ſe habet in Hebræo,ut ex noſtra uerſione patet. Abẽ Hezra putat aliquid deeſſe ad plenũ huius uerſiculi ſenſum,& ſupplet ad hũc modũ. Semitã,n qua uita reponitur,ſi forte ponderaueris,ab illa ſemita moti ſunt,qui ſequuntur greſſus illius extraneæ. uel uia illius remota eſt ab illa uia uitæ, *non cognoſces:*) quaſi dicat, nulla eſt ſimilitudo inter uiam uitę,& uiã huius alienæ. Alius ſic,Ne põderaueris uias illius,quaſi ex illis poſsis eligere ſemitam uitæ: nam omnes uiæ illius mouẽt(ut eſt in Hebræo)pro ducunt ad mortem,& nihil habent commercij cum uita, neque poteris ex illis quicquã boni elicere. Alij non ad externam mulierem, ſed ad legem referunt,& ad uerã ſapien-
F tiam:Semitã uitæ,quã uera ſapientia tradit, ſi forte põderaueris, ut intelligas, uiæ illius motæ ſunt,& longe à ſenſibus humanis abſunt,neq; poſſunt priuato iudicio,& iuuenili animo ponderari neque cognoſci. Non cognoſces quanuis ponderaueris, ſed ſpiritu Dei opus eſt. Neque uoluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti homines,2. Petri.1. Leui Bengerſõ ſic,Si cogitaueris,& ſit ſpes ut ponderes ſemitam uitæ, ut dirigaris ad eam, certe longe recedendum eſt à uiis alienæ,quæ omnino remotæ ſunt à uiis uitæ,& non poteris ſcire illas:hæc ille. Locus eſt difficilis,ut in Hebræo habetur: utcunque, ſenſus bene quadrat, ſi legantur hæc uerba, ne forte ponderes,uel ſi forte ponderaueris,per parentheſim:& erit ſenſus, A ſemita uitæ(ne forte ponderaueris aut cogitaueris aliquid boni ex illis)uiæ huius externę ſunt re-

motæ, non cognoſces aliquid ſup. bonum uel honeſtum in illis, quantumuis dulcia & amœna uideantur uerba illius, quibus ad mala pertrahuntur homines. Dauid Kimhi per interrogationem, uel admirationem legendũ putat: & ad mulierem alienam refert uerbum Hebræum תפלס quod eſt ambiguum, & uel ſecundæ uel tertiæ perſonæ intelligitur. Et erit ſenſus iuxta eum, Viam uitæ, num forte ponderabit? quaſi dicat, putas ne fore, ut ponderet uel expendat greſſus ſuos? nequaquam, & cætera. G

» NVNC ergo fili mi audi me, & ne recedas à uerbis oris mei. Lõge fac ab ea
» uiam tuã, & ne appropinques foribus domus eius. Ne des alienis honorem
» tuum, & annos tuos crudeli. Ne forte impleantur extranei uiribus tuis, & H
» labores tui ſint in domo aliena. uel, & ſubſtantiæ tuæ ſint in ædibus alienis.
» *Heb.* Sed nunc filij audite me, & ne declinetis à uerbis oris mei. Et ne prope
» accedas ad portam domus eius. Ne forte dederis alienis honorem tuum, &
» annos tuos crudeli.

Aequum eſt ut filij adhuc rerum imperiti patri obediãt, & à maioribus natu doctrinam capiant. Nullis igitur technis aut fraudibus uel blanditiis illecti, recedatis à uerbis oris I
mei, moneo iterum atque iterum, ut unuſquiſque ueſtrum quàm longe abſit ab hac extranea muliere, quæ cum ſapientia nihil commercij habet: ſiue externum hominem &
1. *Cor.* 2. animalem, qui non ſapit quæ Dei ſunt, intelligas, hoc eſt eam animæ portionem & potentiam, quam cum brutis habemus communem: ſiue hęreſim, ut diximus, aut eam philoſophiam quæ Dei ſapientiæ aduerſatur: ſiue denique iuxta literam, mulierem adulteram, & impudicam, quę iuuenibus maximam cladem uirtutis, & honeſtatis morum, ſolet afferre. De his omnibus ueluti malorum omnium una matre, & una extranea muliere licet intelligere quod dicitur, *Longe fac ab ea uiam tuã.*) noli uel in publica platea, cũ aliena hac muliere incedere: aut potius, quam plateam frequentare noueris eam, tu declina, tu per aliam quàm remotiſsimam incede, neque unquam ad fores illius accedas. K
Multum eſt hac imbutum eſſe opinione iuuenem, uſqueadeo peſtiferam, uſqueadeo impudicam eſſe hanc mulierem, ueræ ſapientiæ inimicã, ut obuiã habere, uel ædes illius conſpexiſſe ſit nephas. Neque enim aliud ſatis efficax remedium imperito iuueni adhiberi poteſt, niſi ut quàm longiſsime fugiat impudicam mulierem, & hæreticam prauitatem: Fugite fornicationem, inquit Paul. 1. Cor. 6. ne uictus & ſuccumbens carnis deſideriis, dederis robur tuum, non rebus honeſtis, hoc eſt, non ſapientiæ neque uirtutum ſtudiis, quibus ut incumberes, ingenij uires accepiſti, ſed has dotes alienis impertias, nõ domeſticis. quaſi diceret, In paternis ædibus honorem es aſſecutus, & ingenij uires & L
corporis dotes, & animæ à pientiſsimo patre, qui egregiam ſubſtantiæ portionem tibi largitus eſt, quam peregre profectus & luxurioſe uiuendo, cum filio prodigo, & hoſte humani generis, uideris honorem tuum alienis, quantum in te eſt, largiri, patrem dedecore afficere. Vel, alienis honorẽ dare, eſt honorem amittere, dum rebus uel hominibus alienis à ſapientia inſeruis: uel denique honorem in repub. tibi debitum amittere, & aliis facultatẽ occupandi præbere, dum relictis honeſtis artibus, meretricio uacas amori, & annos tuos, hoc eſt iuuentutis tempus, quo nihil habes pretioſius, dare crudeli, hoc
eſt infenſiſsimo humani generis inimico, dum uni ex ciuibus externæ ciuitatis adhæ- M
rens, ad ſiliquas porcorum adigeris. Si ſimplicem literam malis ſequi, intelligens Salomonem ſuum filium deterrere ab illicitis mulierũ amplexibus, ſic habe: Qui legitimo coniugio contempto cum fornicaria uiuit, non legitimis liberis procreandis uires inſumere uidetur, & precioſum tẽpus quod ſuis educandis & erudiendis oportuerat impendere, totum crudelis mulieris imperio largitur: ſuis ædibus uacuis relictis, omnes opes in alienas cogitur transferre. Nã ſunt ex Hebræis, qui per annos opes, quas annis anteactis cumulaſti, aut uitam ipſam quam crudeli marito adulteræ cogitur dare, aut crudeli ſententiæ iudicis, qui iuxta præſcriptum legis adulteros condemnat: atque ita tandem ſera pœnitentia ductus, quod doctrinam meam ſpreueris, ad hunc modum fruſtra conqueri cogeris,

A ri cogeris, ut ſequitur.

„ ET GEMAS in nouiſsimis,quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus Cap.5.
„ tuum. Et dicas,cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non ac-
„ quieuit cor meum: nec audiui uocem docentium me, & magiſtris non in-
„ clinaui aurem meã. Pene fui in omni malo,in medio eccleſiæ & ſynagogæ.
„ *Heb.* Et rugias in nouiſsimis tuis,cum conſumpta fuerit caro tua, & corpus
„ tuum,& dicas quomodo odio habui diſciplinam, & increpationem ſpreuit
B cor meum,& non audiui uocem doctorum meorum, neque inclinaui præ-
„ ceptoribus meis aurem meam? Parum aberat quo minus fuerim in omni
„ malo,in medio eccleſiæ & congregationis.

Quid ſupereſt,cùm honore, uiribus & opibus te deſtitutum cernis, cùm tempus tuum male collocatum,neq; ullum ex laboribus fructũ te conſequutum eſſe uides,ſed ad egeſtatem,ad inediam te redactum, imò conſumptam eſſe ætatem,carnem emarcuiſſe,corpus effœtum,uiribus deſtitutum,animam uirtutibus & bonis artibus ac ſapientia penitus uacuam (quæ mala contingere ſolent his, qui iuuentutem luxu & libidine corrum-
C punt) Quid ſupereſt (inquam)niſi ut gemas in nouiſsimis, uel iuxta Hebræum,rugias, atque dicas,Cur deteſtatus ſum diſciplinam?Quare nõ obtemperaui optimi patris monitionibus?Quare diſciplinam exoſam habui, ſequutus mulierem extraneam? Quare nolui audire uocem doctorum, neque præceptoribus aurem accommodare uolui? ne uocem quidem doctorum meorum potui audire, tantum aberat ut parerem bene monẽtibus. Futurum eſt fili,ut huiuſmodi pœnitentia,ſed ſera,poſt hanc uitam ducaris,niſi ſup.ſtatim admonitus, pericula prius intelligas, quàm experiaris, & ſup. prius quàm dicas,Fere fui in omni malo, parũ aberat quin funditus perierim:non inter infideles &
D hoſtes fidei,imò in medio eccleſię,& in congregatione fidelium.Hic uerſiculus nempe, Fui in omni malo,aliter ab omnibus fere exponitur,nihil ſubaudiendo,ſed ut ſit oratio continuata patris,qui recitat & ob oculos ponit filio,quid olim dicturus ſit, ſi amoribus extraneę captus, diſciplinã ſpreuerit: nempe dicturus eſt(inquam)Pater,illa quæ præcedens ſermo complectitur, & illud, Pene fui in omni malo,propemodum incidi in extraneam calamitatem. Sed hæc expoſitio reddit locum difficilem, & ſuperioribus fere contrarium.Nam qui iam faſſus eſt ſe periiſſe funditus, quòd ad honorem, hoc eſt animam ſpectat,quòd ad corpus & fortunas,quomodo quadrat, ut dicat,ſe fere incidiſſe in omne malum?Huic igitur difficultati,triplici expoſitione occurrimus. Quarum prima
E eſt,quam attulimus, uidelicet ut ſint uerba patris ex ſua perſona loquentis, & hortantis filium,non amplius recitantis quid olim dicturus ſit filius, & ut ſubaudiantur hæc uerba,Melius eſt fili ut dicas,reſipiſcens tempeſtiue,& periculum uidens:Fere incidi in hęc omnia mala,auulſus de medio eccleſiæ, & piorũ hominũ cœtu.Secunda expoſitio erit, ut intelligatur pater recitare uerba filij,quę dicturus eſt in hac uita,& in ultima ſenectute uiribus deſtitutus,& ad paupertatem & miſeriam huius uitæ redactus,tandem dicturus(inquam)quæ ſuperius recitata ſunt, temporaneam uidelicet luens pœnam,gratulatur, ſibi quod gehennam euaſerit, quam intelligit dicendo: Pene fui in omni malo, &
F uix ſupplicium ęternum,quod omnibus malis peius eſt, effugi. Tertia deniq; expoſitio, quæ mihi uidetur contextui maxime quadrare,erit.Si exponamus dictionem כמעט,nõ fere,ut in uerſione uulgari habetur,uel parum abfuit,ut cæteri interpretes, ſed breui, ut ad tempus referatur,ut Pſalmo 20. eandem dictionem legimus uerſam, Cum exarſerit in breui ira eius.Vox ipſa Hebræa מעט parum uel modicum ſignificat, cui annectitur hoc in loco litera ſimilitudinis כף caph, id eſt ſicut,uel quaſi, & ad modicũ tẽpus referẽdo,ex præcedentibus duobus uerſiculis optime pendet hic tertius ſequens:ut ſit ſenſus, Quomodo non auſcultaui uoci doctorũ, & cæt.quomodo tã breui & quaſi modico tẽpore fui,pro incidi,in omne malum, ut puta bonis omnibus ſpoliatus, animæ & corporis,externiſq; rebus,ídque in medio eccleſiæ & cœtus: quaſi dicat, nec monitiones præ-

ceptorum,neque exempla bonorum,quibuſcũ unà uixi, mihi profuere. Abraham Ben Hezra uerbum præteritum pro futuro exponit,ut ſit ſenſus, Breui ero in omne malum: quæ quidem expoſitio omnem tollit ſermonis ambiguitatem. Sunt denique (ne quid omittamus)qui omne malum pro malo culpæ accipiunt. quaſi dicat,Pene commiſi omne nephas:quorum ſententiæ non ſubſcribo,quòd in præcedentibus fiat ſermo dũtaxat de miſeriis in quas fatetur ſe incidiſſe. G

» BIBE aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui. Diriuentur fontes tui fo-
» ras,& in plateis aquas tuas diuide.Habeto eas ſolus,nec ſint alieni participes
» tui.Sit uena tua benedicta,& lætare cũ muliere adoleſcentiæ tuæ. Cerua gra-
» tiſsima, & gratiſsimus hinnulus.Vbera illius inebrient te omni tempore, &
» in amore illius delectare iugiter. *Heb.* Bibe aquas de ciſterna tua, & fluenta
» de medio putei tui.Diuidentur fontes tui foras,in plateas riui aquarũ.Erunt
» tibi ſoli,& non alienis tecum. Erit uena tua benedicta, & lætaberis de uxore
» adoleſcentiæ tuæ.Damula amorũ capreaque gratiſsima.Vbera eius inebria-
» bunt te omni tempore,in amore eius errabis iugiter. H

I

Alienæ mulieris amor ad quantas miſerias adoleſcentes perducat audiuimus,in quas ne filius ſapientis incidat,honorabilis connubij & immaculati thori,Hebr.13.laudes proſequitur.Omnia iucundis & aptiſsimis metaphoris adũbrans, quę tametſi à pleriſq; trãsferantur ad ſenſum ſublimiorẽ,ut puta ad ſapientiæ ſtudiũ, uel ad cæleſtiũ rerũ amorẽ,& ſapientiã euangelicã:nihilominus tamen ſapienti Salomoni res indigna non uidebitur, neq; illius inſtituto alienũ(dum filiũ inſtituit)utranq; uitã depingere: nempe eorum qui ſpreto legitimo coniugio, impudice & libidinoſe uiuunt: & eorũ qui liberorũ amore & poſteritatis,caſtitatẽ coniugalẽ ſequuntur: nam harum rerũ cura iuuenũ animos ſtatim ſolicitari,quis ignorat? Atqui quã neceſſaria ſit, ſana,& ſalubris, his de rebus inſtitutio, ut uel cũ Paulo perſuaſum habeant omnes,Bonũ eſſe mulierẽ non tangere,1.Cor.7.aut cum non omnes capiunt hoc uerbũ,eundẽ audiant detonantẽ: Adulteros & fornicarios perdet Deus,ut unuſquiſq; donũ ſuũ amplectatur,& nõ quod hodie,proh dolor, paſsim fieri uidemus,unuſquiſq; ad alienas,uelut equus,hinniat uxores,Hier. 5.ut hic omittam aliã fuiſſe ſub lege,aliã ſub euangelio uiuendi rationẽ:illa enim in ſeruitutẽ,hęc in libertatẽ generat.Salomon utriſq; ſcribẽs,& utriuſq; tẽporis homines erudiens,ſic ſermonem temperauit,ut & nobis quadret,quibus figura huius mundi tranſiit,ut iã qui uxores habent, ſint tanquã non habẽtes:& illis,quibus ſummũ opprobrium fuit ſterilitas. Nos literalẽ ſiue hiſtoricũ, hoc eſt craſsiorẽ,ſed magis neceſſariũ proſequimur ſenſum, altiorẽ ſubinde noſtro more ſubindicantes. *Bibe aquam de ciſterna tua.*)Honeſtiſsimis uerbis ſcripturarũ more,cõiugij opus & legitimã carnalẽ copulã indicat,quæ ut ciſternarum aquæ & puteorũ ſcaturientiũ,pura & caſta eſſe debet,abſq; omni luto zelotypiæ, aut inſani amoris ebrietate. Recte aquis limpidiſsimis conferuntur nuptię,quòd & ſtultũ amorẽ extinguant,& quòd nõ niſi per aquas fertilitas prouenit.Quemadmodũ enim cælitus irrigata tellus, fructũ cuiuſuis generis copioſiſsimã profert meſſem: ſic ex honeſta maris & fœminæ copula,ſuauiſsima liberorũ pignora,aut potius populorum nationes creuiſſe & inundaſſe uidemus, qui uel ſcaturientibus aquis merito comparari poſſunt. hinc illud quod ſequitur, *Diriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*:) uel per plateas diuiſiones aquarum,ut eſt in Hebræo: quaſi dicat,Si pro conditione carnis muliebres amplexus concupiſcas,non alia de cauſa opus coniugij exerce, niſi ut è tuis ædibus liberorum turba, ueluti fontium ſcaturigines diriuentur foras, qui uicos & plateas ciuitatis tuæ repleant, ex quibus ingẽs ſolatiũ & fœlicitatẽ capias, ut quos uere tuos eſſe noueris, nempe ex caſtiſsima cõiuge procreatos,non ex aliena muliere aut fornicaria, quæ alienos filios tibi fortaſsis obtruderet.*Erit uena tua benedicta,fœcunda coniunx,& benedictionibus uteri fœlix*) de qua merito dici poterit Dauidicum illud Pſal.127. Vxor tua tanquam uitis fructifera in lateribus domus tuæ, Filij tui uelut nouellæ plantationes oliuæ. uena enim

1. *Cor.* 7.

K

L

M

A enim fœcunditatem indicat,quę Dei benedictio eſt:& cauſam habebis ingentis lætitiæ, Cap.5.
tandem grandæuus & prouectæ ætatis,de uxore quam iuuenilibus annis acceperas: ſic
enim in Hebræo legimus, *Et lætaberis de muliere iuuentutis tuæ.*) Alij, iuxta cõpendiũ He-
bræi ſermonis ſic intelligunt,Lętaberis,ſup.de filiis,& de uxore iuuentutis tuæ:uel læta-
beris in filiis de uxore iuuentutis tuæ procreatis:ut reſpõdeat ſuperioribus,ubi dictũ, Et
gemas in nouiſsimis tuis,cum cõſumpſeris carnẽ tuã.Cum legitima uxore gaudebis,ui-
dens carnẽ tuam in filiis ſuo modo renaſcentẽ:ut iam neq; prolis gratia ſit opus pluribus
uxoribus (id quod patribus antiquis aliquando conceſſum fuerat) neq; parum iucundæ
B aut inuidioſæ libellũ repudij dare cogaris: imo *Erit tibi unica uelut cerua amoris, & capreæ*
gratioſa)ut eſt in Hebræo,quæ moribus omnino ſimilibus tibi fidem ſeruat.Ceruæ & ca
preæ, ſiue ibicis(ut Hiero.hãc uocẽ יעלים uertit, 1.Samu.24.)ſimilitudinẽ proponit,uel
quòd in deliciis ſolet eſſe magnatibus hæc animaliũ ſpecies,uel quòd proditũ ſit memo
riæ,in ceruino genere maris & fœminæ cõgreſſum nunquam fieri palam,ſed eſſe ſecre-
tum loco obſcuro.Sequitur:*Vbera illius inebriabunt te.*)Et quẽadmodũ illa numeroſa pro-
le te beatiorẽ ſubinde reddit,ita tuus erga illã amor augebitur: ut iã omniũ aliarũ obli-
tus, uſq; adeo te cum unica ſponſa oblectabis, ut uidearis illius uberibus,hoc eſt amore,
& amplexibus ebrius:hoc enim ubera ex proprietate linguæ ſignificant, neq; more eorũ
C qui ſomno excutiant temulentiã,ſed omni tẽpore & iugiter, ut difficillimũ ſit modũ te-
nere,& iam non ſit periculũ ne alienã quæras,imò cauendũ ne nimio amore erres(ut eſt
in Hebræo)& pecces in amore illius.Cum tam latũ igitur ſit diſcrimen inter inſanas mu
lieris alienæ blandicias,& honeſtiſsimæ coniugis amorem,

„ QVARE ſeduceris fili mi ab aliena,& foueris in ſinu alterius?Reſpicit do-
„ minus uias hominis,& omnes greſſus eius conſiderat.Iniquitates ſuæ capiũt
„ impium, & funibus peccatorũ cõſtringitur. Ipſe morietur quia non habuit
D diſciplinã,& in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur. *Heb.* Quãobrẽ errabis
„ fili mi,cum aliena &(quare)amplexaberis ſinũ extraneæ?Cum coram oculis
„ Domini(ſint)uiæ uiri,& omnes ſemitas eius põderet. Iniquitates ſuæ capiẽt
„ impium,& funibus peccati ſui tenebitur.Ipſe morietur abſque diſciplina,&
„ in multitudine ſtultitiæ ſuæ errabit.

Facta cõparatione & collatione uitæ,cũ extranea muliere,& cũ legitima uxore, utriuſq;
cõmodis & incõmodis ſuo filio ob oculos propoſitis, infert: Cũ ita res ſe habeat,quã ob
rem fili mi,cum aliena errare malis,& delinquere,quã cum tua cõiuge fœlicem ducere
E uitã & honeſtã?Non initia,ſed finis rerũ eſt ſpectandus. Exitus impudici amoris,qui mel-
lis dulcedinẽ præ ſe fert in principio, quouis abſynthio eſt amarior, & ad extremã miſe-
riam perducit,quemadmodũ ſuperius expoſuimus. Quod ſi inobediẽs filius noſtra uer-
ba cõtempſeris,ſi boni & mali,honoris & dedecoris,nullã rationem habeas, poſteritatis
nullum deſideriũ,at ſaltem oculos Dei,quibus nihil eſt occultũ,time, illius iudiciũ con-
tremiſce. *Reſpicit dominus uias hominis.*) In Hebræo, ſermo eſt luculentior, *Coram oculis*
Domini) è regione uel in præſentia oculorũ domini, ſunt uiæ cuiuſuis uiri, ne putes uel
te latere ſi inhoneſte uiuas,uel dominũ laborare inueſtigando,quid agant homines.Nã
F ſi ſoli huic,quę creatura Dei eſt,omnia ſint expoſita,ut illius radios nihil lateat,eorũ quæ
ſuper terram aguntur:quanto magis infinitæ diuinæ cognitioni, omnia aperta eſſe cre-
dendum eſt?*Omnes greſſus hominis conſiderat,uel uias ponderat.*)Hoc eſt,actiones uelut æqua
libra trutinat,mox redditur9 unicuiq; iuxta opera ſua. At tu fortaſſe uix credibile putas,
ut in tantã malefactorũ turbã manus iniiciat:illi deeſſe ſatellites putas, qui ſuo tribunali
ſiſtãt maleficos: aut uincula & cuſtodias,quibus impiorũ multitudinẽ coërceat. Suis ſce-
leribus ueluti quibuſdã truculẽtis ſatellitibus capietur impius,& funib9 ſuorũ peccatorũ
ueluti cõpedibus cõſtringetur.Noli cogitare de fuga: nã quomodocũq; incedit iniquus,
uinctus ſuis iniquitatibus incedit ad certum ſuppliciũ,nõ leue aliquod,quod precio poſ-
ſit redimi,aut facile condonari fauore iudicis. Non agitur de fortunis aut corporis ali-

qua parte truncanda,ſed de animi uita aut interitu. Quicunque enim ad poſtremum il- G
lud Dei opt.max.iudicium uenerit,iniquitatibus ſuis colligatus, morte plectetur æterna,quòd diſciplinam contempſerit,recte monentibus non obtẽperauerit. Inſignis ſtultitia & multiplex,pro momẽtanea uoluptate uitã amittere. Quod ne tibi fili uſu ueniat, oculum Dei,& iudicium time. Quæ iuxta ſenſum hiſtoricum de coniugio honeſto explicauimus,ad ſpirituales nuptias facile poterunt applicari, quas uel mens cum carne, uel filius Dei cum natura humana contraxit, aut denique ad ſapientiæ & ſacrarum literarum ſtudia,quibus copulati copioſam prolem procreare poſsimus, ídque cum ſolida & ſemper uirente uoluptate. Id quod ut omnibus cõcedatur, & ſingulis pro talentorum H
ratione & functione, quam in eccleſia Dei obtinent,orandus eſt potentiſsimus & amãtiſsimus animarum noſtrarum ſponſus dominus Ieſus,cui ſit omnis honor & gloria.

CAPVT SEXTVM.

„ FILI MI, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud ex-
„ traneum manum tuã. Illaqueatus es uerbis oris tui, & captus
„ propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico tibi fili mi,& temet- I
„ ipſum libera,quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre,
„ feſtina, ſuſcita amicum tuum. Ne dederis ſomnũ oculis tuis,
„ nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu,& quaſi auis de
„ inſidiis aucupis. *Heb.* Fili mi, ſi fideiuſſeris pro amico tuo,ſi ſtipulatus fue-
„ ris alieno manu tua. Illaqueatus es per uerba oris tui,captus es per uerba oris
„ tui. Fac hoc nunc fili mi, & eripe te,quãuis ueniſti in manũ amici tui. Vade,
„ pedibus illius proiice teipſum,& honora amicum tuum. Non dabis ſomnũ
„ oculis tuis,neque dormitationem palpebris tuis. Eripe temet uelut damula K
„ de manu,& uelut auicula de manu aucupis.

Iuxta commentarios Hebræorum cum prioribus ſic cõnectuntur quæ præ manibus habemus. Non ſolum ab externa,& aliena muliere labefactantur iuuenum mores,& integritas uitæ,uerumetiam per commercia cum externis & ignotis hominibus,ſolẽt multa damna incautis & parum ſollicitis prouenire: idcirco poſt admonitionẽ illam,hanc ſubnectit,qua filiũ ſuum adhuc imperitũ,& rerũ ignarũ diligenter inſtruit,ne ſe cõiiciat imprudens in alterius poteſtatem,aut aliorum litibus ſeſe implicet. Id quod ſi forte aliquã- L
do uſu ueniat,ſumma cura eſt habenda, nihil non tentandum,ut quàm minimo diſpendio liber euadat. Quandoquidem de coniugio & filiorum procreatione diſſeruit ſapiẽs, quæ res ſine cura rei familiaris recte diſpenſari nequeunt: & cum æs alienum & otiũ ſoleãt homines ad inopiã redigere, iis de rebus peropportune ſuũ inſtituit filiũ,poſt legitimi coniugij mentionẽ,inquiens, *Fili mi ſi ſpopõderis,uel fideiuſſeris pro amico.*) Cõtextus iſte triplici patet expoſitioni,pro ambiguitate Hebraici ſermonis. Nam primo uerti poteſt,ſi ſpopõderis externo homini pro amico. Secundo,ſi ſpoponderis amico tuo,pro extraneo.
Tertio denique ſic reddi poteſt, ſi ſpopõderis amico tuo,& ſi affixeris manum,hoc eſt,ſi M
ſtipulatus fueris etiam externo: ut ſit ſenſus, Si es obnoxius & obligatus tam amico quàm externo. Primũ ſenſum ſequũtur omnes interpretes (quos ego uidi) Hebræi & noſtri: nã pro amicis ſolemus fideiubere,non pro ignotis & extraneis hominibus. Solus Leui Bengerſon,ſequitur ſecundam expoſitionem,nẽpe ſi ſpoponderis amico pro externo & alieno. Atq; huic ſenſui quæ ſequuntur ſatis quadrant,uidelicet captus es,illaqueatus es: plus enim periculi habet fideiuſsio,quam pro externo facimus,quàm illa quæ fit amici cauſa, pro quo etiam libentius ſoluimus,ſi fuerit opus. Cæterum mihi tertius non diſplicet ſenſus,nempe ut particula אם, hoc eſt ſi,in ſingulis clauſulis ſubaudiatur, ad hunc modum: ſi fideiuſſeris amico, ſi affixeris manum extraneo,ſi illaqueatus es,ſi captus es,& cætera.

Porro

A Porro debet, mea quidem ſententia, litera למד lamed, utroque in loco in propria ſignificatione capi, uidelicet ut ſit ſignum dandi caſus, & non, ut primo loco ſignificet pro: ſecundo loco, apud, quēadmodum reddidit interpres noſter, nempe pro amico, & apud extraneum. Cum utrobique ſit litera למד lamed. Atqui ita ſenſus maxime quadrabit, qui talis erit: *Si amico tuo ſpoponderis*) ſup. pro aliquo: *aut ſi extraneo ſtipulatus fueris, pro teipſo.* (uel, pro alio ſup.) *& manum illi dederis. Si illaqueatus es uerbis oris tui, ut auis laqueis: uel ſi captus es uerbis, ut damula retibus:*) hoc eſt obnoxius es, & ære alieno uel uſura obligatus: liber non es, non es tui iuris, periclitaris, ne uel ad paupertatem, uel ad ſeruitutem rediga-
B ris: quod potius quàm tibi eueniat, omnia prius ſunt tentanda. Fac hoc nunc quod dico, utere meo conſilio, ante omnia da operam ut liber ſis: ſub manu ueniſti amici tui, penes eum eſt tua libertas, tu imperitus rerum putabas te uerbis non poſſe ligari, ſed obligatus es uerbis oris tui. Magna cautione opus eſt, lites ſectari non debes, neque ex amico inimicum facere, ſed ſummam oſtende humilitatem: uſque adeo, ut uel illius pedibus proſtratus, ores eum. Sic enim in Hebræo legimus לך התרפס ורהב רעיך uade, procumbe, uel pedibus illius proiice te, & honora amicum tuum. Alij interpretantur ורהב non honora, ſed multiplica amicos tuos (Hiero. ſuſcita) hoc eſt, multos alios interceſſores te-
C cum adduces: ſuborna amicos plurimos, qui pro te interpellent, uel preces multiplica, ut poſsis impetrare quod moliris. Poſſunt hęc referri uel ad amicum pro quo fideiuſsiſti, uel ad externum melius, cui es pro amico obligatus. *Non dabis ſomnum oculis tuis, neque dormitationem palpebris tuis.*) quaſi dicat, hæc ſunt ſummo ſtudio & uigilantia agenda, & tempore opportuno: nam qui rebus urgentibus occaſionē prętermittit, nihil aliud quàm dormire ſocordia dicitur. *Eruere quaſi damula, & quaſi auis de manu aucupis.*) Sunt hæc animalia timidiſsima, quæ niſi ſua libertate inſyluis uiuant, ne uiuere quidem ſe putant, & capta totis uiribus die ac nocte auolare, & ſeſe eripere ſtudent. Tu non minore ſtudio da operam, te in libertatem aſſerere ab ære alieno, aut uſura, aut huiuſmodi rebus geſtis & contractis, quibus ad inopiam redigaris. Sed ne quis hanc expoſitionem noſtram repre-
D hendat, quaſi nimis humilem, & mundanam potius reſipientem prudentiam, quàm cæleſtem, cuiuſmodi à ſapientiſsimo Salomone traditam aſſerimus, hoc adiicimus: huius admonitionis ſcopum eſſe, ut lites fugiamus, humilitatem ſectemur in rebus agendis, alios honore præueniamus, iuxta Paulum, quauis alia uia ab ære alieno nos eripere ſtudeamus, quàm litibus & odiis mutuis noſmet implicemus: qua doctrina, quæ poſsit pro conditione rei eſſe ſalubrior? Quod ſi ſenſum ſublimiorem quæris, ſpondet unuſquiſq; pro amico, hoc eſt pro appetitu ſuo, & exteriore homine, ſtipulamur in baptiſmate legi ſeruandę, quæ extranea eſt. Aliter, amico, hoc eſt Chriſto, contra extraneum, hoc
E eſt diabolum, affiximus manum, qua obligatione quantum periclitamur, ne non præſtet mēs & animus debitum, ad diem præſcriptum, nemo eſt qui neſciat: & proinde uigilandum eſt. Iuxta allegoriam, Qui curam animarum ſuſceperunt, amico ſpopōderunt pro extraneo: defixerunt manum, illaqueati uerbis ſuis cum ſint, pro liberatione ſua omnia facere debent, quæ lectio præſens complectitur: diſcurrere uidelicet & feſtinare, non dare ſomnum oculis nec dormitationem palpebris, diſcurrere, feſtinare, uel ut Hebræi legunt, proiicere ſe ad pedes amici, nempe Chriſti, pro quo ſpoponderunt illum ſedulis precibus orando honorare, & dare operam eripi, ne ſanguis ouium quæ pereunt, de
F manibus illorum requiratur.

» VADE ad formicam ô piger, & conſidera uias eius, & diſce ſapientiam.
» Quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat ci-
» bum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat. *Heb.* Vade ad formicam
» ô piger, uide uias illius, & ſapiens eſto. Cui non eſt præfectus, exactor, aut
» dux. Solet parare in æſtate panem ſuum, colligit in meſſe cibum ſuum.
»

Facilis eſt intelligentia horum uerſuum, quibus ab otio & pigritia reuocat ſuum filium ſapiens. Atqui in hunc ſermonem poſt ſuperiora recte diuertit, in quibus de ſolicitudi-

Cap. 6.

ne & uigilantia facta eſt mentio, uirtutibus uidelicet patrifamilias maxime neceſſariis. G
A formica capit exemplum, à qua ſuperari turpe fuerit hominem prædituṁ ratione, natum ad laborem. Vade, inquit, quiſquis es otio torpeſcens, nullo aliorum hominum exemplo, neque agricolarum, neque artificum prouocatus, ad formicam ſaltem, minimum inter cętera animantia: uide uias eius, quanta ſedulitate uictum tempeſtiue parat in ſequentem hyemem: ut ſi non meis uerbis, non aliorum exemplis, ſaltem illius induſtriam conſiderans, ſapiens euadas. uel, ſapiens eris, imperandi modus pro futuro: ut tua ſponte & nulla neceſsitate coactus, honeſtis ſtudiis & bonis operibus animum applicare queas, antequam egeſtate premaris & inopia. Si hoc animal uſque adeo exiguum, cũ H
ducem non habeat, qui uiam præmonſtret: neque exactorem (ut eſt in Hebræo) qui penſum operis cogat reddere: nec denique principem, qui caſtiget & torqueat inertem: nihilominus parat in æſtate panem ſuum, prouida futuri, congregat in meſſe cibum ſuũ, ut partis fruatur rebus, cum contriſtauerit Aquarius annum (ut inquit Horatius) magno ſtudio undique colligens grana, & recondens tanta prouidentia, ut ſeruari poſsint: ſubinde ad ſolem exponens annonam, ſi quando putrefactionem timet: & ſub tempore ſementis uerita ne renaſcantur grana, molliter corrodere perhibetur: neque omnia ſtatim deuorat, ſed paulatim, temporis rationem habens, nobis in memoriam reuocans il- I
lud, Venit nox quando nemo poteſt operari, Ioan. 6.

» VSQVEQVO piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? Pau-
» lulum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus tuas, ut
» dormias. *Heb.* Parum ſomnorum, parum dormitationum, parum com-
» plexus manuum ad iacendum. Et ueniet tibi quaſi uiator egeſtas, & pau-
» peries quaſi uir armatus. *Heb.* Et ueniet ut uiator paupertas tua, & indigen-
» tia tua ut uir clypei. K

מעט paululum poteſt uerbaliter accipi, & uerti, Minue ſomnos, minue dormitationem, minue complexum manuum. Exemplo formicæ fugiamus oportet otium, niſi uelimus ad paupertatem & inediam redigi. Quod ne ſuo filio uſuueniat, acriter commonefacit, & quaſi dormienti aſtaret, è ſomno excitaturus hominem, clamat, *Vſquequo piger dormies? quando è ſomno tuo ſurges?* egregiè ob oculos ponens ſomnolenti & pigri hominis ſocordiam, qui nullum ſibi præſcribit iacendi tempus, ſed frequenter expergefactus, rurſum in ſoporem labitur: & dum nullis rebus honeſtis intendit animum, totos dies ſtertit atque noctes. Cum tamen ita natura comparati ſumus, ut haud ita magno aut prolixo L
ſit opus ſomno: imò parum ſomni (ut eſt in Hebræo) ſup. opus eſt, parum dormitationũ, exigua complicatio manuum, ad dormiendum (cum coniuge) ſubaudiunt Hebræi, ut alibi ſcriptum eſt, Tempus amplexãdi, Eccle. 3. uel ſimpliciter morem pigri hominis expreſsit, qui in alios uſus, manus non uidetur habere, quàm ut dormiendo ſua latera complectatur. *Et ueniet quaſi uiator egeſtas.*) Huius uerſiculi duplex eſt ſenſus. Primus, ut ex prę-
cedentibus pendeat, ad huius hominis pigri ędes & familiam uenit paupertas, & inopia omnium rerum, quaſi uiator, hoc eſt magnâ feſtinatione. *Quaſi uir armatus*) ſiue (ut eſt in Hebræo) quaſi uir clypei, aut uir ſcutatus, hoc eſt magna audacia & impetu, ut non M
poſsis obſiſtere, præſertim diſſolutus & molli ſomno aſſuetus. Quaſi dicat, Si per negligentiam & inertiam tuam obrepat tibi egeſtas, quî poſsis paupertatis tyrannidem ex ædibus eiicere ſomno indulgens, neque ullam artem honeſtam exercens? Alia erit huius uerſiculi intelligentia, ſi priorem quaſi admonitionem intelligamus, ſic, Noli ſomno indulgere, nam modico opus eſt ſomno, modica dormitatione, &c. Quòd ſi feceris, non ueniet egeſtas uel defectus, niſi raro, & obiter tranſiet ut uiator, qui non uenit commorandi cauſa, ſed ut ulterius proficiſcatur. Neque rerum defectus ueniet, niſi uelut uir bel li, qui uel nos excitat, & cautiores reddit: uel, nos propugnãdi cauſa & defendẽdi uenit. Sic indigentia rerum, & annonæ caritas laborioſis agricolis quandoque contingit, quæ bonis uiris nihil aliud quàm uirtutis materiã ſubminiſtrat. Prior explicatio eſt melior.

HOMO

A HOMO apoſtata uir inutilis,graditur ore peruerſo, annuit oculis,terit pe- *Cap.6.*
„ de, digito loquitur, corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſe-
„ minat. Huic extemplo ueniet perditio ſua,& ſubito conteretur, nec habebit
„ ultra medicinam. (*hunc locum Hebræi ſic diſtinguunt per uerſiculos.*) Homo Be-
„ lial uir iniquitatis,incedens peruerſitatibus oris, annuit oculis ſuis,loquitur
„ pedibus ſuis,docet digitis ſuis.Peruerſitates in corde ſuo machinatur malus
B omni tẽpore, lites mittet. Idcirco ſubito ueniet calamitas eius, repente con-
„ teretur,& non erit ſanitas.

Homo apoſtata, בליעל Belial,Hebraice compoſita dictio eſt,& uariã habet etymologiã: ſine utilitate,uel iuxta alios ſine honore ſignificare poteſt,ut in ſequentibus latius dicemus.Talis eſt piger de quo ſuperior ſermo tractauit. Sed fere qui piger eſt & inutilis ſibi & aliis, in alia maiora uitia prolabitur, præſertim obtrectationem, quod Paulus uitio uertit iunioribus uiduis, quæ circumeunt domos, non ſolum otioſæ, ſed & uerboſe & curioſe loquentes quæ non oportet, 1. Timo.5. Verboſi,detractores,irriſores fere ſunt,
C qui nullis honeſtis occupationibus applicant animum. Hinc ſapiens otioſo & inutili homini hæc uitia attribuit, inquiens: *Homo inutilis* (eſt etiam fere iniquus) *graditur ore peruerſo*:uel tranſiens(ut eſt in Hebræo) hoc eſt de malo in malum progreditur, uſqueadeo ut non ſolum corde & ore, ſed ſingulis fere corporis partibus peruerſe loquatur, nihil pium, nihil modeſtum præ ſe ferens: ſed oculo nutat, pede loquitur,etiam digitis docet.Quanuis peruerſitates loquatur ore & mendacia ad ſubuerſionem audientium, 2.Timot.2.nihilominus tamen more eorum,qui ueritatem aſſerunt,oculis ſuis & uultus conſtantia ſermonem nititur confirmare, & pedum ſuorum inceſſu, hoc eſt modeſti corporis habitu,& grauitate perſonæ,digitorum denique motu ueritatem tegit.Homo iſte Belial,hoc eſt ſine utilitate,uel ſine honore,uel iuxta D.Hierony.ſine iugo,aut apo-
D ſtata denique,& ſui deſertor inſtituti,nullus rectius intelligitur quàm hęreticus,qui oculis ſuis, hoc eſt ſcientia ſcripturarum: pedum inceſſu, id eſt piis affectibus: & digitorum motu,hoc eſt bonis operibus, quæ ſunt ueſtimenta ouium, pietatem ſimulare nouerit, cum in corde peruerſitates habeat,& malum machinetur,lites & diſſenſiones facile mittet inter fideles.Quod ſequitur(iuxta Hebræum) peruerſitates in corde ſuo machinatur malus,ueritati uidelicet cõtrarias,idque non leuiter,neque per occaſionem,ſed ſemper & perpetuo talibus ſtudiis incumbit. En tibi finem & exitum quo pertrahit pigritia, nẽpe ad ſeminandum diſcordias inter fratres. Sed ulterius non proficient, imò ſubito ue-
E niet illius perditio,repente conteretur ad inſtar uaſis fictilis,ut nullo modo poſsit ſanari, hoc eſt inſtaurari.quaſi diceret,honeſtis ſtudiis & artibus impiger animũ applica,ſi non uirtutis amore,quod boni faciunt, at ſaltem formidine pœnæ, ne paulatim ad uitia declinans ad extrema malorum peruenias.Quorum aliquot, ſequens lectio declarabit.

„ SEX ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius, Oculos
„ ſublimes,Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium ſanguinem,
„ Cor machinans cogitationes peſsimas,Pedes ueloces ad currendum in ma-
F lum, Proferentem mendacia teſtem fallacem, Et eum qui ſeminat inter fra-
„ tres diſcordias. *Heb.* Sex iſta odit Dominus, & ſeptimum abominatio ani-
„ mæ illius,uel ſeptem abominationes animæ eius.

Cum ſuperius facta ſit mentio malorum uiri Belial,ad quæ per otium & pigritiam ſolẽt homines deuenire, & meritas pœnas luere, catalogum grauiſsimorum criminum ſubiicit,inter quæ uel omnium grauiſsimum, & quod dominus execratur maxime,eſt lites ſeminare inter fratres. Sunt qui ſic exponunt locum, *Et ſeptimum deteſtatur anima eius*:) ſeptem eſſe abominationes, uidelicet, ubi ad ſex priora ſeptimum illud accedit, omnia prorſus reddit execrãda. In oculis elatis ſuperbiam exprimit,quòd oculis faſtus quidã, &

arrogãtia potiſsimũ declaretur. quod malũ uel in quouis homine, quãlibet cæteros ſeu corporis dotibus,ſeu animi bonis præcellat, uehementer deteſtãdum eſt: nam terra & cinis quî poſsit ſuperbire? Ab oculis,qui inter ſenſus ſupremum locum obtinent, ad os & linguam deſcendit,quam iuxta Hebraiſmum, non linguam mendacem, ſed mendacij appellat,quod uitium Deo maxime aduerſatur,qui eſt ipſa ueritas.tertium locum habent manus,quas habemus ad iuuandos alios,ad tuendos innocentes,quibus ſi quis uſqueadeo abutatur,ut non ſolum damnum inferat, ſed homicidium perpetret, & innoxium ſanguinem effundat, grauiſsimum crimen committit, & diuino proſequendum odio.Sed ne quis manibus duntaxat patrari homicidium exiſtimet,& cætera flagitia externáque opera ſolum damnari, de malis cogitationibus ſtatim ſubiicit, *Cor machinans cogitationes peſsimas.*) Neque ſine cauſa quartum locum cordi tribuit, ſeptem annumerans flagitia, quorum omnium à corde,tanquam à fonte,initium eſt & origo: quod innuens ſapiens, medium locum tribuit cordi, utrinque tribus ſceleribus collocatis: neque ſimpliciter dicit cor cogitans malum, nam quis poteſt dicere mundum eſt cor meũ? Prouerb.20.ſed illius animum execratur dominus,qui ex induſtria & dedita opera, malum comminiſcitur.Quintum locum pedes ſortiuntur,qui feſtinant ad malum: uelocitas & curſus affectionem animi, & intentionem corruptiſsimã indicant.Labi in malum carnis fragilitate,ac mundi blanditiis trahi,& uiolentia quadam impelli,humanæ infœlicitatis eſt,& hominis uenundati ſub peccato ſtatus eſt & conditionis, Rom. ſeptimo. Summa uero alacritate lætari cum malefeceris, & plenis affectibus ad malum currere, Deo eſt execrabile & odioſum Dei. Mendacij & uanitatis multæ ſunt ſpecies, quarum duas maxime peſtiferas, in hoc malorum catalogo connumerauit ſapiens,nempe linguam mendacij, quæ ueritatem ipſam qui Chriſtus eſt,aut omnino ut Iudæi, aut in parte ut hæretici, non confitentur: ſed loco ueritatis mendacium confingit: altera quæ cum damno & ruina proximi mentitur,quam dominus meritò odio habet.Quid enim refert, manu an lingua ſanguinem innocentem fundere?Nam qui teſtimonio falſò iudicium ſubuertit, & uel bonis externis, uel uita innocentem ſpoliat, latro & homicida eſt habendus: dum iudici ſpoliandum aut interficiendum tradit, non ſolum in priuatum hominem peccat, ſed in publica ciuitatis iura grauiter delinquit. In lege Moſaica multa ſunt præcepta, quibus effrenatos obſtinatæ gentis animos, à ſceleribus cohibere uoluit Deus: ſed nulla ſunt prorſus à quibus magis cauere oportet, quàm ab his criminibus, quæ ſeueriſsima Dei ſententia damnata ſunt, & quæ ille clementiſsimus & ab omni odio longe alieniſsimus, graui tamen odio proſequitur: ut puta ab inimico in agro dominico ſeminata,Matt.13.Tu fili ne quid committas eorum quæ illius odium merentur. Et ante alia, ne lites & diſcordias ſemines inter fratres: quorum unus eſt dominus, una fides, qui unico charitatis uinculo ſunt coniuncti, qui uno lauacro ſunt renati, qui de uno pane & uno calice participant, qui uno matris eccleſiæ gremio fouentur. Hos inquam uel perniciosis dogmatibus, uel obloquiis, aut quacunque arte diuellere ac diſtrahere ueluti membra à capite, & reliquo corpore dilaniare, omnium eſt grauiſsimum ſcelus, & diuinæ clementiæ maxime repugnans,quæ nos omnes tãquam filios in gloriam adducere molitur unanimes: proinde illius animo hoc malum maxime diſplicet, quare cum reliqua odio proſequatur, hoc execratur & abominatur malum. Vide tandem quo ſermonem de inertia inſtitutum deduxit ſapiens,nempe ut oſtenderet ex otio quanta mala naſcantur, iuxta illud: Multam malitiam docuit otioſitas,Eccle.33.Sequitur

" CONSERVA fili mi,præcepta patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ.
" Liga ea in corde tuo iugiter,& circunda gutturi tuo.Cum ambulaueris gra-
" diantur tecum: cum dormieris cuſtodiant te, & euigilans loquere cum eis.
" *Heb.*Cuſtodi fili mi,præceptum patris tui,& ne declines à lege matris tuæ.Li-
" ga illa ſuper cor tuum iugiter,colliga ea gutturi tuo. Cum ambulaueris du-

ces

A ces tecum. Cum dormieris cuſtodies ſuper te, & cum expergefactus fueris, *Cap.6.*
„ ipſa loquetur tecum.

In poſtremo ex his tribus uerſiculis ambiguus eſt ſermo:nam תנחה (iuxta ambiguitatẽ Hebraici ſermonis)uerti poteſt,uel ducet ut ad legem referatur,uel duces ſupple legem matris: & אותך te, pro אתך tecum accipitur:uerbum quoque cuſtodiet ſimiliter in Hebræo eſt ambiguum,nam uel in tertia perſona,uel in ſecunda reddi poteſt. Et hæc interpretatio,nempe cum ambulaueris,duces tecũ,& cum dormieris cuſtodies ſuper te legẽ, magis mihi placet: quanuis ſecunda clauſula recte poteſt ad legem referri, iuxta inter-
B pretem noſtrum,ad hunc modum, Cum dormieris cuſtodiet,uel excubias ponet ſuper te,ſupp.lex: & hunc ſenſum ſequuti ſunt ſeptuaginta, νίκα ἂν σοφιπατῇς, ἐπάγει αὐτῷ, καὶ μετὰ σοῦ ἔσῳ, ὡς δ' ἂν καθύδῃς φυλαοσέτω σε, ἵνα ἐγειρομένῳ συλλαλῇ σοι. Quod ad ſenſum ſpectat & orationis ſeriem,haud ignarus ſapiens,quanta pericula iuuentuti immineant à mulieribus impudicis, ut ſupra diximus, nunquam ſatis ſuum filium ea de re admonuiſſe uidetur. Et proinde poſt breuem de legis laude, & obſeruatione, qua tuti poſsimus eſſe à tantis criminibus,& etiam à muliere adultera,quæ ſolet multis machinis,ueluti inſtructa acie, iuuenũ animos expugnare. Sequitur, Obſerua fili mi,per uniuerſam
C uitam prçcepta patris,quæ etiamnum infantulo tibi inſtillauit,ut non minus uirtutibus quàm ætate creſcas. Solent inſolentiores filij ſtatim ubi adoleuerint, matris imperium, (quæ pro filio ſemper eſt ſolicita)reiicere,imbecillum ſexum haud ita magni æſtimare. Verum tu mi fili, legem quam præſcripſit tibi mater,ne reiicias. Sũt ex Hebræis, qui patrem Deum opt.max. intelligant, matrem uero ſapiẽtum & doctorum hominum cœtũ: nos matrem eccleſiam, qua renaſcimur,cuius lege & ordinationibus ueluti lacte nutrimur infantes in Chriſto. Nam perfectis non eſt lex poſita,ut qui ſua ſpõte plura præſtãt, quàm lex eccleſiæ matris præſcribat. Atqui hunc eſſe huius uerſiculi ſenſum,ſequens cõ-
D firmat,qui monet pari,aut etiam maiori ſolicitudine huius patris ſeruanda eſſe præcepta,quàm Moyſes Dei præcepta ſeruare uoluit. Erunt, inquiens,uerba quç ego præcipio tibi hodie in corde tuo,narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere,dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, hæc ille Deute.11. Haud diſsimilia ſapiens,hoc in loco: patris præceptum uidelicet & legem matris, cordi & gutturi conſtricta & colligata monet ſeruare, uel quod his partibus potiſsimum uiuat & reſpiret homo:uel quòd in pectore & collo, ſolent homines ſuſpendere geſtamina quædam gratiſsima,quæ maximi momenti & precij eſſe putant. Tu mi fili charius nihil habe, nihil honorificentius tecum circunferre aut geſtare poteris,
E quàm patris præcepta,quæ uitam præſtant, quàm legem matris, quæ ſummum ubique decus collo tuo conferet. Dum te tantæ fœminæ,quæ omni macula & ruga caret,filium dilectum,& morigerum oſtendis. Aliter, in corde & gutture, aſsidua præcepti & legis memoria,ac meditatio intelligitur, iuxta illud Pſalmo primo, Sed in lege Domini uoluntas eius,& in lege eius meditabitur die ac nocte. Iuxta ſenſum ſublimiorem: colligare in corde,& collo ſuſpendere, ad fidei conſtantiam, & oris confeſsionem referuntur. In his uero quæ ſequũtur, operis executio intelligitur, *Cum ambulaueris ducet te.*)id quam
F ob rem dicat,ſequens uerſiculus oſtendit. Nam lex eſt lux(inquit) præmonſtrans uiam, ſine qua in tenebris ambulãt,quotquot præſentem uitam, tanquam ſemitam ingrediũtur. Chriſtus qui uia, ueritas,& uita eſt, & finis legis, poſt ingentes ignorantiæ tenebras in fine temporum exortus,uerus ſol iuſtitiæ, rectam uiuendi & ambulandi uiam commonſtrat, & ſe ducem itineris præbet his, qui patris præceptũ in corde ligatum, & matris legem in collo ſuſpenſam circunferunt. Energiam quandã exprimit uerbum תנחה, quod non ſolum ducere,ſed perducere,conducere,aut ſi quod aliud uerbum in hoc ſenſu uim maiorem indicat: ut intelligamus patris mandatum per Chriſtum,qui lux eſt legis,etiam uires incedentibus per ea, præſtare: ſi patris ſeruaueris præceptum, & matris legem non contemſeris, nunquam illius ope eris deſtitutus, ſiue uigiles ſiue dormias. Imo ut in cõtextu noſtro ſequitur, *Cum dormieris cuſtodiet te*)uel cuſtodias prope te ponet

contra inſidiatores dæmones, ut iam aliis ſatellitibus non ſit tibi opus: & euigilãs loque- G
re cum eis, uel ut eſt in Hebræo, Cum expergefactus fueris, ipſa loquetur tecum: quaſi di
cat, Illius præcepti iucunda meditatio frequenter in ſomnis occurret tibi: & expergefa-
cto, ſtatim aderit illius conſolatio. Si ligatum in animo patris præceptum retineas, nulla
moleſtia poſsis affici, ſiue domi ſiue foris, dormiens ſeu uigilans, ubiq; eris tutiſsimus.

" QVIA mandatum lucerna, & lex lux: & uia uitæ, increpatio diſciplinæ.
" *Heb.* Nã lucerna præceptum, & lex lux: & uia uitæ, increpationes diſciplinæ.

Hunc uerſiculum fere ſatis explicauimus, quod in Hebræo legitur דרך חיים uia uitæ, H
poteſt eſſe ſenſus ſubaudiendo præpoſitionẽ in, ut legatur in uia uitæ. quaſi dicat, Quod
præſtat lucerna ambulantibus in tenebris, & lumen ſolis interdiu, hoc lex & præceptum
his, qui uiam uitæ ingredi uolunt. Nam qui carent lege per Moyſen data, & præcepto
de quo ſcribitur, Mandatum nouum do uobis, Ioan. 13. in tenebris ambulant. Quorum
de numero ſunt Iudæi, & infidelium turba: ſunt & alij qui nec lucerna prophetarum,
nec euangelij ſole carentes, uiam uitæ non ambulant, quòd caſtigationem diſciplinæ re-
cuſant, neque moribus uolũt imitari, quem lingua confitentur, id quod in corde & gut-
ture ſuperius ſignificauit ſapiens. Quare mi fili, præceptum patris ueluti ſolis lumen, & I
legem matris ueluti lucernam in tenebtis huius uitæ circunferẽs, diſciplinam quæ cor-
reptionibus maiorum conſiſtit, caue ne aliquando recuſes. Alij ſic, In uia uitæ eſt diſci-
plina, eſt increpatio diſciplinæ: utcunq; , ſenſus eodem fere redit.

" VT cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Non concu-
" piſcat pulchritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius. *Heb.* Ne ca-
" piant te ſupercilia illius· precium enim ſcorti uix eſt unius panis, mulier au-
" tem uiri precioſam animã capit. *Heb.* Nam propter mulierem meretricem K
" uſque ad buccellam panis, & mulier uiri precioſam animam uenatur.

Quod dicit à muliere mala, in Hebræo eſt diuerſum, nempe à muliere mali, uel mali-
tiæ, iuxta phraſim linguæ. Porro extraneæ referri poteſt, uel ad mulierem, uel ad linguã,
quæ alienam & extraneam religionem profitetur. Mulier uocatur extranea, aut quę non
ſit legitima coniunx, aut quæ reliquerit maritũ, & alienata ſit ab eo. *Vt cuſtodiant te à mu-
liere.*) refertur ad præcedẽtem uerſiculum, nempe, Obſerua fili mi pręceptum patris tui,
& cætera. quaſi dicat, Si ſeruaueris præceptum, ſeruabit te. Et inter cætera beneficia, quæ
ex obſeruatione legis aſſequeris (de quibus iã ſuperius tractauimus) accedit illud: quod L
in iuuenili ætate te ſeruabit à muliere, quæ ad malum faciendũ omnino dedita eſt & in-
ſtructa, ut puta quæ ſuadelam habet in lingua, & blanditiis nolentem inuitat & pertra-
hit ad malum, dum ſe facilem ac familiarem reddit, quãuis alioqui extranea fuerit. *Non
concupiſcat pulchritudinem illius cor tuum.*) inſtructus à lege & edoctus, non concupiſces
uxorem proximi tui, Exod. 20. non concupiſcas pulchritudinem eius in corde: nam qui
Matt. 5. uiderit mulierem ad concupiſcendũ eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Nec *nu-
tibus illius capiaris,*) ſiue (ut eſt in Hebræo) ſupercilio & fronte illius, hoc eſt oculorum in-
conſtantia, & pulchritudine, ut exponunt Hebræi. Ego ad frontis & capitis ornatum, & M
torturam crinium, puto referendum: his enim artibus potiſsimum iuuentuti inſidiantur
impudicæ mulieres. Nempe blanditiis linguę, corporis pulchritudine, & ornatu laſciuo:
quæ res cum uſque adeo amœnę, & in ſpecie iucundæ apparent, ad extremam nihilomi-
nus miſeriam homines pertrahunt: & non ſolum ad inediam & omnium rerum penu-
riam, ſed etiam ad interitum perducunt. *Pretium enim ſcorti uix eſt unius panis.*) in He-
bræo, Nam propter mulierem fornicariam, ad buccellam panis, hoc eſt, mendicitatẽ de-
ueniſſe multos cõſtat, ne leue malum exiſtimes: imo cogita grauius reſtare ſupplicium.
Nam mulier uiri pretioſam animam capit:) in Hebræo, uenatur, & ſubauditur mulier forni-
caria. Hebræi tamen ſic diſtinguũt lectionem. Mulier uiri, animam precioſam uenatur,
& ſubauditur mulier uiri alterius, ut nos habemus. Nomẽ uiri referri uidetur ad animã:

& ſenſus

A & ſenſus bene quadrat cum præcedenti clauſula, quæ in Hebræo ſic habet. *Propter mulierem fornicariam ad buccellam panis*) ſæpe uentum eſt ſup. *& mulier uiri animam precioſam uenatur*) quaſi dicat, ad inediam & mentis inopiam ſæpe deueniunt homines per fornicationem & adulterium. Aliter, propter mulierem fornicariam, & propter mulierem uiri alterius, *ad buccellam panis*) ſæpe uentum eſt, ut utrunq; uitium paupertate puniri intelligamus in hac uita. Et quod ſequitur, *Animam precioſam uenabitur*) æternum ſuppliciũ intelligitur, & ad mœchum aut adulterum refertur. Hæc iuxta ſenſum allegoricum, quemadmodum non minus graphice hæreticorum artes & fraudes deſcribunt, quàm B meretricis: ita poſſunt à quouis uel mediocriter docto, illò referri præſertim hoc ſeculo, quò, proh dolor, ubique ingens talium numerus occurrit, qui eloquentia pluſquã mundana & ficta aliquandiu uitæ ſanctimonia, (nam hypocriſis mera eſt, quæcunque operũ pulchritudo extra eccleſiam) uario denique doctrinarum ornatu, ab eccleſia Chriſti ſponſa legitima, infinitas animas rapientes, ad proſtibulum ſuum pertraxerunt. Et proinde ſummo ſtudio ſeruanda eſt lex matris eccleſiæ, ut à muliere blanda & compta tutus eſſe poſsis.

» NVNQVID poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut ueſtimen-
C ta illius non ardeant? Aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plan
» tæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cum
» tetigerit eam. *Heb.* Num ponet quis ignem in ſinum ſuum, & ueſtes illius
» non adurentur? Num incedet aliquis ſuper prunas, & pedes eius non com-
» burentur? Sic qui ingreditur ad uxorem proximi ſui, non erit innocens qui-
» cunque tetigerit eam.

Si neque ad huius uitæ miſeriam & extremam rerum inopiam, quod multis accidit, ne-
D que ad animæ tuæ iacturam (quæ ut eſt precioſa, & ab ore Dei afflata, ita à te magna cautela ſeruanda) peruenire non uis, principiis obſta, neque tibi licere puta, quicquam commercij habere cum uxore alterius. Tu fortaſsis rem fore ſecretam putas, & maritum illius celare poſſe, atque ita culpa carere: ſed erras, hoc enim minus poſsibile eſt, quàm ſi quis ignem uelit ſinu geſtare abſque læſione ueſtium: aut ſi quis ſuper prunas ardentes incedere nudis pedibus ſe poſſe putauerit, & plantas non cõburere. Aeque impoſsibile eſt, ut quis congreſſum habeat cum muliere alterius, & ſine culpa habeatur, innocénſque penes maritum illius. Non eris mundus ſiue innocens, quicunque tetigeris eam, ſi in manus mariti incideris, aut conſanguineorum, qui tantum familiæ oppro-
E brium ferre nolunt. Aliter, non erit mundus ſiue innocens (ut eſt in Hebræo) Dei uidelicet ſententia, ſed reus, tanquam tranſgreſſor præcepti, Non concupiſces uxorem proximi tui. Atqui huiuſmodi eſt ſenſus huius loci, ſi per ingredi & tangere, crimen adulterij intelligatur: uerum cùm nihil grauius dicat ſapiens, quàm non erit innocens qui tangit eam, uidetur nõ de eo loqui, qui grauiſsimum peccatum committit, ſed de eo, qui eum uxore proximi ſui libenter uerſatur, ædes alienas frequentans, quaſi de ſua pudicitia ſecurus. Quod alius ſapiens prohibet: Cum aliena uxore non ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, Eccle. 9. Et erit ſenſus, non erit innocens, quòd id fieri non ſo-
F let citra maculam & pudicitiæ periculum, uel citra offendiculum aliorum: quaſi dicat, fieri non poteſt, ut innocens ſis & abſque macula: nam præter hoc quod offendiculum prębes, etiam periclitaris, ne illicito accendaris amore, & ueſtimenta, quæ hactenus mũda ſeruaueris, ignis contactu corrupta male oleant: hoc eſt, ne integritas prioris uitæ offuſcata, ſiniſtros rumores tanquam malum odorem diſpergat: & pedes tui ſuper ardentes prunas gradientes, aduſti lędantur, ut poſtea per uiã uirtutum & pudicitiæ non ualeant incedere. Pedes, affectus animæ, ſuperius expoſuimus, qui facillime ſordes uitiorũ contrahunt: tanta uidelicet agilitate ubique curſitantes, ut iam ſi ex animo caſtus eſſe uelis, & ab omni peruerſæ doctrinæ libidine immunis, tutiſsimum fuerit, nec corporis nec animæ pedibus, ad ſynagogam Satanæ & hæreticorum turbam accedere.

» NON grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut eſurien G
» tem impleat animam. *Heb.* Non contemnent furem ubi furatus fuerit ad
» implendam animam, cum eſurierit. Deprehenſus quoque reddet ſeptu-
» plum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet, & liberabit ſe. *Heb.* Et
» inuẽtus reſtituet ſeptuplum, omnes diuitias domus ſuæ dabit. Qui autem
» adulter eſt propter cordis inopiam perdet animam ſuam. *Heb.* Qui adulte-
» rium committit cum uxore, deficit corde: corrumpit animam ſuam, qui
» fecerit hoc. Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium H
» illius non delebitur. *Heb.* Plagam & ignominiam inueniet, *& cætera.* Quia
» zelus & furor uiri, non parcet in odio uindictæ. Nec acquieſcet cuiuſquam
» precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima. *Hebr.* Non accipiet
» faciem cuiuſquam redemptionis, neque uolet, cum multiplicaueris munus.

Quò intelligas quàm graue ſit crimen adulterij, ſiue corporis, ſiue animæ, cum furto grauiſsimo alioqui peccato facta collatione, multis nominibus magis execrandum malum adulterium oſtendit, & hoc partim quòd ad ignominiam rei, partim quòd ad ſa- I
tisfaciendi difficultatem ſpectat, & damni reſtitutionem. fur enim ſi fuerit inops, & egeſtate ac fame coactus tantum furatur, quantum famelico & uacuo uentri ſufficiat, magna ignominia non ſolet affici ab hominibus: imò ignominia potius eſt diuitum, qui ſua tenacitate ſinant quempiam è ciuibus eò neceſsitatis peruenire. Et quis uſque-adeò crudelis eſt, ut malit hominem fame perire, quàm tantillum de rebus ſuis diſtrahi, quantulum unus uentriculus capere poſsit. Cæterum ſi diues furatus fuerit, ut ab ignominia eximi non poteſt, ita à ſupplicio ſeptemplici ſatisfactione, iuxta præſcriptum legis ſeſe eripiet. Lex in aliquibus rebus duplum duntaxat uoluit reddi, ſi furtum in manibus furis integrum reperiatur. Alioqui pro oue quatuor, pro boue quinque: uel, K
ſi aliter non poſsit placari, cui facta fuerat iniuria, reddet ſeptuplum, hoc eſt, uniuerſam ſubſtantiam domus ſuæ dabit, & à ſupplicio grauiore erit immunis. Quòd ſi adulterium cum hoc crimine conferas, modis omnibus grauius inuenies. Primo quod ad occaſionem mali ſpectat, unde pendet bona pars ueniæ, qui committit adulterium, non uentris inediam patitur, ſed cordis indigentiam, hoc eſt, ſtultitia & dementia quadam laborat, nec ſuæ uitæ conſulit ut fur, ſed fratrem defraudans, animam ſuam corrumpit, & non ſolum in corpus ſuum peccat: ille ex furto utilitatem capit, hic ex adultero damnum grauiſsimum. Fur (ut diximus) rebus ſatisfaciens, pœnam corporis non ſu- L
ſtinet, ſi diues fuerit, ſi pauper, ne ignominiam quidem. At adulter utrunque inueniet, plagam & uindictam à marito, aut ſaltem à Deo, cuius legem tranſgreditur, & lapidari iubetur ex præſcripto legis: præterea illius opprobrium nullo debebitur æuo, imò ſemper excors habebitur, qui tanta iniuria fratrem affecerit, cuius zelus & furor nullum miſericordiæ locum relinquet, neque parcet cum ſeſe obtulerit occaſio ulciſcendi. Quanuis longanimis Deus (qui hoc in loco iuxta allegoriam, uir dicitur) uideatur conniuere aut ignorare flagitia & ſtupra animarum, tamen cum acceperit tempus, quod miſericordiæ locum non habet, ſed iuſtitiæ & uindictæ, non clementem patrem M
ut nunc, ſed ſeuerum iudicem aget: quando ſatisfactioni aut expiationi nullus erit locus. Et qui per chariſsimam coniugem, contumelia intolerabili affectus eſt, nulla re placari poteſt, niſi extremo adulteri ſupplicio. Chriſtus inquam eccleſiæ ſponſus, non tam facile reconciliari ſolet hæreticis, qui eccleſiæ caſtimoniam commaculare ſeu corrumpere conantur peruerſa doctrina.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM. Cap. 7.

A
» FILI MI, cuſtodi ſermones meos,& præcepta mea reconde
» tibi. Serua mandata & uiues,& legem meam quaſi pupillam
» oculi tui. Liga eam in digitis tuis,& ſcribe illā in tabulis cor-
» dis tui. *Heb.* Fili mi,cuſtodi uerba mea,& præcepta mea abſ-
» cōde tecum. Cuſtodi præcepta mea,& uiues,& legem meam
» ut pupillam oculorum tuorum. Ligabis ea ſuper digitos tuos, ſcribe eadem
B ſuper tabulam cordis tui.

In his crebris monitionibus de uerbis & præceptis ſuis ſeruandis, quæ & Dei ſunt præcepta, oſtendit ſapiēs nos aliter non poſſe per huius uitæ tenebras dirigere curſum, & inoffenſe ad æternam peruenire uitam, niſi uerbo Dei iter præmonſtrante, tanquā uero lumine & lucerna pedibus noſtris, ut ſuperius dictum eſt. Atqui eo diligentius ſemper huiuſmodi admonitiones inculcat, quoties de maioribus dicturus eſt criminibus, in quę uulgo impingunt homines, qui futuræ uitę nullam rationem habere uidentur. Superius à duobus maximis criminibus, nempe fornicatione & adulterio, uehementer deterruit,
C quibus de rebus nunquam ſe ſatis dixiſſe putat pro fragilitate iuuentutis,& meretricum impudentia: contra quæ mala, Dei præceptis & crebris maiorum admonitionibus, muniendos iuuenum animos indicat. *Cuſtodi fili mi uerba mea,*) neq; tradas obliuioni, ſed operibus imple,& præcepta mea abſcōde tecum, ueluti precioſiſsimum theſaurum. Solent enim homines huius uitæ amatores in futurum multū annonæ recondere, magnas opes in omnem euentum reponere, ne quid illis ad uitæ uidelicet neceſsitatem deſit. Tu mi fili, ſerua penes te præcepta mea, ut æternam uiuas uitam: neque utcunque ſunt ſeruāda hæc præcepta, ſed ut res maxime chara & ſummopere neceſſaria. Ex omnibus cor-
D poris partibus, ut nullam habemus maioris momenti, quàm pupillam oculi, ita nullam tuemur maiori cura, ut puta quam natura non ſolum in honeſtiſsimo loco collocauit, ſed palpebris, ciliis, & ſuperciliis ſolicite muniuit: cui etiam ſi aliquid periculi immineat, in illius defenſionem nullius membri recuſamus iacturam. Pari diligentia & cura, ſunt mea præcepta ſeruanda tibi mi fili, ut quæ lumen uniuerſæ uitæ tuæ præbeant,& ſine quibus in tenebris uerſamur quamlibet ſapientes,& apud ſeculū docti. Sed quo loco ſeruanda ſunt, inquis, num munitis arcibus, aut capſis ferreis recludenda? *Ligabis ea ſuper digitos tuos.*) Duplex eſt ſenſus, uel quòd opere & ſtudioſa actione ſint implēda, quæ per digitos intelliguntur, uel quòd præſente memoria & numerato, non minus quàm
E digiti, ſunt recolenda: non Iudaico more chartis ſcribenda, quæ digitis circunferantur, aut colligentur brachiis: imo tabulis cordis carnalibus, non lapideis, ſunt iſta noua euāgelij præcepta inſculpenda. Eſt enim intellectus humanus (ut inquit philoſophus) ſtatim ab infantia, tanquā tabula raſa, in qua nihil depingitur. Tu mi fili (inquit Salomon) etiānum iuuenis, in hac tabula, pia intelligentia,& ſolida memoria, ante omnia ſcribe hæc mea uerba & præcepta, ut nulla poſsint oblectari ſeu falſa doctrina, ſeu muliercularum amore,& ſuauiloquentia carnali. Quod ſi iuuenis cum ſis, omnino fœminarum colloquiis & pulchritudine frui iuuat, omnium pulcherrima eſt ſapientia, omnium maxime
F affabilis eſt intelligentia: da igitur operam cum illis inire gratiam,& loco ſororum habere. Si ſapientiā non minus chare diligas quā ſororem, ſi intelligentiam habeas in loco cognatæ uel propinquę, quarum in amore ſi te oblectaueris, omnem facile amorem impudicum declinabis, ut eſt in contextu.

» DIC ſapientiæ ſoror mea es,& prudentiam uoca amicam tuam: ut cuſto-
» diat te à muliere extranea,& ab aliena, quæ uerba ſua dulcia facit. De fene-
» ſtra enim domus meæ proſpexi iuuenem, & uideo paruulos, conſidero
» uecordem iuuenem qui tranſit per plateas iuxta angulum, & prope uiam
» domus illius graditur in obſcuro adueſperante die, in noctis tenebris & ca-

" ligine.Et ecce mulier illi occurrit in ornatu meretricio, præparata ad deci- G
" piendas animas. Garrula & uaga,quietis impatiens,nec ualens in domo con
" ſiſtere pedibus ſuis. Nunc foras,nunc in plateis,nunc iuxta angulos inſidiãs.
" *Heb.* Dic ſapientiæ,ſoror mea tu es, & cognatam intelligentiam uocabis,ad
" cuſtodiendum te à muliere extranea,ab aliena,(quæ)uerba ſua poliuit. Nam
" per feneſtram domus meæ,per feneſtram meam (inquam) proſpexi. Et uidi
" inter imperitos,animaduerti inter filios, iuuenem deficientem corde. Tranſ-
" euntẽ per plateam iuxta angulum eius, per uiam ædium eius erat iturus. In H
" crepuſculo, ſub ueſpera diei,in nigredine noctis,& caligine. Et ecce mulier
" in occurſum eius habitu meretricis,& anxia corde. Clamoſa illa & peruerſa,
" in domo ſua non manſerunt pedes eius. Nunc foris,nunc in plateis,& prope
" omnem angulum inſidias poſitura.

Quod ſuperius monuit de muliere extranea, quæ miris artibus, iuuenilibus inſidiatur annis:hoc in loco narratione,ueluti re geſta, doctrinam confirmat,ut intelligas niſi ſa- I
pientiæ des operam,& intellectum ſalubri doctrina excolas, etiamnum iuuenis, à procacibus mulierculis tutus eſſe non poteris. Quod recte(ut ante monuimus) ſiue de impudica iuuenum uita,iuxta ſenſum hiſtoricum intelligere licet, ſiue tropicãs de ſenſitiua parte,quæ mentem in nobis tanquam uirilem partem ad mala ſubinde ſolicitat. Atqui eodem fere ſenſus redit,cum utraque moralis ſit interpretatio. Poſſumus de doctrina locum intelligere hæreticorum, contra quam ſapientia Dei eſt opus, ſiue ut rem geſtam,ſiue exempli cauſa cõfictam à Salomone intelligamus narrationem, parum refert. graphicè certe depingit impudicæ mulieris ingenium & mores, à quibus quàm longiſſime abeſſe oportet, uſqueadeò,ut ne ædibus quidem illius appropinques,aut in eã plateam uenias, qua habitat illa,ut ſuperius dictum eſt. Nam olim per feneſtras & cancel- K
los proſpiciens, uidi inter alios (ſic Hebræa habet ueritas) iuuenes, unum cæteris magis uecordem,cui cor defecerat, qui ubi ſe in periculum coniecerat, in caſſes illius incidit, cum non ſolum in plateam,ſed prope illius ædes acceſsiſſet. In Hebræo enim legimus, prope angulum eius, hoc eſt angulum domus eius. Quod dicit, uidi,non eſt neceſſum ad corporis oculos referre, neque rem geſtam intelligere, ſed fictam potius, uelut in proſcenium producit narrationem. Mente igitur cõſiderauit, quid utrinque fieri ſolet, & à meretricum impudentia, & à parum conſtantibus uiris, & interim oſtendit quibus tentationum gradibus ad crimen perueniatur. Per crepuſculũ ueſperam diei, noctis L
nigredinem & caliginem. (nam hæc quatuor diſtincta legũtur in Hebræo)primum נשף quod tempus ſignificat, non ſatis clarum, cuiuſmodi eſt uel ſtatim poſt ſolis occaſum, uel ſub ortu ſolis,uniuerſæ uitæ mortalium referens imaginem,ut in qua cum luce fidei uariæ tentationum ſpecies miſcentur. עבר יום ueſpera diei,quæ multo plus noctis habet, ſenſum & oblectationem ad crimen ſignificat:cui ſi nigredo noctis (ut eſt in Hebræo)accedat,hoc eſt plenus conſenſus,qui lumen gratiæ reiicit, omnino nihil ſupereſt, niſi ut ad caliginem,& malorum operum tenebras,quæ lucem oderunt,perueniatur, & M
non ſolum gratia recedat,ſed lumen quoque intellectus naturale obſcuretur. Quò cum ueniſſet ſtultus ille,iam obſcura luce,& ingruente noctis caligine, occaſionem obſeruãs mulier,in occurſum illius feſtinat, omnibus modis ad decipiendũ hominẽ inſtructa, nõ ſolũ uerbis politis,de quibus ſuperius diſſeruimus,ſed etiã habitu meretricio: & his modis reddimur obnoxij tẽtationibus,dũ(ut excors iſte)nullis honeſtis laboribus uacamus, dum temporis & locorum circunſtantias, & occaſiones peccandi ſequimur. *Præparata ad decipiendas animas*:) pro quo, anxia corde in Hebrẽo legitur, ſiue ligata corde,hoc eſt, anxietate cordis amorem ſimulans,ut ſit à uerbo, צור, id eſt, coartare,non à נצר,ſeruare. Poſſunt hæc uerba ונצורת לב corde ligata ſiue anxia,referri ad cordis ſecreta, & diſſimulationem: ego mallẽ referre ad habitũ corporis & ornatum,quem laxũ & laſciuum geſtabat,

A geſtabat,ſed circa præcordia ſtrictum & colligatum,ut corporis elegantiam oſtentaret. Cap.7.
Chaldæus alio ſenſu uocē Hebræam צורה interpretatur, nempe pro fortitudine, ut ſit
ſenſus:fuit habitu meretricio diſſoluta & effœminata,ſed corde robuſto & uirili, utputa
inuerecunda & impauida. Poteſt denique exponi deſolata, ſiue deſtituta corde, hoc eſt
ſiue intellectu,iuxta illū locum, כעיר נצורה, tanquam ciuitas deſolata,Eſa.1.Leui Ben
Gerſom,ad habitum ſiue ornatum meretricium refert locum:quaſi dicat,erat nudo col-
lo & pectore corde tenus, quod ueſtitū & tectum habebat.Et hunc ſenſum ex Chaldæo
licet intelligere, cum uox Chaldæa utrunque ſignificet,fortitudinem & abſconſionem.
B Dauid Kimhi obſeruata corde,à uerbo נצר, ut ſit ſenſus,erat cauta,quæ cum alios de-
ciperet,ipſa decipi non potuit.Porro quod ad mores illius ſpectat,erat garrula, inquieta,
non ualens in ædibus conſiſtere.Hebræū,clamoſa & recedens ſiue declinans,ſup.ab im-
perio & obediētia mariti,uel ab omni honeſtate,& uirtute aliena.Sequitur in Hebræo,
In ædibus illius non manſerunt pedes eius,)uel non ſolent manere.Cum pudicę mulieris ſit,
raro in publicum apparere, hæc contra foris uiſa eſt nunc ante ædes, nunc etiam lon-
gius in plateam progreſſa.Quam apte quadrent hæc in doctrinam adulterinā, & in ma-
giſtros hæreticæ prauitatis, quid attinet admonere? qui pudore ſemel depoſito, ſuam
C ignominiam,& damnata dogmata,modis omnibus publicare conātur, præſertim apud
indoctam, ſeu iuuenum, ſeu uulgi turbam, quæ non ſatis claram ſcripturarum lucem
eſt aſſecuta, ſed crepuſculo inter diem & noctem obambulant: id quod negligentia pa-
ſtorum fere fit,qui ueluti oues abſque paſtore populum Chriſtianum relinquūt, & cum
paſtoris uocem non audiunt,alienum ſequuntur plurimi. Cæterum quanta impuden-
tia & pluſquam meretricia procacitate oſtentant hodie & per plateas,ſed tectè, & in te-
nebris,uenalem exponant corruptiſsimam doctrinam, & quanto ſtudio euigilant, ut à
ſinceritate doctrinæ catholicæ, & à caſtitate matris eccleſię reuocent homines indoctos,
utinam magis eſſet ignotum. ſed dabit his quoque finem aliquando Chriſtus. Noſtra
D uero ad inſtitutum reuertatur oratio, oſtenſura quanta ſit huius mulieris impudentia,
non minus factis,quàm uerbis procax & audacula. Vltra omnem pudorem fœmineum
proſilit in amplexus & oſcula: nam comprehenſum iuuenem oſculatur.En tibi fili, qui-
bus gradibus ad crimen deſcenditur, caro ſuis illecebris mentem & rationem apprehē-
dit,& oblectationibus ueluti quibuſdam oſculis demulcet,ut ad peccādum conſentiat.
Sed quæ ſequuntur audiamus.

» APPREHENSVMQVE deoſculatur iuuenem,& procaci uultu blan-
» ditur dicens: Victimas pro ſalute deuoui, hodie reddidi uota mea. Idcirco
E egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te uidere, & reperi. Intexui funi-
» bus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Aegypto. Aſperſi cubile meū
» myrrha, & aloë, & cinamomo. *Heb.* Porro tenuit eum,& oſculata eſt eum,
» corroborauit faciem ſuā,& dixit ei:Hoſtiæ pacificæ apud me,hodie perſolui
» uota mea. Quamobrem egreſſa ſum in occurſum tuum ad quærendam
» faciem tuam,& inueni te. Ornamentis ornaui lectum meum, trabibus cæ-
» latis, funibus Aegypti. Suffumigaui cubile meum, myrrha, aloë, & ci-
F namomo.

Quibus artibus pudicitiæ iuuentutis inſidiantur impudicæ mulieres,quæ interim ſum-
mum amorem,& aliquam honeſtatis ſpeciem præ ſe ferunt,præſens locus oſtendit. Nā
quanuis omnia libidinis & lucri cauſa faciat hæc mulier, nihilominus compoſito uul-
tu & robuſta facie,hoc eſt oculorum conſtantia, longe diuerſum ſimulat, & inquit: *Vi-
ctimæ pacificæ ſunt mihi*,(ut eſt in Hebræo)*hodie reddidi uota mea.* quaſi dicat,Conuiuium
tua cauſa paraui, quod alioqui facere oportuerat, cum eſſem uoto conſtricta. Et hodie
me feciſſe mihi gratulor,poſteaquam te inuenerim.Aliter,nūc ſum obnoxia & obligata
pacificis reddēdis uictimis (quas uotorum cōpotes ſolent homines facere) poſteaquā te

inuenerim. Iamdudum uotum feceram de uictimis pacificis ſoluendis, quàm primo tui G
compos eſſem, eas ut uoui, hodie libenter ſoluam, poſteaquam mihi occurriſti. Prior expoſitio eſt melior, nam nihil aliud quàm paratas dapes, & lautam cœnam domi ſe habere ſignificat: & quanuis illa nullum hominem recuſaſſet, neque amore ſyncero quenquam proſequatur, tamẽ imperito & uecordi iuueni perſuadere conatur, ſe illius amore flagrare. Nulla leuitate ex ędibus egreſſam, ſed tua cauſa duntaxat, inquit, ueni, domi habens epulas multas, quarum te participem eſſe uolui: quæ hoc nomine gratiores erũt, quòd ex uictimis pacificis ſuperſunt. Cogita (inquam) quàm mihi charus ſis, cum non miſerim quẽquam, ſed ipſa te quæſitum ueni. In Hebræo legimus לחשר פניך ad inue- H
ſtigãdum, cum cura & ſolicitudine, faciem tuam ſiue perſonam: quaſi dicat, nihil aliud uolui niſi te, non tua. Interpres qui uertit deſiderans te uidere, ſequutus eſt Septu. qui ſic habent ποθῶ σὸν πρόσωπον. At ne fortaſsis iam ſub ueſperum de cubili aut lecto ſis ſolicitus, habeo lectum elegantiſsimum, ut puta ſtragulis & ſumptuoſis ornamentis ſtratum, funibus byſsinis ex Aegypto ſuſpenſum. Chaldęus hunc locum, in quo magna eſt uarietas interpretum, ſimpliciter uertit ſic, Stramentis & lecticis ſtraui lectum, & ornamẽtis ex Aegypto ornaui. Poteſt dictio Hebræa אטון quam Hieronymus ſecutus Septuaginta, tapetibus uertit: ἀμφιτάποις δέδρωσαι τοῖς ἀπ' αἰγύπτου, δέδρεγκα τὴν κοίτην μου κρόκῳ, τὸν δὲ οἶκόν μου κινναμώμῳ: Tapetibus ſtraui quę ſunt ab Aegypto, aſperſi cubile meũ croco: at domum meam cinamomo. ſic ſeptuag. Sed poteſt inquam uox אטון funes ſignificare, qui ex optimo lino, ſeu byſſo, nempe Aegyptio contexti ſunt. Et ne quid deſit ad uoluptatem, ſparſi uel potius ſuffiui, odoratum feci cubile meũ myrrha, aloe, & cinamomo. Quidam ex Hebræis exponit aquis roſarum & aromatibus.

» VENI, inebriemur uberibus, & fruamur concupitis amplexibus, donec il-
» luceſcat dies. *Heb.* Veni inebriabimur amoribus uſque mane, exultabimus
» in amoribus. Non eſt enim uir in domo ſua, abiit uia longiſsima, ſacculum
» pecuniæ ſecum tulit, in die plenæ lunæ reuerſurus eſt in domum ſuam. K

Hac nocte, inquit, uſque mane uoluptatibus indulgeamus: opera tenebrarum oderunt lucem. Sequitur, *Vir non eſt in domo ſua*) ut omnem metum eximat. & ſenſus ſimplex, nõ eſt domi, ſed procul peregre profectus, neque breui reuerſurus, nam in ſumptus uiæ tulit non paruam pecuniam. Ante diẽ abſconſionis, ſup. lunæ (ut eſt in Hebræo) hoc eſt ante nouilunium non eſt reuerſurus, ne quid ab eo timeas: uel, non eſt in domo ſua uir, hoc eſt nihil habet authoritatis in domo ſua, etiam ſi domi eſſet, ego primas in familia partes teneo: ad ſecuritatem omnem accedit, quod domi non ſit. Myſtice, in humana L
anima, cum intellectus & mens gratia Dei imbuta, uiriles partes non agit, ſed procul peregrinatur à cuſtodia conſcientiæ, ad uoluptates & deſideria inutilia deflectit ratio à carne pertracta. Chriſtus quoque animarum noſtrarum ſponſus eſt, quem conſcientiæ domus, ſi cuſtodem non habeamus, facile cum mundo & dæmonibus fornicamur. O infœlix animus & miſerrimus, qui in domo patris tanta abundantia ſaluberrimi panis relicta, quiſquilias porcorum in domo meretricia, malit edere, quàm cum Abraham, Iſaac, & Iacob recumbere, & ſanctorum epulis intereſſe.

» IRRETIVIT eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum pertra- M
» xit eum. *Hebræum*, Declinare fecit illum per multitudinem dulcis ſermo-
» nis, blanditiis labiorum ſuorum impulit eum. Statim eam ſequitur quaſi
» bos ductus ad uictimam, & quaſi agnus laſciuiens & ignorans. Et neſcit
» quòd ad uincula ſtultus trahatur. *Heb.* Vadit poſt eam ſubito, ut bos ad
» uictimam ueniet, & ſicut compes ad caſtigationem ſtulti. Donec transfi-
» gat ſagitta iecur eius, uelut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit quòd de pe-
» riculo animæ illius agitur.

Tandem

A Tandem huius ſeu rei geſtæ, ſeu exempli cauſa confictæ narrationis finem & exitū uide. Stolidus iuuenis qui otioſus, & ſolus obſcura luce per uicos obambulat, poſteaquā ad hunc modum eſt illectus, & tractus ad crimen, ſumma uidelicet uoluptate, cum ſecuritate propoſita & ſolitudine, propriæ uoluntatis compos uix eſſe poteſt. Perſuaſus igitur & impulſus huius mulieris adulteræ blanditiis, nihil reſpondet, nihil cauſatur, nec parentum nec Dei timorem ob oculos habens, non corporis ſui, non animi damnum: ſubito ſequitur, ſpecie ad delicias inuitatus, reuera autem ad interitum. Velut bos, qui non nouit quando ad præſepe, quando ad macellum ducitur, putat inquā ſe ad lautum cōuiuium, ad molliciem cubilis ire, reuera autem ad mortem trahitur, uel temporalem, B quæ frequēter mœchis infligitur, uel ad mortem animæ feſtinat, & uelut ſtultus & ignarus ad compedes trahitur, non amplius liber aut ſui iuris futurus. Quod nos habemus *Neſcit quod ſtultus ad uincula trahatur*) in Hebræo legitur cum litera ſimilitudinis, Et uelut compes ad caſtigationē ſtulti. Et ſunt qui nullam differentiam ponant inter duas illas ſimilitudines: nempe ſicut bos ad uictimam, & ſicut ſtultus ad compedes. Quia neuter poteſt exitus rei cogitare, neque bos mortem, neque ſtultus caſtigationis acerbitatē uidet: uel eſt ſenſus ſimilitudinis, quod ſubito ſequatur ignarus periculi, ignarus ſe ad mortem trahi, & non ire ad conuiuium, ſed duci ut ſtultus ad uincula. In Hebr. clauſula C illa, & ſicut compes ad caſtigationem ſtulti, ſenſum efficit obſcurum, cum nec præcedentibus nec ſequentibus uideatur cohærere. Abraham filius Hezra, ſic locum explicat, non quaſi ſimilitudinem nouam afferret Salomon, ſed quaſi per epiphonema clauderet narrationem, ad hunc modū ſubaudiēdo quædam: Sicut ad compedem ſiue uincula uenitur, hoc eſt moleſte & cum difficultate, ſic ad diſciplinam ſtultus uenit. Commentarij Hebr. locum exponunt per figuram quam Græci uocant ὕστερον πρότερον, quæ etiā Hebræis eſt frequens: & erit ſenſus iuxta uerborum ordinem immutatum, uidelicet, Sicut ſtultus uenit ad caſtigationem cōpedū, qui nihil aliud quàm iocatur cùm compedibus conſtringitur. Aliter, Stultus qui rectam uirtutum uiam negligit, & ſuo more pro libidi- D ne uiuit, ueniet tandem ad uincula & carceres pœnáſque dabit ſuæ ſtultitiæ, quanuis ille nihil minus à principio cogitat. Idem uſu ueniet huic iuueni. Sequens uerſiculus, *Donec transfigat cor uel iecur illius ſagitta,*) à principio prioris uerſiculi pēdet, uidelicet ibit poſt eam ſicut bos ad mactationem, & ſicut ſtultus ad compedes, donec ſagitta trāsfigat iecur eius. Quod exponunt Hebræi de plaga mortifera, quam maritus mulieris infliget illi, ut certa mors & repentina ſequatur, ac ſi ſagitta transfigeret cor illius. Alij referūt ad clauſulam proxime pręcedentem: nempe, ſtultus toties ueniet ad compedes, donec tandem ſagitta transfigat iecur eius, hoc eſt, donec tandem morte plectatur. Aliter, ut ad ſe- E quentia referatur, ſicut auis feſtinat ad laqueum donec tandem ſagitta transfigat cor illius, & ad laqueum, hoc eſt ad eſcam ſub laqueo. Porro iuxta hunc ſenſum ultima clauſula, nempe, *Et non nouit quod de uita illius ſit*) ad omnes tres ſimilitudines, & ad iuuenem refertur, ad hunc modum: Vt bos non nouit quod de uita ſua agitur, ut ſtultus ductus ad compedes non nouit quod de uita ſua agitur, deniq; ut auis feſtinans ad laqueū non nouit quod de uita ſua agitur, ita neque iſte adoleſcens nouit tractus amore mulieris adulteræ, quātam iacturam animæ ſuæ faciat. Non nouit ſe recta tendere ad mortem animæ ſuæ, ut corporalem mortem euadat, quam frequenter ſubeunt adulteri. Quæ ſe- F quuntur obſcurius indicant non fuiſſe rem geſtam, nec Salomonem conſpexiſſe oculis corporeis, neque audiuiſſe huiuſmodi uerba, ſed monitionem eſſe in genere poſitam: qua mulierc ularum impudentiam depingit, & ſuo filio ponit ob oculos fraudes, quibus uti ſolent aduerſus incautos & imprudentes iuuenes. Quantum denique ſit nephas, uel ullam familiaritatem, cum huiuſmodi inire. Vſque adeo ut uel per earum incedere plateam, aut prope ædes acceſsiſſe, ſit periculoſum, ut ſequitur.

Cap. 7.

» NVNC ergo fili mi audi me, & attende uerba oris mei. Ne abſtrahatur in
» uiis illius mens tua, neque decipiaris ſemitis illius. *Hebræum*. Non declina-
» bit ad uias illius cor tuum, neque errabis in ſemitis illius. Multos enim

» uulneratos deiecit,& fortiſsimi quique interfecti ſunt ab ea. Viæ inferi do- G
» mus eius penetrantes interiora mortis. *Heb.* Viæ inferni domus illius, de-
» ſcendentes ad cubicula mortis.

Haud ita multum refert quòd in Hebræo legatur, nunc filij audite me, & ſumma diligentia uerbis oris mei attendite. Vnius exemplum propoſui,quo teipſum uelut in ſpeculo intueàris, non eſt quod tuis uiribus fidas, aut conſtantiæ, imo procul fugiendum eſt ſi uelis eſſe tutus: Fugite,inquit, fornicationem,1. Corinth.6.Ne flectat cor tuum ad uias quibus incedit, ne forte factus obuius non poteris reſiſtere ſermonibus & blandi- H
tiis illius:imò potius,quàm longiſsime circuibis,ab inſtituto itinere deflecte,quaſi errares in plateis ciuitatis,ne incidas in ſemitas illius adulteræ:uel,ne erraueris, nã ſi cor tuũ declinet ad uias, hoc eſt ad ullam ex iis huius adulteræ, plurimum erraueris.Nam illa plurimos grauiter uulneratos proſtrauit, non hunc ſolum de quo loquutus ſum, quem tu fortaſsis putas tam facile perſuaſum & uictum, quòd imbecillis eſſet, & parum conſtans: imò omnes, hoc eſt plurimi,& ingens numerus robuſtiſsimorum uirorum ,fuerunt ab ea interfecti, & ad inferos deiecti: non enim eſt uia magis compendioſa ad infernum & gehennam, quàm illa quæ ducit ad domum huius mulieris. Sic igitur exi- I
ſtima,te,ſi petas illius ædes,recta ad infernum tendere: ſi illius cubile,quod omnia aromata redolet,adire pergas, te eadem opera deſcendere ad cameras mortis (ut eſt in Hebræo) æternæ,ſupple.quare ſi corporis iacturam & periculum non times, at ſaltem animæ mortem & interitum formidans, omnem fornicationem, adulterium, & illicitum concubitum fuge. Non ſine cauſa uehementer laborat Salomon in principio ſui libelli, ut filium adhuc innocẽtem ad amorem caſtitatis pertrahat: haud ignarus, quanta mala ex luxu & libidine huic ætati perueniant. Quòd ſi de ſpiritus fornicatione locum intelligere malis:Semel copulatus es Chriſto, & illius corporis,nempe eccleſiæ,factus es mẽ- K
brum. Tollens membra Chriſti, faciens membra meretricis ,damnatæ ſectæ uidelicet, abſit. Porro ad reliquos ſenſus ex precedentibus,facilis erit loci applicatio,nos ad ſequentia properamus.

CAPVT OCTAVVM.

» NVNQVID non ſapientia clamitat, & prudentia dat uo-
» cem ſuam? In ſummis excelsísque uerticibus, ſupra uiam in
» mediis ſemitis ſtans. *Heb.* In capite excelſorum ſuper uiam L
» inter ſemitas ſtetit. Iuxta portas ciuitatis, in ipſis foribus lo-
» quitur, dicens. *Heb.* Ad latus portarum iuxta os ciuitatis, in
» introitu portarum uociferabitur.

Sapientiam & prudentiam ſiue intelligentiam, ut eſt in Hebræo,pro eodem fere accipiunt Hebrei expoſitores. Differunt tamen,ut inquit quidam illorum,ut ſcientia & praxis: nam intelligentia ſiue prudentia in moribus conſiſtit. Quod ad ſenſum huius loci M
ſpectat,poſtquam per filium ſuum omnes reuocauit, & deterruit à domo mulieris, ſiue iuxta ſenſum hiſtoricum fornicarię & adulterę,ſiue carnis & cuiuſcunque corruptionis, ſiue denique à commercio eorum qui aliena à fide catholica ſequuntur dogmata.Nunc cuiuſnam doctrinam,& cuius uoces audire debeamus, oſtẽdit: nempe illius qui neque falli,neq; fallere nouit. Abruptus loquendi modus & hebraiſmus ſignificat aliquid deeſſe,& aliquid ſupplendum.quaſi dicat,Fili,ſi mihi non credis,ſi meis uerbis non libet attẽdere,ut puta ſolius hominis,cui nõ poſsit quis ſatis tuto credere,eſt enim omnis homo mendax, ſapientiæ aurem accommodare debes. Quòd ſi dixeris,libenter auſcultarem, ſi illius uocem liceret audire,ſed cum ipſa nuſquam compareat,nuſquam audiatur, quo pacto illi obtemperabo? *Quid*(inquit Salomon)*nonne ſapientia clamabit?*)ut Hebræi legũt,

& nos

A & nos tanquam prophetiæ uerba intelligimus, ut de Christo Dei sapientia, & Dei uir- Cap.8.
tute intelligatur locus, de quo certũ est hoc caput & sequẽs tractare: in quibus omnia de
Christo clarissime licet exponere, etiam historico sensu, præsertim nobis qui luce euan-
gelica illustramur. Licet præterea iuxta alias sapientiæ acceptiones, prius à nobis expli-
catas, locum interpretari, ut propius respiciat eos qui Christum præcesserunt: qui neque
uocem eius, ut Apostoli & Iudæi illius ætatis, neque ipsum in euangelio loquentem, ut
nos hodie, audire potuerunt, quos tamen Salomõ participes huius doctrinæ esse uoluit.
Ne quis igitur nos iudaizare existimet, si in lege aut Prophetarum oraculis, aut etiam
piorum hominum uita ac doctrina, aut denique in operibus Dei, sapientiam clamare
B interpretemur. Et quòd ad sensum spectat historicum, concionandi siue perorandi locus
sapientiæ præparatur ac distribuitur. *Nonne sapientia clamitat?* quis usqueadeò ignarus est
& imperitus, ut ignoret sapientiam clamare, & intelligentiam dare uocem, non solum
per hanc doctrinam meam, quæ angusto angulo orbis docetur (inquit) quæ paucis pagi-
nis continetur: imò me tacente nihilominus sapientia clamabit, & intelligentia dabit
uocem non hæreticorum more, qui latebras quęrunt, & ecclesiæ iudicium recusant, nõ
philosophorum scholis, qui de dogmatibus digladiãtur, dicentes se esse sapientes, stulti
facti sunt, Roma. 1. Sed in uertice excelsorum, in summis montibus, & editissimis pa-
C triarcharum & prophetarum oraculis. *Super*, uel *iuxta domũ semitarum*, hebraismus est,
pro inter duas semitas, uel in cõcursu duarum semitarum stetit sapientia: quod rectè in
consensu legis & prophetarum, aut melius ueteris & noui testamenti, intelligimus. Ad
montem domus Dei si quis accedat, in montium, hoc est doctorum hominum cacu-
mine, sapientiam clamantem audiet. Præterea *ad locum portarum ante ciuitatem, & in in-
troitu portarum* (ut est in Hebræo) *uociferabitur*. Omnibus obuia est sapientia, non solum
his, qui ad montem ascendere possunt, & sublimia speculari, sed etiam indoctę plebecu-
læ & quotquot ciuitatem ingrediuntur, in ipsis portis, ubi solet antiquitus ius dici à se-
nioribus & magistratibus, qui nihil aliud quàm intelligentiam præbent hominibus:
D cum malos coërceant, & studia uirtutum & obseruantiam legis doceant. Cogita igitur,
quoties doctorem insignem & diuinæ legis interpretem, quoties pium concionatorem
à terrenis rebus ad cælestia excitantem audis, toties sapientiam clamantem ausculta. לפי
קרת ad os ciuitatis (ut est in Hebræo) uel iuxta os, uel in ore, hoc est loco publico ubi
præcones uerbi Dei declamare solent, qui meritò os ciuitatis dici possunt. Quoties (in-
quam) studiosum aliquem, exemplar uirtutum, uel uia publica obuiũ habes, quoties de
iustitia & æquitate iudicem deferentem, & decernentem intueris, toties sapientiam cla-
mantem in prædictis locis cogita, inquam, ac si ipsa propria uoce diceret quæ sequũtur.

E „ O VIRI ad uos clamito, & uox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli
„ astutiam, & insipientes animaduertite. *Heb.* Date operam ignari intelligere,
„ & stulti intelligite corde: uel, facite cor intelligere. Audite quoniam de rebus
„ magnis locutura sum, & aperientur labia mea ut recta prædicent. *Heb.* Aper-
„ tio labiorũ meorum rectitudines. Veritatẽ meditabitur guttur meum, & la-
„ bia mea detestabuntur impium. *Heb.* Nam ueritatem meditabitur palatum
F meum, abominatio labiorum meorum impietas. Iusti sunt omnes sermo-
„ nes mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum. *Heb.* In iustitia
„ omnia uerba oris mei, non est in illis obliquitas. Recti sunt intelligentibus,
„ & æqui inuenientibus scientiam.

Quos auditores sibi proponit, & quem ordinem doctrinæ uelit sequi, quodammodo
præfatur sapientia. Quorum utroque suam beneuolentiam, & studium erga mortales
commendat. Porro per doctrinæ suæ ingens & incredibile encomium, dociles & atten-
tos reddit auditores: quos quadrifariam distinguit hoc in loco, quosdam uiros appellãs,
alios filios hominum, imperitos alios, alios denique stultos: & uniuersum mortalium ge

nus cõplectitur. Qui ſapiẽtia ſua & bonitate omnes homines ſiue uiros uirtute excellẽ- G
tes, ſiue filios hominũ qui nihil ſublimius ſapiũt, ſiue ignaros & omniũ rerũ imperitos,
ſiue deniq; ſtultos qui pro bono malũ eligunt, qui hos omnes (inquã) ad imaginẽ ſuã fin-
xit, omnes hos ſapientiæ ſuæ uult eſſe participes. *Ad uos ô uiri clamabo, & uox mea ad filios*
hominum.) Quæ eſt inter uirũ & hominẽ differẽtia iuxta proprietatẽ Romanæ linguæ, eã
inter אדם & איש, Hebræorũ idiomate intelligere licet: quãuis ſi quis eundẽ ſenſum his
aduerſis clauſulis exprimi cõtendat, non repugnabimus, ſcientes eum eſſe morẽ ſcriptu-
rarum, præſertim in hoc libello, & in pſalmis, idẽ uidelicet diuerſis uerbis repetere. He-
bræi aliquot familiarius quidpiam ſonari uolunt, in eo quod dicit, Ad uos ô uiri uoca- H
bo, quàm in illo, Vox mea ad uos filij hominum: quaſi dicat, Nõ ſolum uiri & filij homi-
num, ſed incauti & indocti intelligite aſtutiam, date operam ut intelligatis, animaduer-
tite ut intelligatis, uel tale aliquid iuxta energiam coniugationis intelligendum eſt, in
hoc uerbo התבוננו. Quanuis uſqueadeò expoſita & obuia ſit omnibus ſapiẽtia, & omni-
bus locis occurrat, ab otioſis & negligentibus tamen nõ percipitur, ut qui cæleſtium re-
rum curam non habent. Multo minus à ſtultis, qui ſtudiis diuinæ ſapientiæ contrariis,
mentem occupant. Satius eſt imperitum eſſe & ignarum, quàm uitiis deprauatam ha-
bere intelligentiam. *Et ſtulti (inquit) intelligite corde*: quaſi dicat, Cor habetis, ſed ſenſu ca- I
rens, aut rebus alienis ab intelligentia occupatum. Et hæc hactenus quod ad auditores
diſtinguendos & admonendos ſpectat. Deinde doctrinam ſuam magnis laudibus meri-
to extollit. Primo quòd magnis de rebus dictura ſit, audite inquiens, nam magna ſunt,
hoc eſt bona & utilia ſunt, quæ dicam: magna præterea facilitate & aperte, quæ duo ex
illo uerſiculo intelligimus. Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum, *& aperien-*
tur labia mea, ut recta prædicem. In Hebræo, apertio labiorum meorũ rectitudines: Alioqui
nihil facilius quàm labia aperire. Ad hæc quod ueritati conſona ſit ſua doctrina, & ab
omni errore aliena, confirmat ne male intelligatur quod præceſsit. Quaſi apertione la- K
biorum & facilitate dicendi, quicquid in buccam uenerit, uelit effutire. *Veritatem me-*
ditabitur guttur meum) in Hebræo palatũ meum: Linguam & cætera locutionis inſtrumẽ-
ta intelligimus. Meditari uel lingua intelligitur, & ad diligẽtiam & ſedulitatem docen-
di ſpectat: uel meditari mente poteſt intelligi, & ad grauitatem, & maturitatem doctri-
næ refertur, ſecundum ea quæ ſequuntur. *Et labia mea deteſtabuntur impium:*) ſapientiæ
enim nihil magis odibile quàm impietas, & quicquid à uera religione eſt alienum. *Iuſti*
ſunt omnes ſermones mei,) uel in iuſtitia omnia uerba oris mei. Nihil peruerſum uel tor-
tuoſum noſtra cõtinebit oratio: ſed in iuſtitia, uel de iuſtitia & æquitate, quæ hominem
homini conciliat: hoc eſt de his quę iuſtos & rectos facit auditores. Omnia hęc, quàm ad L
amuſsim Chriſto conueniant, manifeſtius eſt quàm ut opus ſit admonere. Porro de
myſticis ſcripturis & euangelica lege intelligi poſſunt, in quibus ſi quid obliquum aut
peruerſum tibi uideatur, ſcias te non intelligere quod ſcribitur. Sũt inquit ſapientia hæc
uerba mea recta intelligenti, & recta his qui ſcientiam illorum inueniunt. Latent enim
nonnunquam ſcripturarum ſenſus, & ſignatus eſt liber, quem qui uolunt aperire, ab eo
quærant, qui aperit & nemo claudit, & ab iis, quibus eum aperuiſſe conſtat, nempe ue-
Apoc.3. nerabilibus eccleſiæ doctoribus, antiquis & ueris ſcripturarum interpretibus: qui carnẽ
Galat.5. ſuam crucifixerunt, cum uitiis & concupiſcentiis ſuis. Hebræi in hoc uerſiculo, Omnia M
ſunt recta intelligenti, נכוחים recta ad docendi ordinem, & intelligendi facilitatem re-
ferunt: quaſi dicat, eo ordine ſunt ſapientiæ uerba connexa, & tam concinne diſpoſita,
ut ſtudioſe quærentibus facile ſcientiam commonſtrent.

" ACCIPITE correptionem meam, & non pecuniam, doctrinam magis
" quàm aurum diligite. Melior eſt enim ſcientia cunctis opibus pretioſis, &
" omne deſiderabile ei non poteſt comparari. *Heb.* Melior eſt ſapiẽtia gẽmis,
" & omnia deſiderabilia non æquabunt eam.

Poſt meritas ſuæ doctrinæ laudes, quibus dociles & attentos auditorum animos uoluit efficere,

A efficere,quid in primis proponat audiamus. Accipite diſciplinam, ſiue correptionem. Cap.8.
Aequa & prudens rerum æſtimatrix ſapientia nouit quàm male conueniat rerum mun
danarum ſtudium ſuis auditoribus.Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Matt.6.Qui
terrenis curis & cumulandis opibus ſtudent, à ſapientia ſunt alieni.Vnde quidam diues
& auarus in euangelio audiuit, Stulte, hac nocte repetent animam tuam,Lu.12.Ab hac
ſtultitia in primis alienos eſſe oportet,ſi ſapientiam uolumus audire, ſi in ſchola ſapien-
tiæ diſcipuli eſſe uolumus, ſi corripi & caſtigari ab ea æquo feramus animo, quod ipſa
in primis monet, inquiens.Accipite quotquot eſtis ſiue uiri, ſiue filij hominum, ignari
& ſtulti,meam diſciplinam,accipite potius quàm argentum.Quandoquidem ſapientiã
B huius mundi,quæ ſplendet uelut argentum, & famam apud uulgus ſibi acquirit, cum
hac ſapientia quam ego trado, complecti non poteſtis.relicta igitur pecuniæ acquiren-
dæ ſcientia, meam diſciplinam amplectimini: neque uos moueat aurum quantumuis
ſelectum,ſed potius ſcientiam meam eligite, quæ melior eſt ullis rebus terrenis, quan-
tumuis precioſis :ut cuius poſſeſsio animam ornat, paſcit & nutrit,& uitam perpetuam
præſtat. Quare nulla quãlibet deſiderabilia ex rebus terrenis poſſunt cum hac ſcientia,
quam ſapientia largitur,conferri.

C EGO ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.
„ *Heb.* Ego ſapientia habitaui in aſtutia, & ſcientiam cogitationum inueniã.

Senſus eſt,ſapientiam non eſſe abſque aſtutia & conſilio in rebus agendis,non ſolum ad
ſpeculationem ſeſe extendere:imò ſapientiam omnes prudentiæ & conſilij, ſiue callidi-
tatis circunſtantias habere notas,ac ſi in medio earum maneret, & ſummam familiari-
tatem haberet cum illis : ſic Aben Hezra.Poſterior pars uerſiculi,quæ in Hebræo ſic ha-
bet, *Aſtutiam ſcientiámque cogitationum inueniam*) habet ambiguam intelligentiam : uel,
quòd ſapientia dicat ſe inuenturam ſcientiam cogitationum, quaſi ſcrutator cordium.
Et Chriſtus legitur uidiſſe multorum cogitationes : uel, cogitationes ſcientiæ, hoc eſt,
D non uulgares neque uanas ſuggerere cogitationes, ſed eruditas, quæ ad inuentionem
ſcientiæ ſpectant : Ne quis rudem & rerum humanarum expertem ac ignaram fingat
ſapientiam:& proinde futuro tẽpore utitur,ut oſtendat, inquit Aben Hezra, ſapientiam
præcedere,& authorem eſſe omnis ſcientiæ & cogitationum grauium.

„ TIMOR domini odit malum, arrogantiam, & ſuperbiam,& uiam pra-
„ uam, & os bilingue deteſtor. *Hebræum,* Timor domini odire malum,ſuper-
„ biam & arrogantiam, uel ſuperbia tumeſcentem, & uiam mali, & os per-
E uerſitatum odi. Meum eſt conſilium & æquitas,mea eſt prudentia,mea eſt
„ fortitudo. *Hebræum,* Meum eſt conſilium & lex,ego intelligentia ſum, mea
„ eſt fortitudo.

Poſt exordium, in quo(ut diximus) in magnam ſuæ doctrinæ expectationem erexit au-
ditorem, ſequitur narratio, ſiue recitatio & commemoratio bonorum, quæ à ſapien-
tia proueniunt: inter quæ primum eſt,Timor domini initium ſapientiæ,ex quo naſcitur
odium mali,quod in genere dictum eſt.Nam præcipue arrogantiam odit & ſuperbiam,
F per quam peccatum intrauit in mundum, per quam creatura rationalis à ſuo receſsit
conditore:Non ſine cauſa igitur ſapientia, quæ timorem domini piis mentibus transfun
dit,non ſolum ſuperbiam, ſed ſuperbia tumentem, uel eum qui ſuperbia totus eſt,hoc
eſt authorem ſuperbiæ diabolum,odio habet. Quanto magis timorem domini ample-
ctimur illius bonitatis & maieſtatis concepta magnitudine immenſa & maieſtate, tan-
to clarius etiam noſtram imbecillitatem & indigentiam intelligimus, & cogimur illius
reuereri celſitudinẽ, noſtram deplorare miſeriam. Timor Dei(qui humilitatem ſociam
& amicam habet) alieniſsimus eſt ab omni ſuperbia. Et quanuis malum non poſsit hu-
mana fragilitas ex ſeſe penitus declinare, ab omni peccato ſuis uiribus pura, & prorſus
incontaminata abſque Dei gratia conſiſtere, tamen ex ſapientia Dei timore concepto,

omnem uiã mali,& conſuetudinẽ peccandi odio habebimus:ſic enim uocẽ Hebræã דרך G
uiam pro frequentatione accipiunt Hebræi.Secundo in loco,*Os peruerſitatum ipſa odi*(inquit ſapientia)recta loquor & uera,ut ſuperius lectum eſt. Pater mẽdacij peruerſa & falſa loquitur,& quotquot ex parte diaboli ſunt,ueritati reſiſtũt, & doctrinam ſpiritus ſancti calũniantur.Id quod utinam in ſolos Iudæos, qui Chriſto Dei ſapientiæ,dum in terris ageret,reſtiterunt,referre liceret:& non etiam in magiſtros errorum noſtri temporis, qui ore peruerſo conantur ſubuertere,quæ hactenus à primordio naſcentis eccleſiæ, ſapientiam Dei docuiſſe conſtat per ora patrum: imo per corda credentium.Sunt qui iungunt os cum præcedẽtibus,ut ſit ſenſus:Timor Domini odit uiam malam, & timor Do- H
mini odit os malum, peruerſitates uerò ego odio habui. *Meum eſt conſilium & æquitas*) ſiue lex,(ut in Hebræo legitur.) Cum angelus ſatanæ transfiguret ſe in angelum lucis, 1.Corint.10. & difficile ſit deprehendere peruerſitates oris in multis, conſilio eſt opus, opus eſt lege,hoc eſt cognitione legis diuinæ,qua nobis præſcribũtur recta & uera, quæ quidem uirtutes non aliunde petendæ ſunt,quàm à ſapiẽtia: quę inquit, Mea ſunt,conſilium & lex, ſiue æquitas.uox Hebræa תושיה, quæ ab eſſendo deducitur,rem ſtabilẽ & firmam ſignificat,ut ſæpe monuimus.Sunt igitur dotes ſapientiæ,cõſilium & ſolida cognitio : Mea eſt prudentia ſiue intelligentia בינה Hebr. qua piorum hominum illumi- I
nantur animi.*Mea eſt fortitudo.*) A ſapientia non ſolum intelligentiam recepimus,& cæteras uirtutes,quibus uias malas & oris peruerſitates diſcernimus : ſed fortitudinẽ quoque,qua armati uincamus mala, nec locum demus peruerſitatibus, quas odit ſapiẽtia. Atqui hactenus facta eſt mentio de uirtutibus his,quę ſapientiæ ſunt peculiares,& quæ de illius ſubſtantia eſſe putantur: ſecundum locum habent,quæ ſunt circa ſubſtantiam, aut ſi mauis attributa uocare.

» PER me reges regnant,& legum conditores iuſta decernunt.Per me prin-
» cipes imperant,& potentes decernunt iuſtitiam. *Heb.* Per me reges regna- K
» bunt,& gubernatores decernent iuſtitiam.Per me principes principatum
» obtinebunt,& nobiles erũt omnes iudices terræ. Ego diligentes me diligo,
» & qui mane uigilauerint ad me,inuenient me. Mecum ſunt diuitiæ & glo-
» ria: opes ſuperbæ & iuſtitia: *In Hebræo,* diuitiæ antiquæ & iuſtitia. Me-
» lior eſt fructus meus auro & lapide precioſo, & genimina mea argento ele-
» cto. *Heb.* Melior eſt fructus meus auro & obrizo, & prouentus meus ar-
» gento electo. L

Maximæ ſunt ſapientiæ dotes,quas ſuperius recitauimus, ſed tamen his cancellis aut finibus non coarctatur ſapientia : neque ſolum ad futuram uitam eſt neceſſaria,imò nulla pars præſentis conuerſationis, ſapientia carere poteſt. Et qui minime omni ſubſidio alterius uidentur egere,ſapientia maxime egent,neq; alia ratione poſſunt ſupremi magiſtratus & reges,regio fungi munere, cum æquitate & clementia moderari remp. niſi ſapientia ſuggerente prudentiam,& animum principe dignum, quo non ſuam ſolum ſed Dei gloriam,non ſua ſolum ſed populi & reip. commoda quęrat.Quod ſi legibus & ſtatutis æquis,malorum inſolentiam coërcere oporteat,nemo principum aut magiſtra- M
tuum hoc munus pręſtare poterit,niſi ſapientia edoctus,ut proſpicere poſsit quid omnibus conducat.Aequas enim non condit leges,qui alio quàm ad omniũ legum ſcopum, nempe iuſtitiam dirigit oculos.Et ut regibus,& ducibus qui ſub regibus moderantur & regunt plebem,ſatis non eſt quocunq; modo imperium accepiſſe: ſed,quemadmodum Non eſt poteſtas niſi à Deo, ut inquit Paulus, Rom. 13. ita à Deo ſapientiam accipere oportet,ſi modo boni principes eſſe uolunt, & populum cum imperio ſubditum tenere legitimo : ſi ut principes haberi uolunt, & nominis famam tueri : hoc enim ſignificat נדיבים laudabiles & clari, ab auaritia alieni, quales ſine ſapientia eſſe non poſſunt. Iudices præterea, qui in terris Dei benedicti locum ſuo more occupant, abſque ſapientia cauſas decernere, litéſque dirimere non poterunt. Sed dicet aliquis fortaſsis,

A taſsis, Quibus modis aut qua arte acquiritur iſta ſapientia omnibus ordinibus uſque adeò neceſſaria? num regiis opibus comparatur, aut uiribus belli & copiis acquiritur? minime gentium. Imò ut omnibus maximopere eſt neceſſaria, ita eſt omnibus obuia & facilis, non rigida, non tetrica, non elata faſtu, ſed benigna, generoſa & humilis: inquiens, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, Matth. undecimo. Nõ arte aliqua eſt opus ad ſapientiam comparãdam, ſed ſolo amore, quo nihil eſt humano generi conuenientius. *Ego* (inquit) *amatores meos diligo, & qui mane uigilauerint ad me, inuenient me:* uel, *qui quærunt me, inuenient me.*) Vox Hebræa שחר auroram ſignificat, unde deducitur uerbum שחר, ſignificans mane quærere. Senſum bene reddidit interpres, utranque ſi-
B gnificationem uocis Hebrææ complexus. Mane uigilare ſiue quærere, ſignum ſolicitudinis & curæ eſt. Qui ſomno dediti ſunt & otio, ſapientiæ non ſunt amatores, ſed qui mane quęrunt, hoc eſt ante omnia alia: Primum quærite regnum Dei, Matth. 6. Et unà cum ſapientia inuenietis opes & gloriam: & hoc eſt quod Euangeliſta adiecit, Et hæc omnia adiicientur uobis. In Hebræo legitur, Antiquas opes, uel diuitias antiquitatis inuenient, hoc eſt permanentes & ſtabiles: non opes ſuperbas, ut nos legimus. Quanuis ſenſum habeat non abſurdum quod noſter reddidit interpres, ſed myſticum magis quàm hiſtoricum. *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia.*) Cum ſapientia
C ſunt opes, unà cum iuſtitia. Qui diuites ſunt huius mundi, plerique mammonam habent iniquitatis, quam frequenter uel acquirunt, uel ſeruant iniuſte. Amatores ſapientiæ cum iuſtitia ſtabiles & antiquas habent opes, quas fures non effodiunt nec furantur, Matt. 6. Et quãuis uox Hebræa iuſtitiam ſignificet proprie, Aben Hezra tamen hoc in loco, ut perpetua ſeruetur metaphora, fœlicitatem uertit ſiue proſperitatem: quaſi dicat, Omnia à ſapientia recipiunt illius amici, quæ ſtulti & indocti homines in mundo quærunt, opes, gloriam & fœlicitatem: aut hæc, inquit, aut his maiora. unde ſequitur, *Melior eſt fructus meus auro & obrizo.*) in Hebræo, & prouẽtus meus argento electo. Ex-
D plicat ſeſe, metaphorice uidelicet fuiſſe loquutam de diuitiis & gloria, non fallacibus neque uana huius mundi gloria. Sed diuites ſunt bonis operibus ſapientiæ amatores, & coram angelis Dei, coronam glorię habent immarceſsibilem, 1. Pet. 1. Hebræi diſcrimen obſeruant inter has uoces פרי fructus, & תבואה prouentus. Nã תבואה, id eſt annona, ut inquiunt, ex ſemente & agricultura prouenit, & annuo aut potius crebro & fere quotidiano cultu eget. פרי autem, id eſt fructus, qui ſponte ex arboribus naſcitur, ſemente nõ eget annua, per quem ſtabilem ſcientiam & fidem intelligere licet: per annonam uero integritatem morum, & uitam frugiferam, quæ quotidiano labore & pœnitentia, quaſi cultura & ſtercoratione indiget. Sequitur

E

IN VIIS iuſtitiæ ambulabo, in medio ſemitarum iudicij, ut ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. *Heb.* Vt in hæreditatem, uel iure hæreditario accipere faciam amatores meos eſſe, quod eſt, uel eſſentiam, & theſauros eorum implebo.

Inter iuſtitiam & iudicium ſic diſtinguunt Hebræi, ut illa in genere & ſimpliciter intel-
F ligatur omnis probitas: iudicium uero referatur ad æquitatem, quæ eſt inter uirum & proximum ſuum. Quod ad ſenſum ſpectat horum uerſuum, à ſuperioribus pẽdet: prius enim de diuitiis & gloria facta eſt mentio, ad quas iuſtitia & æquitate peruenire in hoc mundo facile non eſt. Fere enim qui auare & immodice cõgerunt opes, aliorum damno diteſcunt. Sed longe alia ratio eſt opum, honoris, fructuum & annonæ, quæ bona, ſuis largitur ſapientia, quæ in uiis iuſtitiæ ambulat, & ſuos ambulare facit, ut primo recte ſibi priuatim uiuant. Deinde in medio ſemitarum iudicij, quod ad alios ſpectat. In medio inquam, neque fauore ad dextram, neque odio ad ſiniſtram declinantes. Primam clauſulam ad uitam contemplatiuam referunt etiam Hebræi. Secundam uero ad actiuam, *Vt ditem diligentes me*) uel, ut hæreditatem conferam amicis meis eſſe, eſſentiam uel id quod eſt, יש, Hebraice quod uere eſt, non fallaces diuitias quæ pluribus modis pereũt,

ſed ſolidas, ueras, & perennes, quas in cælis recondunt ſapientes, copioſe eleemoſynis G
in pauperes, & beneficiis in omnes collocatis.

» DOMINVS poſſedit me, initium uiarum ſuarum, antequam quicquam
» faceret. *Heb.* Ante opera ſua ex tũc. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis,
» antequam terra fieret. *Heb.* A ſeculo coronata ſum, à principio antequam
» terra. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram, nõdum fontes aqua-
» rum eruperant. *Hebræum*, Cum non eſſent fontes grauidi, uel redundantes H
» aquis. Necdum montes graui mole conſtiterant, ante omnes colles ego par-
» turiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terrarum.
» *Heb.* Adhuc non fecerat terram, neque plateas, neque principium gleba-
» rum orbis terræ. Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege, &
» gyro uallabat abyſſos. *Heb.* Dum præpararet cælos, ibi eram, dum deſcri-
» beret circunferentiam ſuper faciem abyſsi. Quãdo ęthera firmauit, ſurſum
» librabat fontes aquarum. *Heb.* Cum roboraret nubes ſurſum, dum fortifi- I
» caret fontes abyſsi. Quando circundabat mari terminum ſuum, & legem
» ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos. *Heb.* Cum ſtatueret mari terminum
» ſuum, ut aquæ non tranſirent littus ſuum, dum ſtabiliret fundamenta terræ.
» Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens co-
» ram eo omni tempore. *Heb.* Equidem fui prope eum nutricius, & fui in
» deliciis quotidie ridens coram eo omni tempore. Ludens in orbe terrarum,
» & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. *Heb.* Ridens, uel faciens ridere
» alios, in orbe terrarum, & gaudia uel iucunditates meę cum filiis hominum. K

Hactenus in hoc capite poſt exordium, quo ad audiẽdum prouocamur, nihil aliud fere proſequutus eſt ſapiens, quàm inſignes ſapientiæ laudes: quas hoc triplici genere colligere licet, nempe ut primo intelligamus connumerari illa, quæ ſapientiæ ſunt propria, ídque uſq; ad illum uerſiculum, Per me reges regnant. Deinde ab eo loco, Per me reges regnant, hucuſque, quanta mortalibus conferat beneficia, quámque ſit neceſſaria omnibus omnium hominum conditionibus, ſiue priuatam, ſiue publicam geras perſonam, oſtenſum eſt, illius uidelicet officia, & qualitates deſcribẽdo, quæ circa ſubſtantiam con- L
ſiſtunt, tanquam ornamenta, quibus uideatur hominibus maxime commendari. Nunc tãdem quoniam antiquitas res commendat, & dignitates auget, res præterea geſtæ olim cum laude, commendant eum qui præclare egit: opera denique affabre facta, celebritatem conferunt opifici. Hoc tertio loco ab æternitate ſapientiam laudat, & ab operibus quibus innotuit ſapientia, non amicis ſolum, ſed omnibus, quotquot una cum oculis animum ad cælum leuare uolunt: hi, inquam nolentes uolentes coguntur ſapientiæ diuinę agnoſcere maieſtatem & potentiam: quę, ut ipſa teſtatur, à Deo poſſeſſa fuit in prin
cipio uiæ ſuæ, hoc eſt, operationis ſuæ internæ & ineffabilis, qua filius à patre genera- M
tur uerbum à mente: ſecundum quod ſcribitur, Et uerbum erat apud Deum, Ioannis 1. Tanquam principium ſiue primitiæ uiæ ſuæ (ut in Hebræo legitur) per quam uel ipſa ad creaturas deſcenderet, pro infinita bonitate ſua, uel per quam nobis ad Deum pateret aditus. Nam nemo aſcendit in cælum, niſi per eum qui deſcendit de cælo, Io. 3. Hoc inquam, uiarum ſuarum principium poſſedit Deus pater, ſiue acquiſiuit (uerbum enim Hebræum קנה utrunque ſignificat) æterna generatione. *Antequam quicquam faceret à principio*:) uel, ex tunc, ante opera ſua quæcunque ad extra, ut theologorum utamur uerbo. *Ab æterno ordinata ſum,*) A ſeculo, uel ante ſecula, regiam poteſtatem obtinui, electa ſum, ſiue conſtituta, & uncta ſum in reginam & dominatricem, oleo lætitiæ,

Pſal.

A Pſal.45. Vt æqualem cum Deo patre maieſtatem & auctoritatem intelligas. Pater & ego unum ſumus, Ioã.16. obſeruandũ eſt hoc in loco, ſcribi illud uerbum Hebræum נסכתי, quod ſecundo Pſalmo ſcriptum (ſed hic patientis uoce, illic uero agentis legitur) à ſeptu. uertitur, Conſtitutus ſum rex ab eo: à D. Hiero. ibidẽ uertitur, Ego ordinaui regẽ meũ. hoc in loco creationem rerum narrans, nihil abſque ſapientia factum indicat, ut non ſolum æternitate ſua antiquiorem quauis creatura, ſed etiam creaturarum opificem ſapiẽtiam intelligas. Nec eſt quod quiſquam Iudaico more hæreat in uerbis aliquot, quæ à creaturis ad creatorem transferuntur, uidelicet cùm concepta aut formata dicitur diuina ſapientia: ſed morem ſcripturarum obſeruet, quæ uerbis humanis, hoc eſt, quæ ab B hominibus intelligi poſſunt, res ſublimes & cæleſtes omnémque humanum intellectum ſuperantes, conatur explicare. Cæterum Iudæorum errorem, & Arrianorũ de filio Dei ſatis alioqui redarguit ſapiẽs, dicendo: Ante opera ſua in principio poſſedit me dominus, ne de quacunque creatura, quæ opera Dei ſunt, & non ante opera, ſermonem eſſe putares. Quod etiam in uerbo נסכתי principatum obtinui, uel uncta ſum, intelligitur. Cum diuina ſapientia ſe non temporis ſucceſsione adoleuiſſe, aut paulatim ad perfectionem perueniſſe, ſed ſtatim ab initio principatum & ſummam authoritatem tenuiſſe. A ſeculo (inquit) ordinata ſum in principem. Porro in cõmemorandis operibus creationis, quiC bus omnibus longe antiquior fuit diuina ſapiẽtia, hunc ordinem obſeruare licet. Primo infima connumerat elementa, atque ſenſim ad ſuperiora & cæleſtia corpora aſcendit. *Antequam terra fieret.*) Et terram intelligimus, ut ibi, In principio creauit Deus cælum & terram, Geneſ. 1. pro materia omniũ elementorum. *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.*) Hebræum, Cum non eſſent abyſsi, ego formata fui, & cum non eſſent fontes grauidi, abundantes, aut ſcaturientes aquis. quibus uerbis omnem aquæ naturã, ſiue ſtagnantem, ſiue decurrentem expreſsit. Hieronymus, Nondum fontes aquarũ eruperant. Sequitur, *Priuſquam montes fuiſſent fixi, & colles,* (qui ob ſtabilitatem, in reliquam terram radices egiſſe uidentur) *nata ſum.*) Sic optime uertitur hoc uerbum חוללתי quod pareD re ſignificat, & eſt ex eorum uerborum claſſe, quæ actionem & paſsionem ſignificant, Hiero. Ante omnes colles ego parturiebar. Sequitur, *Adhuc terrã non fecerat, & flumina, & cardines orbis terrarum.*) Hebræum, ut nos uertimus, non fecerat terram & plateas: quidam urbes intelligunt, ſed melius loca aperta & ſpatioſa ſignificantur, & uaſtum aëris elemẽtum, quod reuera latum & ſpacioſum uidebitur, ſi ad aquæ & terræ anguſtias conferatur. Et hanc potiſsimum interpretationẽ ſequimur, quod apud Moyſen in creatione mũdi: Nulla fiat urbium aut platearum memoria, Alioqui per חוצות plateas, terram habitabilem, & plateis idoneam licet intelligere. Et quod ſequitur: & cardines orbis terræ. Hebr. Caput uel initium orbis terrarum, uel præcipuas terras orbis. Aben Hezra E uertit uocẽ ראש caput, per מראש ante, ut ſit ſenſus, Ante terras, uel pulueres orbis, hoc eſt aridam. Si uerbis iſtis quartum mũdi elementũ, ignis uidelicet, poſsit intelligi, iuxta Hebræorum cõmentarios non ſatis uideo. Neque puto neceſſarium ſcrupuloſius, hac de re diſſerere, ſed potius ſcripturæ ſcopum eſſe intuendum, quæ hoc in loco docet diuinam ſapientiam antiquiorem eſſe quauis creatura, & non ut illa principium habuiſſe, aut eſſe poſt non eſſe: imo rerum creationi præfuiſſe tãquam omnium authorem & cauſam, iuxta quẽ ſenſum ſequitur, *Quando præparabat cælos, aderam, quando certa lege & gyro uallabat abyſſos.*) Hebr. Dum deſcriberet uelut circino circunferentiam ſuper faciemF abyſsi: quaſi dicat, hæc me præſente & opifice ſiue authore facta & ordinata ſunt. Hæc rerum pulcherrima deſcriptio, non niſi à ſapientia diuina eſt, non ab æterno ſiue origine, ut philoſophi putant, ſed ordine mirabili ſunt Dei prouidentia digeſta. Energiam quandam ſubindicat uerbum הכין præparauit, fecit, uel curauit præparari, actionẽ in alium transferens. Hoc eſt per me, quæ aderam (inquit ſapientia) præparauit, mihi delegauit Deus pater munus præparandi & ornandi cælos ſyderibus: Pater enim amat filium, & omnia dedit in manu eius, Ioan. 3. Porro cũ deſcriberet circunferentiã ſuperius in ſuperficie abyſsi, mundum hunc inferiorem, qui ex elementis & rebus obnoxiis corruptioni & generationi ſucceſsiuæ, abyſſum uocat, qui ueluti centrum ad circunferentiam ſe ha-

bet חוג uel circinus eſt,quo deſcribitur circulus(quanuis grammatici מחוגה circinum G
uocant) uel circunferentia ueluti circino deſcripta (Hiero.gyro uallabat) per quam cor-
pora cæleſtia,in quibus nulla hactenus fit mutatio,ſtabilita dicuntur. Hebræi ad cælum
angelorum referunt, quod illis eſt tertius mundus.Nam apud Iudæos infimus mundus
eſt elementorum,ſecũdus corporum cæleſtium & ſtellarum,tertius angelorum : ad quã
opinionem alluſiſſe uidetur Paulus apoſtolus, cùm dicat, ſe ad tertium cælum fuiſſe ra-
ptum,2. Corint.11. Nempe inter choros angelorum. Et tunc erit ſenſus, dum roboraret
cælos deſuper,& fortificaret fontes abyſsi.ſ.deorſum, ut perennes uidelicet ſcaturigines
effunderent. Niſi mauis ad aquas quæ ſuper cælos ſunt, referre: quod Hieronymus ui- H
detur intellexiſſe, uertens, librabat fontes aquarum, ut ſit hiſtoricus & ſimplex ſenſus
huius loci, non alius quàm aquarum deſcriptio diuerſarum, quæ mirabili artificio per
ſapientiam diuinam ſunt diſpoſitæ & præparatæ,non in una collectione aquarum quod
mare uocamus, & reliquis fluminibus, ſed mirabili quoque potentia in nubibus ſur-
ſum conſolidatæ, quæ fontes abyſsi,hoc eſt omnium aquarum,dici poſſunt: ex nubibus
enim,quæ nulla humana, ſed Dei duntaxat potentia ſurſum in aëre pendent, hic infe-
riorum aquarum abyſſus, ueluti ex fontibus aquas recipit. Atqui huic expoſitioni qua-
drant quæ ſequuntur: *Quando circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis* I
ne tranſirent fines ſuos.) Cum poneret mari ſtatutum ſuum, aut terminum, ne aquæ
littora egrederentur, & deſcriberet fundamenta terræ, uel ſtabiliret. Hieronymus ap-
penderet: neque enim perſeuerare poterat immobilis tam grauis natura, niſi colloca-
tis fundamentis & ſtabilitis . Omnia hæc,quæ de terra & aquis bis poni uidentur, ſic
ſunt accipienda, ut primo de creatione, ſecundo de diſpenſatione, & conſeruatione
creaturarum fiat ſermo. Quæ omnia à patre per filium fiunt: Pater meus uſque modo
operatur & ego operor, Ioannis 5. conſeruando uidelicet, & diſpenſando quæ condita
ſunt in principio: id quod non minoris potentiæ uidetur, & bonitatis quodammodo
maioris. ut ſequitur: *Cum eo eram cuncta componens.)* Hebr. & fui prope eum nutri
cius.Cuius hic ſenſus eſt, iuxta quoſdam ex Hebræis: Quemadmodum ſolent proceres K
procreatis liberis, nutriciis & præceptoribus tradere, ut educentur & inſtruantur, haud
aliter productis Dei potentia rebus, & ex nihilo creatis, non poſſunt ad finem deſti-
natum pertingere, niſi à diuina ſapientia moderate gubernentur: non poteſt inquam,
præſertim rationalis creatura ſibi relicta, cuius unicę curam accepit diuina ſapien-
tia, non ſolum in fine ſeculorum ex uirgine nata, ſed ſub lege & ante legem crebris
uiſionibus & umbris,patribus apparens,ut Euangelium teſtatur,Ioan.8.Abraham uidit
diem meum:& alibi,Moyſes ſcripſit de me,Ioan.5.non igitur eccleſiæ ſolum,ſed prioris
populi paſtor, & nutricius ſiue alumnus fuit Dei ſapientia,ſubinde rebelles caſtigãs eo- L
rum mores.Iuxta illud Eſa.65.Sed in omni tribulatione eorum,non eſt tribulatus,& an-
gelus faciei eius ſaluauit eos in dilectione ſua,& in indulgentia ſua:ipſe redemit eos,&
quæ ſequuntur.Quod dicit apud eum,uel prope eum, ſignificat non aliter ſapientiam
Dei gubernare, quàm ipſius patris fuerit uoluntas. Et delectabar per ſingulos dies: uel,
fui in deliciis. Ego ſapientia, quæ per os Salomonis familiarius loqui cum hominibus
incipio, apud patrem fui ab ęterno in delectationibus more chariſsimi filij,cuius ample-
xibus mirifice delectatur pater. *Fui ſemper ridens)* uel ludens cum eo, ut quo cum nun-
quam ſuccenſet pater,ſed ſemper clarificat,inquiens,Ioan.7.Omnia mea tua ſunt:Qua, M
quæ poſsit cogitari maior lætitia,maiorésq; deliciæ? Hæc ſapientiæ diuinitatem manife-
ſtiſsime oſtendunt,quantũuis reclamãte populo duræ ceruicis:nempe Iudaico, quorum
tamen aliqui fatẽtur delicias,hoc in loco repręſentare dulcedinẽ & lętitiam illam, quam
in ſuiipſius apprehenſione capit Deus benedictus: & quaſi dicat,inquiunt commentarij
Hebręorũ,quòd ſapientia ſit eadem in ſemetipſa cum Deo benedicto. Quãuis quod ſe-
quitur,*Ludens in orbe terrarũ)* ad utrãuis naturam in Chriſto referri poſsit,tamen apertius
ad naturam humanam quã ex homine accepit,cuius clementiam admiratus Dauid, &
obſtupeſcens,inquit,Quid eſt homo quòd memor es eius,aut filius hominis,&c.Pſal.8.
ſummę delectationi fuit ſapientiæ diuinæ uerſari cum filiis hominum, & impertiri illis

cęleſtes

A cælestes delicias & gaudia, quibus ab æterno fruitur cum patre. Ex his infert sapientiam esse necessariam filiis hominũ ad ueram fœlicitatem assequendam, & necessarium uicissim amare sapientiam, illius in primis studiosos esse, per quam solam Dei consequimur amorem, & æterna supplicia euitare poterimus, iuxta ea quæ sequuntur. Cap. 8.

„ NVNC ergo filij audite me, beati qui custodiunt uias meas: audite disci-
„ plinam, & estote sapientes, & nolite abiicere eam. *Heb.* Audite correptio-
„ nem uel disciplinam, & eritis sapientes, non habebitis supplicium. Beatus
„ homo qui audit me, & qui uigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad
B postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet uitam, & hauriet salutem à do-
„ mino: Qui autem in me peccauerit lædet animam suam. *Heb.* Nam qui
„ me inuenit, inuenit uitam suam, & educet uoluntatem à Domino: Et qui
„ peccat in me, facit iniuriam animæ suæ: qui me oderunt, diligunt mortem.

Frequens in ore sapientiæ nomen filij, nomen charitatis, ut quæ malit amore prouocare, quàm pœnis terrere. Et hoc uersiculo primo idem fere dicit, quòd Christus Luc. 11. Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. *Audite disciplinam & estote sapientes.*) Inter uias sapientiæ, uel prima est, disciplinam accipere, mores corrigere, uirtutum
C studia amplecti, & non illotis (quod aiunt) pedibus uelle sapiẽtiam possidere: Non enim intrabit in animam maleuolam, neque habitabit in corpore subdito peccatis. *Et eritis sapientes.*) uerti potest imperatiuus pro futuro, quanuis sensus eodem redeat: nempe disciplinam accipere, mores castigare, esse magnam partem sapientiæ humanæ. quasi dicat, Idem est inculpate uiuere & sapere. *Audite disciplinam:*) Obedite filij his qui uos castigant & sapite. hac ratione ostẽdes te sapere. Quod sequitur, *Nolite abijcere eam.*) In Hebræo אל תפרעו ambiguum sensum habet, propter multiplicem huius uerbi significationem: significat enim irritare, abiicere, pœnitere, uindicare, soluere: in quo sensu nem-
D pe soluendi, posse accipi hoc in loco à quibusdam putatur. quasi dicat, Audite correptionem meam & sapietis, uel sapientes eritis, gratis & absque pretio, nihil soluetis. Pronomen, eã, in Hebræo non legitur. Aliter, accipite disciplinam, hoc est corrigite mores, & non luetis pœnas. Vt cum illo Pauli conueniat: Si nosmet ipsos diiudicaremus, non utiq; iudicaremur, 1. Cor. 11. Mihi uero germanus huius loci, & qui maxime quadrat, sensus uidetur, si pro impedire accipiatur, uerbum Hebr. פרע ut sit sensus: audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite frustrare uel impedire, s. disciplinam meam: irrita enim est disciplina patris, si filius non corrigatur. Atqui hic est, primus gradus ad sapientiã, castiga-
E tio morum. Præter integritatem uitæ, magno studio & industria opus est: si uolumus sapientiam inuenire. Quærite, inquit, & inuenietis, pulsate & aperietur uobis, Lucæ. 11. Quid enim aliud est pulsare, quàm uigilare ad fores sapientiæ, & obseruare ad portas, quàm in ecclesia Dei, cui datę sunt claues regni cælorum (contra quam portæ inferi non præualebunt) crebris precibus, uigiliis, & ieiuniis insistere, & cæteris piis operibus, quibus Christus inuenitur? Cæterũ ne quis tantis laboribus deterritus recuset & spernat sapientiam, amplissima præmia pollicetur. *Qui me inuenerit inueniet uitam.*) molliscũt & leuia uidentur quantumuis grauia, magnis propositis muneribus. Non maxima suis ami-
F cis pollicetur præmia, sed hostibus extrema supplicia comminatur, inquiens: *Beatus homo qui audit me*, & usqueadeò mei studiosus fuerit, ut quotidie uigilet ad fores meas. Aliter, uigilare ad fores, & obseruare ad postes ostiorum, metaphorice dixit, pro eo quod est totum pendere à sapientia, in ea totam spem collocare, assidue opem illius implorare, & tanquam optimo patrono sese dedere. Alioqui portæ & fores sapientiæ, sunt doctores sacri, qui scripturas aperiunt: postes portarum scripturas ipsas, aut Apostolos & Euangelistas intelligimus, qui reliquos sustentant, & quibus adhærent quotquot ianuam regni cælestis intrare uolunt: qui ad hos postes & ianuas uigilant, & obseruant, & quærunt sapientiam in ecclesia Dei, non in conuenticulis hæreticorum. Qui quærunt scripturarum intelligentiam à doctoribus sacris, quos tanquam

Ioan.13. columnas habet eccleſia,ſuo inſtituto fruſtrari non poterunt. Quicquid petieritis patrẽ G
nomine meo accipietis,inquit.Sequitur, *hauriet ſalutem à Domino.*)Hebr.Educet uoluntatem uel beneuolentiam à domino:hoc eſt,à domino impetrabit quod petit,& ſuæ uoluntatis erit compos.uel uoluntas ac beneuolentia refertur ad dominum,ſed ſenſus eodem redit:quaſi dicat,erit gratus domino,& illius gratia munitus,ne quam ſemel eſt aſſequutus uitam,denuo perdat. Non ſolum uitam inueniet, ſed beneuolentiam à domino educẽs, nullius rei indigus erit. Quid enim aliud quærimus pauperes,quàm regi innoteſcere,quàm illius fauore & beneuolentia beari? Cæterum ut nihil eſt fœlicius amicis ſapientiæ,ita nihil eſt miſerius illius inimicis. Nam quemadmodum amicis largitur H
uitam,ita ſi qui odio proſequuntur uel ſpernunt ſapientiam,nihil aliud quàm ſe diligere mortem oſtendunt.Odio autem habent non ſolum Iudæi infideles, de quibus ſcribitur,Nunc autem & uiderunt & oderunt,& me & patrem meum,Ioan. 15. ſed etiam qui male agit, odit lucem.Denique falſorum dogmatum author ueritatem ſpernit & odit, quæ Dei ſapientia eſt,dicente eadem,Ego ſum uia,ueritas,& uita:quam in Chriſto & in euangelio inuenerunt omnes ſancti,de quibus ſcribitur,Vos amici mei eſtis.

CAPVT NONVM. I

» SAPIENTIA ædificauit ſibi domum, excidit columnas
» ſeptem. Immolauit uictimas ſuas,miſcuit uinum, & propo-
» ſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas ut uocarẽt ad arcem,&
» ad mœnia ciuitatis. *Heb.* Sapientia ædificauit domum ſuam,
» excidit columnas eius ſeptem.Mactauit uictimam ſuam,mi-
» ſcuit uinum ſuum,etiam inſtruxit menſam ſuam. Mittit puellas ſuas, uocat
» ad eminentiora & excelſiora urbis loca. K

Ad laudem ſapientiæ ſpectant etiam quæ in hoc capite traduntur,in quo ea potiſsimum recitat Salomon,quæ circa diſpenſationem eccleſiæ, in fine ſeculorum à ſapientia geſta ſunt,quotidiéque geruntur.Et ut in ſuperiore capite, continentur ea quæ de creatione mundi tradita creduntur: ſic in hoc quæ ad reſtaurationem ſpectant. Ante omnia Hebraiſmus eſt obſeruandus,qui talis eſt: Sapientiæ (numero multitudinis) ædificauit domum ſuã:quem Hebræi ſuo more ſic exponunt,Vnaquæq; ex ſapientiis ædificauit.Nos hanc loquendi formam ad perſonarum pluralitatem in diuinis, & unitatem ſubſtantiæ referre poſſumus:uel unam ſapientiam intelligimus,quæ multiplicem in ſe complecta- L
tur.Imo in quo ſunt (ut inquit Paulus) omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, Coloſ.2. ſapientiæ creatæ & increatæ,naturalis & ſupernaturalis, legis & prophetarum. In Chriſto enim duas naturas in unitate ſuppoſiti confitemur. Hæc ergo ſapientia una & multiplex,ædificauit domum,hoc eſt eccleſiam,& templum ſuũ in cordibus credentium,iuxta ea quæ ſcribit Paulus. Templum Dei ſanctum eſt,quod eſtis uos,1. Corin.3. Et alibi, Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei cõuerſari,quę eſt eccleſia Dei uiui, 1.ad Tim.3.*Excidit columnas ſeptem.*) Septenarius numerus iuxta noſtros ad ſeptem dona
ſpiritus ſancti, quibus corda fidelium ſuſtentantur, uel ad ſeptem eccleſiæ ſacramenta M
optime refertur: alioqui pro magno & incerto numero ſeptenarius in ſcripturis ponitur.Et per columnas exciſas, non ſolum prophetarum, in quibus dolare ſe dicit Deus, Oſeæ.6. intelliguntur oracula,ſed Apoſtoli quoque & martyres, quorum teſtimonio & fide,quaſi columnis quibuſdã, infirmorum in eccleſia fides ſuſtentatur ac corroboratur. Imo quid aliud ſunt doctores in eccleſia,qui ſacris concionibus populũ in fide & uirtutũ ædificatione inſtruunt,quàm columnæ,quibus indocta plebs innititur?Has ſeptem, hoc eſt plurimas,columnas olim excidit ſapientia,ne eccleſia quę eſt domus Dei,aliquando corruat,contra quã portæ inferi nõ prævalebunt.Moyſes olim cõſtructo tabernaculo,in cuius locũ ſucceſsit Salomonis tẽplũ,crebras uictimas fieri inſtituit,quæ umbrã habebãt

futuro-

futurorum, ut inquit Paulus, Hebr.10. templi uidelicet à Chriſto conſtructi, qui ex ſuo corpore uictimam fieri uoluit, & ſanguinem ſub uini ſpecie, & colore ita temperari, ut ex his rebus inſtructiſsimam, pararet menſam: non ex corpore ſuo & ſanguine ſolum, quemadmodum expoſuimus, ſed etiam ex euangelica doctrina quam uelut nouum muſtum in utres nouos mitti uoluit, Matth. 9. Vinum ſcilicet quod in nuptiis hauriri iuſsit, Ioan.3. ex aqua, hoc eſt, inſipida & Iudaica legis intelligentia, quo repleti Apoſtoli inebriari infidelibus Iudęis uidebantur, Act.2. qui cum in hac menſa æternæ ſapientię noluerunt recũbere, ſed indignos ſe iudicauerunt æternæ uitæ, Act.13. ancillas ſuas miſit ſapientia ad altiora ciuitatis loca, ut dicerent inuitatis, Venite, non ad taurorũ & agnorũ ſanguinem, & carnes ut olim, ſed ad lautiſsimam ſcripturarũ mẽſam, ad cœleſtem panẽ ueri corporis Chriſti & ſanguinis poculũ. *Miſit ancillas ſuas ut uocarent ad arcẽ.* Heb. שלחה נערותיה תקרא miſit ancillas ſuas, uocauit: uel potius, mittit ancillas ſuas & uocat, in præſenti: uel denique, miſsis ancillis ſuis uocat. Cuius ſenſus eſt, uel ℣ ipſa ſapientia uocauit una cũ ancillis ſuis, uel quòd unaquæq; ex ancillis uocauit. Frequens enim Hebraiſmus eſt, diſſonantia nominandi caſus cum uerbo, per quem uel loquendi compendium habet ſcriptura, uel pleniorem ſenſum. Plenius enim dicitur, miſit puellas ut unaquæque ex illis uocaret, quàm ſi diceret, miſit puellas ad uocandum. Compendium ſermonis, ſi cum dicat, miſit puellas uocare, intelligi poſsit, etiam ipſam ſapientiam unà cum illis uocaſſe, ſicut in Hebræo habetur. Miſit puellas ſuas, uocauit. ſ. una cũ illis. Hæc adiecimus, ut intelligat prudens lector, longe aliud eſſe ſcripturas in ſua quàm in aliena lingua legere. Quod ad ſenſum loci ſpectat, nihil humile ſonat, ſed uere propheticum, & euangelicum de Chriſto & eius eccleſia ſenſum habet: Vt ſcribitur Eſa. 40. Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion, eleua in altum uocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem. Non enim uiros bellicoſos, ut urbes ſubuertant mittit ſapientia, ſed tales, qui ob innocentiam, puritatem & ſedulitatem, ancillis ſiue puellis poſsint comparari, nempe ſimplices uerbi præcones, & ab omni fraude alienos, ut alio loco inquit, Eſa.50. Quàm pulchri pedes euangelizantium bona. Super montes, ad altiora loca mittuntur ut uocarent omnes gentes ad unitatem catholicæ fidei, ad ardua ſperanda tanquam à terrenis ad cœleſtia reuocantes, quod Chriſtus ſubindicans aſcendit in montem concionem habiturus, Matth. 5. ut ſequitur.

Cap.9.

„ SI QVIS eſt paruulus ueniat ad me, & inſipientibus loquuta eſt: Venite,
„ comedite panem meum, & bibite uinum, quod miſcui uobis. Relinquite
„ infantiam & uenite, & ambulate per uias prudentiæ. *Heb.* Quiſquis ſimplex imperitus, uel obnoxius deceptionibus huc diuertat, corde deſtituto
„ dixit: Venite, comedite de pane meo, & bibite de uino quod miſcui. Dere-
„ linquite imperiti, & uenite & incedite per uiam intelligentiæ.

Sinite paruulos uenire ad me, inquit Chriſtus, Matth.19. Et ſapientia dirigit ſermonem uel imprimis ad paruulos, ſiue ſimplices, ut qui maxime ſapientia indigent, & illius magis ſunt capaces. Abſcondiſti hæc, inquit, à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, Lucæ decimo. Vnicuique ex his clamando dixit ſapientia, per os ancillarum, ueniat ad me: uel, ut in Hebræo habetur, declinate huc ad ſapientiæ ædes, magnificas quidem illas, ſeptem columnis enixas, ad eccleſiam Dei, columnam & firmamentum ueritatis, 1. Timot.3. Huc, inquam, deflectat oportet, quicunque panis euangelici & muſti ſpiritualis uelit eſſe particeps. Ad menſam quam parauit ſapientia uocamini: non ſibi, ſed uobis ô paruuli, panem propoſuit, uobis uinum temperauit, uenite, comedite de pane meo (legunt Hebræi) qui confortat cor hominis. Relinquite infantiam & uenite. Aliter, relinquite imperiti. ſ. uias ueſtras, & uenite manducantes & bibentes de menſa mea, & ambulate per uiam intelligentiæ. ut referatur ad illam clauſulam, inſipientibus locuta eſt. Obſeruandum eſt, uitam & intelligentiam nobis dari ex hac menſa euangelica, prius enim mortui peccatis, & ignorantiæ tenebris, & uere imperiti: imò ſtulti & de-

ceptionibus obnoxij, iuxta energiã uocis Hebrææ פתאים, Filij Euæ(quæ uſqueadeò le- G
uiter à ſerpente decepta fuit) toto cælo errauimus,unuſquiſque in uiam ſuam, Eſaiæ 53.
Sed ſapientiæ uoce audita,ingreſsíque domum Dei, pro morte uitam,pro pomo morti-
fero cæleſtẽ panem, pro maledictione peccatorum remiſsionem, & adoptionem filio-
rum Dei conſecuti,ſequamur uiam intelligentiæ,& nolite amplius eſſe inſipientes, ſed
ſapientes & intelligentes quæ ſit uoluntas Dei,Ephe.5.

" QVI erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit: & qui arguit impium,ſibi
" maculam generat. *Heb.* Qui corripit deriſorem, accipit ſibi ignominiam: H
" & qui reprehendit improbum, maculam eius. Noli arguere deriſorem ne
" oderit te,argue ſapientem & diliget te. Da ſapienti occaſionem & addetur
" ei ſapientia,doce iuſtum & feſtinabit accipere. *Heb.* Da ſapienti, & ſapiens
" erit adhuc,doce iuſtum & addet ſcientiam.

Non omnes eſſe conuiuas idoneos,neque dignos tantis beneficiis oſtendit. Myſteria fi-
dei noſtræ derident infideles Iudæi, pagani, & hæretici, & proinde tanquam indignos
prętereundos cenſet ſapientia,neque à ſuis ancillis inuitãdos,inquiens: Nolite ſanctum I
dare canibus,neque margaritas porcis, Matth.7. Simplices & humiles corde facile cor-
riguntur,ſi quid deliquerint : contrà deriſor, qui non ſapit ea quæ Dei ſunt, Matth.16.
Qui ſapientiam crucis tanquam ſtultitiam deridet, qui mendacium ponit ſpem ſuam,
quî corrigi poteſt aut caſtigari, cum culpam non agnoſcat?Deriſor non admittit corre-
ptionem neque diſciplinam: imò quiſquis eum caſtigare uelit,accipit ignominiam, lu-
dibrio uidelicet habitus à deriſore:uel,ignominiam capit, cum peior euadet is,quẽ cor-
rigere conatur. *Et qui impium reprehẽdit,maculam ſibi generat*) Interpres ſuppleuit uerbum
generat,iuxta Hebræos ſubauditur uerbum accipit,ut ſit ſenſus idem repetitus aliis uer- K
bis.Sic enim legitur *Qui corripit deriſorem accipit ignominiã,& qui reprehendit impium,macu-
lam illius*,ſupple *accepit.*)Quaſi tutiſsimum eſſet,nihil commercij habere cum impiis tra-
ditis in reprobum ſenſum. Verum cum pro ambiguitate ſermonis Hebraici, non ſatis
conſtet,quò referantur pronomina, quæ in hoc uerſiculo habentur, in contrarium ſen-
ſum accipi poteſt. Nempe qui caſtigat deriſorem, occaſionem illi præbet, ut errore co-
gnito capiat ſibi ipſi ignominiam,ob id quod deriſit,& ignominia affecit alios.Et qui ſi-
militer reprehendit impium, in cauſa eſt,ut maculam ſuam agnoſcat impius. Et cũ huic
expoſitioni obſtare uideatur,quod ſcribitur,Ne reprehẽdas deriſorẽ, & quæ ſequuntur,
reſpondent qui hunc ſenſum afferunt, hoc non eſſe cuiuslibet, neque quouis tempore L
aut loco faciendum, ſed magnam adhibendam eſſe moderationem,ne ſi intempeſtiua
fiat obiurgatio,in rixas & in odium,non in caſtigationem res emergat.Nam alioqui nõ
prohibet ſapientia irriſores eſſe reprehẽdẽdos.Sed ut prior expoſitio quæ melior eſt, ſuũ
habeat locum,iuxta circũſtantias huius loci quem tractamus,quo uidelicet ancillas mi-
ſit ſapientia, ut uocarent ad conuiuium euangelicum, hoc adiicimus.Statim ab initio
non erant nimium ſeuere caſtigandi deriſores, neque reprehendendi impij, ne ancillæ
miſſæ à ſapientia paterentur ab illis, quod contextus continet: ſed omni manſuetudine
& lenitate ſimplices primo reuocandi erant ab erroribus,iuxta illud Pauli, Videte uoca- M
tionem ueſtram, non multi ſapientes, non multi potentes, ſed infirma elegit Deus, ut
fortia confundat,1.Corinth.3.Quod ſi non ſolum ad illud tempus,quo à ſapientia Dei,
qui Chriſtus eſt, miſsi ſunt Apoſtoli, ſed ad quodcunque tempus locum referre malis,
per deriſorem pertinacem, & deploratæ malitiæ hominem intelligas licet, de quo Pau-
lus, Hæreticum hominem poſt unam aut alteram admonitionem deuita, ad Titum 3.
Da ſapienti occaſionem.)longe alia eſt cõditio ſapientis,qui data occaſione ſapientior eua-
dit.In Hebræo legimus,da ſapienti,& ſubauditur, diſciplinam,ſeu correptionem. quaſi
dicat, Nihil inter ſapientem & inter illuſorem diſtinguit melius, quàm diſciplina, qua
hic peior, ille ſapientior efficitur. Secundum illud euangelij : Omni habenti dabitur &
abundabit, Lucæ 19. Et alibi, Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur

A adhuc, Apoc.22. Docet præterea hic locus non eſſe à munere apoſtolico aliquando ceſ- Cap.9.
ſandum, imò conuocatis ad conuiuium euangelicum, ſubinde ſunt nouæ dapes appo-
nendæ. Qui ab ignorantia ſunt conuerſi, ubi ſapientiæ ædes ſunt ingreſsi, merito ſapien
tes uocari poſſunt: ſed in dies magis caſtigati, ſapientiam ſibi augent & ſcientiam re-
rum cæleſtium addunt, incipientes à timore Dei, qui primus eſt ad ſapientiam gradus,
ut ſequitur.

B PRINCIPIVM ſapientiæ timor domini, & ſcientia ſanctorum pruden-
» tia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni uitæ. Si ſa-
» piens fueris, tibi ipſi eris: ſi autem illuſor, ſolus portabis. *Heb.* Et ſcientia ſan-
» ctorum intelligentia, per me multiplicabuntur dies tui, & addent tibi annos
» uitæ. Si ſapuiſti, ſapuiſti tibi: & ſi illuſiſti, ſolus portabis uel feres.

Frequens eiuſdem ſententiæ repetitio in hoc libello Salomonis, confirmat eorum opi-
nionem, qui putant prouerbia non ab ipſo Salomone in ordinem fuiſſe redacta, ſed col-
C lecta ab aliis, quæ fuerant in membranis relicta, ſparſimque in illius colloquiis diſſemi-
nata: Quanquam huius prouerbij repetitio, nempe, Initium ſapientiæ timor domini, ſu
peruacanea uideri non debet, ſed potius ad laudem timoris domini referri, rei in primis
mortalibus neceſſariæ. Nam poſt conſtructas ædes, parata menſa, conuiuis uocatis aliis,
aliis reiectis tanquam indignis, ex ſcripturarum dapibus, primò omnium timorem do-
mini proponit, quo Dei magnitudinem & noſtram infirmitatem agnoſcere cogimur.
quaſi diceret, omni manſuetudine ad ſapientiæ menſam accedendum eſt, quam dupli-
cem hoc in loco intelligimus: alteram ſacramentorum eccleſiæ, & in primis uenerabilis
euchariſtiæ, cuius myſterium hoc in loco reuelatur: alterã, ſcripturarum diuinitus inſpi-
D ratarũ: ad quam qui faſtu aut ſupercilio, qui illotis manibus pedibúsue accedunt, quo
ſibiipſis aut rem aut famam augeãt, operam ludunt. Ante omnia ad ſapientiæ menſam,
ſiue hanc ſcripturarum, ſiue illã ſacramẽtorum accedentes, timorem domini ob oculos
habere debemus. Ecce tutiſsimum & ſolidũ illius ſapientiæ, quam quærimus fundamẽ-
tum, à quo ad ſublimiora facile conſcendentes, nempe ut ſequitur, ad ſcientiam ſancto-
rum, quæ intelligẽtia eſt, ſanctorum (inquam) hominum ſiue angelorum, qui omnes per
timorẽ domini, ad ſcientiã peruenerunt & cognitionem Dei, qua mens & intellectus il-
luſtratur, ut poſsit inter res humanas & diuinas diſtinguere. Aliter, à timore Dei, hoc eſt
E à lege quæ timorem incutit, ad ſcientiam ſanctorũ Apoſtolorum procedendum. Nam ta
lem gratiam pro gratia recepimus, Io.1. *Per me multiplicabũtur dies tui, & addentur tibi anni
uitæ*) uel diuerſis uerbis geminauit eundem ſenſum, uel dies in præſenti multiplicari in-
telligimus, & in futuro annos uitæ ſuperadditos. In Dei ſapientia, uitam conſequimur
per timorem Dei. Vitam in Adamo, qui Deum non timuit, perdidimus. De ligno ſcien-
tiæ comedens primus homo, ſcientiam ſanctorum non inuenit: ſed qui timet Deum,
& principium ſapientiæ amplectitur, ſcientiam ſanctorum & æternam uitam facile aſ-
ſequitur, duce ſapientia. Aliter, dies multiplicantur illius, qui in timore Dei uiuit, &
F diutiſsime uiuere putabitur, conſummatus in breui, expleuit tempora multa, Sapien. 4.
Non ſolum in futuro ſeculo perpetuo uiuens, ſed felici memoria, uerius uiuens poſt
mortem, quàm cùm mortali corpore incederet ſuper terrã. Huic ſenſui in primis quadrat
uerbum יוסיפו addent, quod actiuæ ſignificationis eſt & tranſitiuæ, addent annos ſuper
dies præſentis uitæ, addent annos uitæ futuræ, uel addent, ſupple hi qui addent, hoc eſt
hi qui celebrem & fœlicem memoriam ſeruabunt. *Si ſapiens fueris, tibi ipſi eris*) uel ia-
ctantiam ſapientiæ prohibet, uel indicat uerſiculus non in futuro ſolum, ſed in præſen-
ti quoque tempore, ſapientiam habere prẹmium. quaſi dicat, ſi fueris ſapiens, hinc ipſe
ſummum bonum capies, quod non eſt aliud, quàm ipſa ſapientia. *Si illuſor, ſolus por-
tabis*) uel, ut eſt in Hebrẹo, ſolus lues pœnas. Sapiens, quanuis ſibi maxime, aliis nihilomi-
nus ſapit, & alios participes ſuæ bonitatis efficiet: ſed illuſor ſeipſum lædet ſolum. He-
bræi ſic legunt, ſi illuſeris, uel ſubſannaueris alios, ſolus dabis pœnas. Septuaginta, ἐὰν δὲ

κακὸς ἀποβῇς, μόνος ἀντλήσεις τὰ κακά: si autem malus euaseris, solus hauries mala. Prouerbium indicat maledicos & subsannatores seipsos potissimum lædere, non nocere aliis, qui maledicta norunt æquanimiter ferre. Versiculus pendet à præcedentibus, ostendens denique differentiam inter eos, qui uocati ad mensam sapientiæ, cum timore libenter ueniunt, & participes epularum fiunt: & eos qui uerbis puellarum contemptis, mysteria fidei Christianæ derident. Hi enim sibiipsis non sapientiæ filiis, damnum inferunt, illi uero quantum in ipsis est, plurimum prosunt. Sequitur. G

» MVLIER stulta & clamosa, plena illecebris, & nihil omnino sciens: Se- H
» det in foribus domus suæ, super sellam in excelso urbis loco: Vt uocaret
» transeuntes per uiam, & recte pergentes in itinere suo. Quis est paruulus,
» declinet ad me, & uecordi loquuta est. Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis
» absconditus suauior. Et ignorauit quod ibi sunt gigantes, & in profundis
» inferni conuiuæ eius. *Hebræum*, Mulier stultitiæ, tumultuosa, ignorātiæ, &
» non nouit quicquam: Sed sedit ad ostiū domus suæ, super solium excelsorū
» urbis: uel in excelsis locis urbis: Ad uocandum transeuntes per uiam, qui I
» rectas faciunt uias suas: uel, qui incedunt per semitas suas. Quisquis est im-
» peritus, declinet huc, & qui est deficiens corde, uocabit eum. Aquæ furtiuæ
» dulces erunt, & panis occultationis amœnus erit. Et non nouit quod gigan-
» tes ibi (uel interfecti) in profundis inferni inuitati ab ea.

Mulier stulta, in Hebræo Mulier stultitiæ, tumultuosa & deceptionis uel ignorantiæ, & nihil sciens. Hæc mulier, iuxta ea quæ prius expositæ sunt, peruersa doctrina intelligi- K
tur, & ecclesia malignantium, quæ cum nihil sciat, ut oportet scire, tamen sapientiam imitari conatur, domum & congregationem uult habere, ad quam prætereuntes conuocat, sed non ancillis, hoc est humilibus & sedulis concionatoribus missis, ad sublimitatem uirtutum uocat, sed ipsa sublimis sedet in foribus domus suæ, super sellam in excelso urbis loco. Quibus uerbis hæreticorum arrogantiam & ostentationem externam intelligimus. Cum omnis gloria filiæ regis sit ab intus, Psalmo 45. ista ab hominibus gloriam quærit. Aliter sella in excelso urbis loco, famam popularem significat, quam ubique uenantur magistri mendaces. Sapientia uocat ad arcem, ista sedet in excelso loco urbis, rebus mundanis eleuari gaudet, sapientia suos ad sublimes uirtutes L
subuehere studet. *Quis est paruulus, declinet ad me.*) & sapientia superius eisdē fere uerbis est usa. Si quis est paruulus, ueniat ad me. Cauete ab his qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, Matth. 7. Fallere nunquam poterunt hæretici, nisi ueram doctrinam & religionem prę se ferrent, nisi uerbo tenus ueritatis doctores sese simularent: sed ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nam non ad panem cælestem uocat, qui confirmat & roborat cor hominis, neque ad uinum, quod lætificat corda mœstorum & lugentium pro peccatis, sed ad aquas furtiuas, & panem absconditum. Hæreticorum dogmata sunt diluta & insipida, ut quæ carnis delicias & libertatem sapiunt terrenam: quibus M
uulgus hominum maxime alliciuntur, & à recta uia abducuntur. Atqui his potissimum rebus, nempe libertate carnis, & secreta doctrina, simulata sanctitate, multos fallunt, atque ad perniciem & interitum trahunt, qui quò tendant eorum fallaciæ, non satis perspiciunt. Qui dum se putant ad aquas furtiuas, hoc est, ad occulta carnis refrigeria, & ad panem nouæ & absconditæ doctrinæ uocari, reuera uocantur ad interitum. Nam ut ex sapientiæ mensa quæ in ecclesia celebratur, uitam assequimur fideles, & longitudinem dierum: ita ex poculo aquarum doctrinæ furtiuæ, & ex abscondito pane, quem ignorat ecclesia sanctorū, mors præsentissima sequitur, *Et ignorat quod ibi sunt gigantes.*) Hebræum, cadauera, uel interfecti, *& in profundis inferni conuiuæ illius.*) quasi dicat, Hæc mulier stulta suos conuiuas interfectos transmittit ad infernum. Sed

repetentes

A repetentes, paulo apertius de hac muliere loquamur, cuius impudentia his uerbis, Cap. 9.
ſtulta & clamoſa, notatur. Stulta, quæ ſapientię reſiſtit. Verboſa & tumultuoſa, à ſapientia paruulos ad ſe retrahere non ceſſat: uerboſitati fiſa, cum nihil ſolide ſciat. Impudicitia fere comes eſt hæreſeos: impudicitiæ uero ſignum, ſedere in foribus, neque in ædibus ſeſe continere: arrogantia præterea in ſolio, & ſublimioribus urbis locis: fraus denique & dolus intelligitur, dum eos qui recte incedunt, & recte pergentes in itinere ſuo, peruertere conatur. Quod ſi ad inanem philoſophiam, aut exteriorem hominem,
B uel demum ad iudaicam legis intelligentiam malis iſta transferre, quàm ad hæreticorum inſaniam, omnia facile eo poteris coaptare. Sunt qui allegorice per domum quam ædificauit ſapientia, intelligant mundum ipſum, qui in Dei ſapientia creatus eſt: paruulus uero ſiue ſimplex fuit Adam, qui uocatus à ſapientia ad lignum uitæ, maluit potius ſerpenti & ſtultæ mulieri obtemperare, atque edere furtiuum panem de ligno prohibito ſcientiæ boni & mali, & cętera. Prudens lector ſequatur intelligentiam, quæ maxime placet. Atqui hic primi libri Commentariorum in Prouerbia Salomonis modus eſto.

FINIS.

RODOLPHI BAYNI, IN SECVNDVM LIBRVM COMMENTARIORUM in Parabolas Salomonis,

PRAEFATIO.



Vanuis nullo certo docendi ordine, præcepta tradidisse uideatur Salomon, in his prioribus huius libelli capitibus, in quibus multus est in præparandis, & excitandis auditorum animis, multus in sapientiæ laudibus: tamen sub metaphoris & similibus, quandoque ex cõmuni uita, quandoque ex occultatiore naturæ gremio petitis, sed ubique aptissimis, grauissimam philosophiam & singularem sapientiam, ubique congestam cernere licet. Sublimiorem præ se ferunt pompam Similia, quibus prophani seu Poëtæ, seu Oratores uti solẽt, & elegantiores uidentur, sed his duntaxat, qui haud ita multum in sacris literis sunt uersati. Alioqui, si quis ἰδίωμα Salomonis plenè sit assecutus, si quis nouerit Hebraici sermonis mollire duritiem, si dictionem scripturis assuetam (quæ Græcis & Latinis hominibus subrustica semper uisa est) sibi familiarem effecerit penitus reconditam in hoc libello, & accumulatam cælestem doctrinam, poterit plenius intueri: rem in primis necessariam omnibus, siue priuatam, siue publicam gerentibus personam. Nam qui sibi uiuit & mundanum contemnit honorem, his perlectis, facilius gloriam spernet & opes conculcabit. Paterfamilias uero, aut populi moderator, & ipse minore negotio clauum tenebit, & suorũ animos ad uirtutis studium & pietatis amorem, facilius flectere poterit. Scopus enim huic sapientissimo uiro propositus fuit, omnes ordines & conditiones hominum, suæ prudentiæ participes efficere. Posteaquam paulo uerbosius præcedentia capita tractauerimus, pro argumenti uarietate, & sublimitate doctrinæ, quæ sequuntur, maiore compendio prosequemur: sed luce & facilitate pari, Christo patris æterni sapientia suggerente uires, & sensus illustrante.

RODOL-

RODOLPHI BAYNI
COMMENTARIORVM LIBER
ſecundus in Prouerbia Salomonis.

Caput decimum.

B  ROVERBIA SALOMONIS.

Titulus libri hoc in loco repetitus eſt, indicans prouerbia dici propriè, quæ ſequũtur. Nam hactenus locos communes tractaſſe uidetur, ad uaria uitæ munera ſpectantes, ſubinde exhortando ſuum filium, & inuitans ad amorem ſapientiæ, cuius laudes incredibili artificio proſequutus eſt: quæ ſequuntur inquã propius mores inſtruunt, uitiaq; caſtigant. Sed ſapientem ipſum audiamus.

C FILIVS ſapiens lætificat patrem, filius uero ſtultus mœſtitia eſt matris.

Quod in hoc uerſiculo lætitiam refert ad patrem, quam ex filio ſapiente cõcipit, & mœrorem ad matrem, quæ grauius dolere ſolet pro muliebri animo, non eſt ſic accipiendũ, quaſi ad matrem non perueniat lętitia, nec triſtitia ad patrem: ſed ad naturam rerum reſpiciens Salomon breuiter, ſed non temerè, hoc uerborum ordine uſus eſt. Nam probitas filij & in rebus gerendis prudentia, ac integritas morum patri, potius cedit ad honorem, qui filium rectè educauit. Solet præterea in publicum progrediens conſcius magis fieri, & ſpectator uirtutis atque honoris, quem ſua ſapientia filius aſſequitur: unde ne-
D ceſſum eſt eum maiori lætitia affici, ut puta ad quem maxima pars laudis redit. Ad matrem tamen de ſtulto filio ſolet maior triſtitia redire, uel quòd domi torpeſcat, neque uirtutem exerceat ullam, uel quòd ea quæ foris cum ignominia gerit & uituperatione, ad matrem referri ſoleãt, fama maiori (quæ uulgi ſermonibus creſcit) quàm pro rei malæ geſtæ magnitudine: ut omittam muliebre ingenium ſuſpicioſum, ſi uel paululum intellexerit dedecoris, ingens malum imaginatione concipit. Denique non eſt ſic accipiẽda clauſula, ac ſi ſimplex narratio eſſet, ſed magis admonitio putanda eſt iuuenum, ut honeſtatem morum ſectantes, caueant ne quid ſtulte uel ignominioſe gerant: ídque fa-
E ciant etiam parentum cauſa, ad quos magna pars laudis uel ignominiæ neceſſum eſt peruenire. Si Deum patrem, & Eccleſiam matrem exponamus, myſticus erit ſenſus.

» NON proderunt theſauri impietatis, ſed iuſtitia liberabit à morte. Non af-
» fliget dominus fame animam iuſti, & inſidias impiorum ſubuertet. *Heb.*
» Et peruerſitatem improborum expellet.

Perpetua fere eſt uirtutum & uitiorum comparatio, qua comparatione, quis ſapiens &
F quis ſtultus dici debeat, facile intelligitur. Primam partem ſapientiæ in parentum honore repoſuit, ſiue in Dei optimi maximi laude, qui omnium pater eſt, & matris eccleſiæ lætitia. Secundam partem in diuitiis colligendis, in quibus duo potiſsimum ſpectare debemus, non ſolùm qua arte, & quibus uiis comparẽtur, iuſtè uidelicet, aut inique: ſed finem quoque & ſcopum, ad quem ſeruari debeant. Modis illicitis ut per fraudem, rapinam, aut quamcunque improbitatem opes reponere, in quoſcunque euentus, mera ſtultitia eſt: nam non proderunt, neque poſſunt hominem eripere à morte. Iuſtus iudex corrumpi non poteſt acceptis pecuniis. Si iuſte uixeris, morte non plecteris temporali, multo minus æterna, ab illo iudice qui corda ſcrutatur. Quòd ſi famem timens, putas per fas, aut per nefas opes congerendas, longe deciperis: Nam ne hic quidem proderunt

diuitiæ iniquitatis: ſed iuſtitia quoque liberat à fame & penuria, non ſolum à morte, ut ſequitur, Non affliget dominus fame animam iuſti: Et ut fame ſit affectus uir pius (caſtigat enim dominus omnem filium quem recipit) certe uerbo Dei qui panis eſt animi nũquam deſtitutus, perpetuo epulabitur. Sequitur, *Inſidias impiorum ſubuertet*: uel, *peruerſitatem improborum expellet.*) hoc eſt, opes quas per inſidias & peruerſitatem congeſſerant improbi contra inediam, expellet & diſsipabit Deus: nam prouidentia diuina fit, ut male parta peius pereant, ut iam in huiuſmodi nulla poſsit eſſe ſpes. Et proinde magna pars ſtultitiæ fuerit, hoc animo cumulandis opibus uacare. Iuſtitiæ, quæ à morte & à fame liberat, nos ſtudioſos eſſe debere, docet prouerbium: nam quid proderit homini ſi uniuer
Matt.16. ſum mundum lucretur, animæ uero ſuæ detrimentum patiatur?

„ EGESTATEM operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium diui-
„ tias parat. Qui congregat in meſſe filius ſapiens eſt, qui autem ſtertit æſtate,
„ filius confuſionis. *Heb.* Pauperem facit manus fraudulenta, & manus ſoli-
„ citorum ditabit. Colligens in meſſe filius intelligens eſt, ſtertens in Autum-
„ no filius pudore afficiens eſt.

Manus doloſa, uel pro manu & operibus manuũ accipitur, uel pro trutina, cuius bilances manuum cauitatem referunt. Nam uox Hebræa כף, uolæ concauitatem ſignificat: quanuis hoc in loco rectius pro manuum opera, quàm pro ſtatera accipiatur, propter ea quæ ſequuntur: Manus fortium, ſiue ſolicitorum, laborioſorum uel agilium uerti poteſt. quod ad ſenſum ſpectat, ex præcedentibus pendet: Prius enim de diuitiis iniuſte acquiſitis locutus eſt, quæ poſſeſſoribus ſuis prodeſſe non poterunt, neque ad prolõgãdam uitam, neque ad famam coërcendã. *Pauperem facit manus fraudulenta.*) quaſi dicat, Si pauperiem metuas, uel ſi diues eſſe cupias, non dolo malo, ſed induſtria eſt opus & ſolicitudine. Nam manus robuſtorum ſeu ſolicitorum, ſupple artificum aut agricolarum (Hebræi ſubaudiunt mercatorum) diuitias colliget. Sed uerſiculus ſequens, magis ad agriculturam docet referendum. *Colligens in æſtate.*) Oſtendit non ſolum uigilãtia eſſe opus, ſed temporis quoque occaſionem in primis eſſe obſeruandam. Aeſtas præterea & Autumnus ad iuuentutis annos qui calent, & ad dies uirilis ætatis, qui maturos fructus producere ſolent, referuntur, non ſolum ad anni tempora. Docet in primis eſſe opus induſtria, uigilãtia & labore, unicuique tempori opportuno, cum uires ſuppetunt, & cum offertur occaſio. Nam ut æſtate ſtatim marceſcunt fructus eſtiui, niſi colligantur, ita hebeſcunt iuuentutis uires, animi alacritas refrigeſcit, & ingenij dotes langueſcunt, niſi uirtutis opere, & honeſtis occupationibus exerceantur. Quod ſi æſtate, & tempeſtiue laborum & uirtutum fructum colligas, tanquam filius prudens & intelligens reputaberis: qui non ſolum ſis ipſe ſapiens, ſed intellectum & prudentiam tuo exemplo doces alios. Hanc enim uim habere poteſt Hebræa uox משכיל, hoc eſt intelligens ſiue faciens intelligere. Contra ſi neglecto iuſto laboris ſudore, quem ob peccatum primiparentis inflixit humano generi Deus, otio & ſomnolentia florem ætatis tranſigas, uel fraude & illicitis artibus rem augere cogitas, eris tanquam filius qui non ſeipſum ſolum, ſed patrem quoque ſuum magna ignominia afficit, qui talem procreauit, & recte inſtruendum filium non curauit. Aben Hezra exponit priorem uerſiculũ dupliciter: nempe, Pau
per erit, qui facit ſtateram bilãcis doloſam, uel ſtatera doloſa facit hominem pauperem, mihi magis placet intelligere manum, & operationem doloſam, quæ ad paupertatem multos redegit. Cuiuſcunque honeſti & tempeſtiui laboris laudem continet prouerbium. Iuxta ſenſum allegoriæ, extruduntur operarij in meſſem domini, dum regiones albæ ſunt ad meſſem, & antequam ueniat tempus, cum ſanam doctrinam nolint recipere. Eruditus lector intelligit quod dicimus.

„ BENEDICTIO domini ſuper caput iuſti, os autem impiorum operit
„ iniquitas: memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcit.

Heb.

A *Heb.* Benedictiones ſuper caput iuſtorũ, & os iniquorum operiet iniuriam. Cap. 10.
» Memoria iuſti in benedictionem, & nomen iniquorum putreſcet.

Oſtendit Salomon his duobus uerſiculis, in quem uſum debeat manus fortis parare diuitias: nempe ut benedictionem faciens in pauperes, benedictionibus à domino repleatur. Quanuis iuſtitia paſsim in ſcripturis pro uniuerſa uirtute accipiatur, ut iuſtus non poſsit dici, niſi qui omnibus uirtutibus præditus fuerit. Hodie tamen Hebræi eleemoſynam, & miſericordiam in pauperes uocant צדקה iuſtitiam, quaſi per antonomaſiam: quamlongiſsime enim abſunt ab iniuſtitia inferenda, qui ſua diſtribuunt ſponte. Su-
B per caput igitur iuſti, qui ſupremum gradum iuſtitiæ uidetur conſecutus, benedictiones deſcendent. De quibus Paulus: Et augebit incrementa frugum iuſtitiæ ueſtræ: nam 1. Cor. 10.
bonorum augmentatio, benedictio intelligitur in ſcripturis, alioqui honeſta fama populi laus, & fauſta acclamatio, benedictio dicitur. Priorem expoſitionem ſequitur Beda, miſericordes iuſtos appellans: quibus dicitur, Venite benedicti patris mei. Capiti tanquam principali membro tribuit benedictionem, hoc eſt menti ſiue rationi, quæ in capite ſedem habere putatur. Aliter, ſuper caput iuſti benedictio, ut de cęlo deſcendiſſe intelligatur: uel denique, ſuper caput, hoc eſt palam omnibus, non ſolum in ſecreto. *Os autem impiorum operit iniquitas:*)
C uel (ut Hebræi interpretantur) os impiorum operiet iniquitatem. Ambiguitas Hebraiſmi utramuis uerſionem admittit, quanuis rariſsime cõſtructionis ordinem inuertat linguæ proprietas. Haud ita multum refert, quod ad ſenſum ſpectat, qui eſt huiuſmodi, Impios non eſſe participes illius benedictionis, quæ cadit ſuper caput iuſti, ſed maledictionis ſua ipſorum ſententia condemnantur, ut qui non poſſint os ſuum aperire in defenſionem propriam. Eſt enim os illius opertum iniquitate quam fecit. Aliter, Is eſt uirtutis honos, ea eſt uitiorum cõditio, ut nemo uelit malus aut iniuſtus dici. Et proinde improbi qui opprimunt pauperes, & uim inferunt, ſolent uerbis
D ſua celare ſcelera, uolentes iuſti dici & haberi, quod ut ad tempus aſſequantur; ita perpetuo non durabit fucatæ iuſtitiæ fama. Et hoc eſt quod ſequitur, *Memoria iuſti in benedictionẽ.*) Cuius ſenſus eſt, uel quòd creſcat, & quotidie celebrior fiat memoria iuſti, uel quòd ex memoria iuſti, ſoleãt precationes amicæ & fœlicia uota ſumi, quæ benedictiones uocantur: ut cum bene precamur alicui, optantes gratiam illi dari, qualem unicuiq; iuſtorum largitus eſt Deus. Tertia denique expoſitio: Memoria iuſti erit in benedictionem, dum illius poſteritas à Deo benedicitur, iuxta illum locũ, Benedicẽtur in te omnes Geneſ. 12.
nationes terræ, à Deo uidelicet benedictionis Abrahæ & ſemini eius donatæ, participes erunt. Denique *Memoria iuſti cum laudibus:*) uel, (ut eſt in Hebræo) in benedictionem,
E hoc eſt memoria iuſti erit celebris, & hæc ſimpliciſsima eſt intelligentia, cui quadrat quod ſequitur: *Nomen improborum marceſcet,*) quaſi dicat: fieri poteſt ut improbus dum ſcelus occultat, iuſti & probi uiri aliquandiu fama nominis fruatur: ſed ut flos emarceſcit paulatim, & ut caro putreſcit quæ ſale non conditur: ſic fama, quæ ſine fructu uirtutis, aut diuinæ ſapientiæ ſale uentilatur.

» SAPIENS corde præcepta ſuſcipiet. Stultus cæditur labiis. Qui ambulat
» ſimpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat uias ſuas, manifeſtus
F erit. *Heb.* Sapiens corde capiet præcepta, & ſtultus labiis corruet, uel uapula-
» bit. Qui ambulat in perfectione, ibit cum fiducia: & qui obliquat uias
» ſuas, cognoſcetur.

Prudentis & ingenui iuuenis eſt indicium maximum, maioribus libenter obtemperare, ſiue parentibus ſiue magiſtratibus, eorum admittere præcepta, quibus non ſolum inſtructior euadat, ſed damna, incommoda uitæ & pœnas, facilius declinet. *Stultus & imprudens labijs cæditur,*) uel caſtigatur, aut labiis propriis, garrulitate uidelicet laborans, cum ſtultus ſit, & ex abundantia cordis os loquatur. Subinde ſtulta uerba profert, quibus læditur ſuperiorum authoritas, atq; ita grauiſsimas pœnas luit: nõ ſolum quòd præcepta non accepit, ſed etiã quòd ſtulte locutus ſit. Quod ſi ad Dei pręcepta referri mauis,

Sapiens eſt admodum, qui non ore tenus, ſed ex animo Dei præcepta accipit, opere im- G
Eſa.:9. plenda: Stultus autem populus qui labiis me honorat, cor eorum longe eſt à me. Sic ſtul tus Iudaicus populus, qui uerbis & labiis legem tenens, in errores grauiſsimos corruit: uel iuxta aliam interpretationem ob labiorum peccata, quibus clamabant, Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Verbum Hebræum ילבט quod interpres uertit deprauat, æquiuocum eſt, & uel corruere, uel punire ſignificat. Verſiculus prior, ad conſilium & animum obedientem refertur: ſequens uerò, ad opus. Sunt enim multi, qui quanuis imperium non detrectent manifeſte, tamen oblique & peruerſe, dum opera ſua & uias non dirigunt, & aliquandiu latentes, tandem tamen deprehenſi, tanquam legis tranſ- H
greſſores corripiuntur, frequentiſsime in hac uita, ſemper autem in futura, niſi pœniten tiam egerint. Et hoc eſt quod ſequitur: *Qui obliquat aut peruertit uias ſuas, manifeſtus erit.*) Cum præ ſe fert ſe ſeruare legem, quam non ſeruat: ſed uir duplex animo, tandem (ut di ximus) deprehendetur, & cognoſcetur. Alij melius, confringetur, exponunt. Verbũ enim Heb. יורץ utrunque ſignificat.

* QVI annuit oculo, dabit dolorem, & ſtultus labiis uerberabitur. *Heb.* Qui
** annuit oculo, dabit uel faciet moleſtiam, & ſtultus in labiis punietur. I

Ambiguus eſt ſermo, cui uidelicet dabit dolorem. Hebræi reciproce intelligunt, ſibi ip ſi dabit dolorem. Et numero eorum qui peruertunt uias ſuas, & minime ſibi conſtant, uult eſſe eum Salomon, qui oculorum nutibus, cum palam non audeat, ad malum pro uocat, & ad tranſgreſsionem legum inducit alios, etiam ſi ipſe nihil mali fecerit: nihilo minus tamen dabit dolorem (ut cum Hebræis loquar) & punietur. Quidam per nutum oculorum, impudicos oculos intelligunt: alij deriſorem & ſubſannatorem, qui non ma nifeſtis conuitiis, ſed nutibus oculorum proximo dolorem infert. Nam uultu læditur pietas in parentes, & charitas in amicos. Iſte punietur ob oculorum nutus, quemad modum is qui labiis offendit, & blaſphemat uias domini rectas. Non minus (inquam) K
Pſal.22. punientur, qui annuunt oculis, de quibus Dauid: Omnes uidentes me, deriſerunt me: lo cuti ſunt labiis, & mouerũt caput. Iſti illuſores domini & ſeruatoris, magnum dolorem, hoc eſt graues dederunt pœnas.

** VENA uitæ os iuſti, os autem impiorum operit iniquitatem.

Iaco.3. In lingua recte inſtituta, magna pars ſapientiæ conſiſtit: Nam qui uerbo non offendit, hic perfectus eſt uir. Et proinde de linguæ ſiue oris tum uirtute tum uitiis, crebra Salo moni eſt mentio. In hoc loco iucundiſsima metaphora, ex ore uiri boni, quanta boni tas effluat, oſtendit. Eſt (inquit) os uiri iuſti, tanquam fons ſiue uena uitæ: & ut indeſi- L
nenter effluunt aquæ uiuæ ex fontibus: ita ſalubris doctrina, & uerba uitæ, ex ore iu ſti ſcaturiunt. Neque enim ex tali radice, nempe iuſtitia, poſſunt naſci niſi boni fru ctus, quibus ad æternam uitam nutriuntur auditores. Hoc in loco conſentit interpres noſter cum Hebræis, uertendo hanc clauſulam: Os impij operiet iniquitatem, aliter quàm prius. Et proinde ſcribis, non interpreti, eſt imputandus error. Senſus eſt: Os impro borum operiet & teget iniquitatem, dum ſimulãt iuſtitiam. Iuxta illud, Linguis ſuis do-
Pſalm.5. loſe agebant, ſiue linguas ſuas politas & lubricas fecerunt. Cum de lingua cuiuſuis iu- M
ſti, tum potiſsimum de ſermone iuſti & fidelis concionatoris, & impij, intelligitur pro uerbium.

** ODIVM ſuſcitat rixas, & uniuerſa delicta operit charitas. *Heb.* Odium ex-
** citare ſolet lites, & ſuper trangreſsiones, operiet amor.

Ex communi hominum uita & uulgi moribus, egregium ſapiẽtiæ elogium colligit. Vbi eſt odium inter homines, uel leuiſsima de cauſa oriuntur lites & iurgia: ubi eſt amor, etiam magnæ offenſæ teguntur, uel potius non cognoſcuntur. Candor enim amici om nia candide interpretatur, imo celat amici commiſſa, & crimen pro crimine non habet. Contrà, odium in peiorem partem rapit omnia, & crimen nonnunquam ubi nullum

eſt,

A eſt,inſimulat,ex minimo grauiſsimum molitur efficere. Quid ſi iſta quotidie fieri inter homines infideles uideamus, qui uel naturali uel ciuili amicitia uiuunt? quid de charitate Dei,quæ per ſpiritum ſanctum diffuſa eſt in cordibus noſtris, ſentire debemus? quid de illa flamma, quam filius Dei in terram miſſum uenit, nihil aliud uolens, niſi ut ardeat? Illa inquam, non ſolum texit mundi peccata ab oculis Dei, ſed prorſus abſumpſit, & lauit proprio ſanguine, & deleuit, ut inquit Paulus, chirographum quod contra nos erat. Hæc omnino magna charitas & ineffabilis, utique magnam peccatorum multitudinem operuit. Hanc & nos imitari hoc in loco uult ſapiens, docens præcipuam charitatis partem eſſe, charitatem alere & fouere. Fouetur autem, uel maxi-
B me placidis moribus, & animi candore, qui delicta quandoque pro delictis non habet: ſed ueniam quam quotidie à Deo petere neceſſarium habet,impertitur.

Cap. 10.

Coloſſ.2.

1.Petr.4.

„ IN LABIIS ſapientis inuenitur ſapientia,& uirga in dorſo eius,qui indi-
„ get corde. *Heb.* In labiis intelligentis inuenitur ſapientia, & uirga ſuper
„ corpus illius,cui deeſt cor.

Crebra mentio nunc iuſtitiæ nunc ſapientiæ indicat nullam eſſe ſapientiam, quæ iuſtitiæ,hoc eſt æquitati & integritati uitæ non ſit annexa. Superiore uerſiculo uenam uitæ
C uocat os iuſti, in hoc uerſiculo oſtendit ſapientiam capiendam eſſe & diſcendam à uiris, qui intelligentiam habent ſcripturarum, qui blanditias mundi & illecebras carnis nouerunt ſpernere,& res ſingulas pro dignitate æſtimare, qui ratione & intellectu, cælitus ſibi conceſſo, regitur: hic rectè intelligens dicitur, non animalis homo, ſed qui cum Paulo dicere poteſt,Viuo ego,iam non ego,uiuit uero in me Chriſtus.In huiuſmodi uiri uerbis & labiis ſemper eſt reperire ſapientiam,& à uiro qui ſic omnia pro illorũ conditione intelligit,petenda eſt ſapientia. Sed mira eſt & inſignis multorum amentia, qui corde omnino carere uidentur, qui audire nolunt,neque uerbis prudentis obtem-
D perare,donec poſt magnos errores commiſſos,cogantur pœnas luere in corpore,& brutorum animalium more ſenſu & flagris diſcũt ſapere,non intellectu & mente,quod hominis eſt.Talibus omnino cor deficit,neq; ſuo fungitur munere. Vide quàm latũ ſit diſcrimen filij ſapientis,& ſtulti: iuxta ſenſum myſticum. Corde carent Iudæi,& infideles, qui ob defectum fidei,non inueniunt ſapientiam in labiis illius, qui Chriſtum annuntiat:in dorſo,hoc eſt in extremo ac in alio ſeculo,plagas ſuſtinebunt.

Galat.5.

„ SAPIENTES abſcondunt ſcientiam, os autem ſtulti confuſioni proxi-
„ mum. *Heb.* Sapientes recondent ſcientiam, ſed os ſtulti fracturæ uicinum,
E uel ori ſtulti clades uicina.

In moderamine linguæ magna pars ſapientiæ conſiſtit,ut diximus. Et ſapientis eſt cognoſcere loquendi uices,& tacẽdi:id quod nemo niſi admodum doctus præſtare poteſt, & niſi habeat in anima recõditam ſcientiam,ex qua ueluti ex theſauro,ſubinde proferat prudentem ſermonẽ,& utilem auditoribus;inter quos magna ſolet eſſe uarietas.Et nonnunquam quod uni prodeſt,aliis nocet:neq; omnes ſunt capaces omnium.Chriſtus habuit multa dicenda,quæ tunc portare non poterant Apoſtoli. Et Paulus quoſdam lacte
F potat,qui ſolidum cibum concoquere non ualent: Alioqui inter perfectos ſapiẽtiam loquitur.Et Chriſtus prohibet margaritas proiici porcis.Recondenda eſt igitur ſcientia,& doctrina in animo,quod ſapientes facere ſolent. Scientiam inquam ueteris & noui inſtrumenti,ut ſimilis homini patrifamilias, poſsis proferre de theſauro tuo, noua & uetera.Et cum Paulo,ſanum ſermonem,qui proſit omnibus,neminem offendat iuſte.Porrò ſtultus,qui non habet ſcientiam,ſed temere profert quicquid in buccam uenerit,magnam confuſionem, ſiue iuxta Hebræum fracturam ſibi parat, מחתה contritio conſentientibus ſeptuag. qui uertunt, ἐγγίζει σωτειβῇ. poteſt intelligi de contritione, quam aliis facit appropinquare:quia non nouit hoc eſſe dicẽdum,illud tacendũ:ſed cum loqui neſciat,tacere non poteſt. Prouerbiũ cum illo Solonis elogio fere conuenit, Nemo ſtultus tacere poteſt:uel potius cum illo,Loquutum eſſe nocet,tacuiſſe nunquam.

Ioan.16.

1.Cor.2.

Matt. 7.

Matt.13.

„ SVBSTANTIA diuitis urbs fortitudinis eius, pauor pauperum egeſtas G
„ eorum. *Hebræum*, Opes diuitis urbs roboris eius, fractura pauperum pauper-
„ tas eorum. Opus iuſti ad uitam, fructus autem impij ad peccatum.

Ad ſapientiam ſpectat, omnium rerum conditiones & differentias cognoſcere: nam ut illi errant, qui diuitias tanquam ſummum bonum affectant, & qui diuites omnium fœliciſsimos, pauperes uero miſerrimos exiſtimant: ſic etiam illi qui diuitiarum nulla cõmoda, neque paupertatis incommoda putantes, iuſtos labores contemnunt, otio & pigritiæ ſe dedunt: imo diuites ſuis opibus quodammodo muniũtur, & ueluti propugnaculis quibuſdam iniurias facile propellunt, ſi quid offenderint in repub. delicta facilius redimunt: contra omnia denique huius uitæ mala, ſuis ſe defendunt opibus. *Pauor pauperum egeſtas eorum.*) In Hebr. fractura tenuium paupertas eorum. Pauperes multis malis & iniuriis obnoxij, facile conteruntur, & non ob aliud quàm quod pauperes ſint, oppreſsi corruunt. Diuitiæ igitur, quas ex manu Dei iuſtis laboribus accipiunt homines, tanquam mala habendæ non ſunt, ſi modo ad pios conuertantur uſus, quod iuſtorum eſt. unde ſequitur, *Opus iuſti.*) quaſi dicat: Quicquid in ſudore uultus ſui comparant ſibi uiri iuſti & probi, ad uictum & huius uitæ neceſſarios uſus, uel ſuos uel aliorum conuertunt, facientes ſibi amicos de mammona iniquitatis. Sed fructus aut (ut in Hebræo H I
eſt) prouentus improbi ad peccatum, ad luxum, ad arrogantiam, ad Dei contemptum.
Luc. 12. Iuxta diuitis in Euangelio uanam ſpem, cuius ager fructus afferebat plurimos. Poteſt prior uerſiculus in malam partem intelligi, quaſi reprehendat ſapiens uanam fiduciam, quam diuites in ſuis collocãt diuitiis, quæ plerunque ſunt fallaces, neque præſidium adferunt aut ſecuritatem: & pauperum puſillanimitatem, qui rerum inopia deſpondẽt animum, & ſua ſententia confracti ſunt, cùm paupertatem æquo animo ferre non poſſunt. Vide quàm paucis uerbis, quantum cumulum ſapientiæ reconditũ habes: nempe, egregiam iuſti diuitis laudem: diuitis uero iniqui & pauperis, qui per inertiam ad inopiam relabitur, reprehenſionem dignam: quam tamen non omnes accipiunt, iuxta id quod K
ſequitur.

„ VIA uitæ cuſtodienti diſciplinam, qui autem increpationes relinquit, er-
„ rat. *Hebræum*, Semita ad uitam qui ſeruat diſciplinam, qui relinquit repre-
„ henſionem, errat.

Verti poteſt pro ambiguitate ſermonis Hebraici, Semitam uitæ ſup. ſeruat, qui ſeruat diſciplinam: uel, uelut ſemita uitæ eſt, qui ſeruat diſciplinam. Quanuis in genere dictũ uideri poteſt, tamen ad diuitias & paupertatem, ad operis intentionem & rectum diuitiarum uſum referri potiſsimum uidetur: quibus in rebus diſciplina & caſtigatione eſt L
opus, ſi uolumus cum iuſto opus noſtrũ ad uitam dirigere, cuius arcta eſt uia, & quam niſi maiorum diſciplinam ſeruans, non poteris tenere. Libenter autem diſciplinæ maiorum, & correptioni uerbi Dei, te ſubiicias oportet, ſi ad uitam æternam tendere uelis, ad quam ſolus peruenit qui ſeruat diſciplinam, quę in integritate morum conſiſtit. Contrà, qui dereliquerit reprehenſionẽ, ſiue correptionem, errat: hoc eſt caſtigatus à Deo, ſiue à maioribus, qui Dei uices in terris obtinent, is longe errat à uia uitæ, & latam uiam ingreſſus, ad perditionem tendit. Vox Hebręa מתעה errat, plus ſignificat, nempe errare facit alios, uel cor ſuum, uel uehementer errat: ut qui caſtigationem relinquit, per quam ad uiam uitæ reuocatus eſt. quaſi dicat, Primus gradus ſapientiæ eſt ſeruare uiam uitæ: ſecundus eſt, ſi quid errauerit, reprehenſionem admittere. M

„ ABSCONDVNT odium labia mẽdacij, qui profert contumeliam, in-
„ ſipiens eſt. In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderabitur
„ linguam ſuam, prudentiſsimus eſt. *Heb.* Qui celat odium, labia mendacij,
„ uel labiis mendacij, & qui profert obliquum, eſt ſtultus. In multitudine uer-
„ borum non ſolet deficere tranſgreſsio, ſed qui cohibet labia ſua, ſapiens eſt.

Cum

A Cum ex ſermone potiſsimum deprehenditur ſapientia & ſtultitia, maximas lin- Cap.10.
guæ uirtutes & uitia paſsim oſtendit Salomon, ex quibus animæ uirtutes aut uitia ne-
ceſſe eſt ſequi. Charitatis ſummam audiuimus laudem, ut quæ proximorum uitia te-
git & extinguit, uiciſsim odium quanta mala procreat audiamus: cuius duæ ſunt ſpe-
cies, Eſt enim aliquod ſecretum & corde clauſum, quod multa fingere & mentiri facit
homines. Et ubi in animo non eſt amor, ibi in lingua non eſt ueritas: & hoc eſt quod di-
cit in Hebræo, Qui celat odiũ, illius labia ſunt labia mẽdacia. In ſpecie ſapientiã quandã
præ ſe fert, qui odium celat: uerum qui maledictis & detractionibus palam prodit ſuum
B odium, omnino ſtultus eſt. Alij referunt hæc uerba, ſtultus eſt, ad utrunque, nempe ad
eum qui profert conuitium uel infamiam, & ad eum qui labiis mendacibus occultat
odium. Quod ad ſenſum ſpectat, detractorem ſtultitiæ notat, qui famam alterius lædere quadam libidine loquendi gaudet, & aliorum uitia palam diuulgare: quanto magis ſi labiis mendacibus, falsò crimina cuiquam imponat, quàm longiſsime à charitate eſt alienus, quæ multitudinem peccatorum ſedulo tegit. Atqui hunc ſenſum facit Aben Hezra, Hebræorum doctiſsimus interpres. *In multiloquio non deerit peccatum:*) uel, iuxta Hebræum, In multis uerbis non ceſſabit. uel in genere dictum intelligimus, contra lo-
C quacitatem inanem, ſicut illud, De omni uerbo otioſo quod loquuti fuerint homines, reddent rationem. uel, ſecundum interpretationem Hebręorum, Tranſgreſsio eſt detractio, qua ſtultus tranſgreſſus eſt, & in fratrem pręuaricatus eſt. Et proinde qui labia cohibet, ut neque mendacibus uerbis cuiquam imponat, neque alienam famam lædat, prudentiſsimus eſt, aut intelligens eſt: qui ſic labia moderari nouit, ut ne uerbo quidem pec cet, hic perfectus eſt uir, ut inquit Iacobus.

» ARGENTVM electum lingua iuſti, cor autem impiorum pro nihilo.
» Labia iuſti erudiunt plurimos, qui autem indocti ſunt in cordis egeſtate mo
» rientur. *Heb*. Argentum electum lingua iuſti, cor improborum uelut exi-
D guum. Labia iuſti paſcent multos, & ſtulti in defectu cordis morientur.
»

Pro nihilo, uel quaſi exiguum, ut nos uertimus Hebraice כמעט, poteſt referri ad qualitatem, uel ad tempus: quaſi paruo tempore durat intellectus improbi, uel, quaſi parum boni ſenſus & cordis habent improbi. Vitia linguæ audiuimus, uirtutes denuò audiamus. Multa mentiuntur illius labia, qui odium celat: contrà, lingua iuſti ab omni mendacio pura & munda eſt: & idcirco non immeritò probato confertur argento, quod ab igne non tantum non conſumitur, ſed etiam purius & ſplendidius redditur. Sic iuſti &
E ſapientis uiri ſermo, tantum abeſt, ut uel oſoris mendaciis, uel ſtulti detractionibus inficiatur, aut maledictum rependat maledicto, cõuitium conuitio, ut etiam iuxta Paulum bene precetur male dicentibus: litibus ſeminandis inter fratres uſqueadeò aliena, ut multos ad concordiam reducat, eſurientes paſcat uerbo uitæ, quo uiuit homo, non in ſolo pane. O precioſam & electam linguam, cuius nulla perſecutionis flamma ſilentium imponere poteſt, quo minus fidem Chriſti reſonet, odium à corde, & mendacium à lingua dulciſsimo ſono expellat. Talis erat Chriſti Ieſu lingua, in cuius ore non eſt inuentus dolus: qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, *Eſa.52.*
F cui dominus dedit linguam eruditam, ut ſciret ſuſtentare eum qui lapſus eſt uer- *1.Pet.2.*
bo. Quæ tamen lingua quanuis electa, cor improborum Iudæorum non penetrauit: *Eſa.30.*
nam ualde parum cordis & intelligentiæ habent improbi, & ob defectum cordis, uerbo uitę, & pabulo huius linguę non ſunt paſti: ſed ut ſtulti, fame mortui ſunt. Moriuntur & hodie (heu) nimis magna infidelium turba, & hæreticorum qui huius iuſti linguam, quæ hactenus in eccleſia Chriſti quotidie reſonat, audire contemnunt: & cùm ſe fame uerbi Dei laborare præ ſe ferant, uere ſtulti cum fidelibus populis paſci nolunt. Moriuntur inedia, cùm illis cor ad credendum deficiat. Iuſtus multos paſcit ſua doctrina, ſtultus ſeipſum non paſcit. Prouerbium paſtores iniuſtitiæ condemnat, qui neque gregem, neque ſeipſos ad uitam inſtruunt.

» BENEDICTIO domini diuites facit, nec ſociabitur ei afflictio. *Hebr.* G
» Benedictio domini ipſa ditabit, & non addet laborem cum illa.

Quæ de diuitiis ſuperius dicta ſunt, nempe, Opes diuitis quaſi ciuitas fortitudinis eius, poſſunt in malam partem accipi ut expoſuimus: hoc in loco, de alia diuitiarum ſpecie ſiue ratione loquitur: nempe de his, quæ Dei beneuolentia & benignitate conferuntur hominibus. Olim dictum eſt primo parenti, In ſudore uultus tui ueſceris pane, Et ex terra fructus abſque ingenti dolore non percipies: Sed clementiſsimus pater, hanc legem quandoque immutat, largam benedictionem omnium rerum pluribus concedens abſque ullo labore, aut quamminima cura. Accipimus, inquam, ſi fideles ſumus abſque cu- H
ra, ſolicitudine, & dolore: dicente Chriſto, Quærite primũ regnum Dei, & iuſtitiã eius,
Matt. 6. & hæc omnia adiicientur uobis. Infideles, qui à Deo benedicto, & omnium rerum autore, panem quotidianum non nouerunt petere, aut inopia laborant, aut magna cura, & ſuffocante ſolicitudine, opes acquirunt. Sed reuertamur. Cum dicat Salomon, Benedictio domini diuites facit, & non addit laborem, quid aliud quàm diuites admonet, quo ſimilem benignitatem in egenos oſtendant: atque ita futurum, ut ſubinde noua
2. Cor. 9. domini benedictione potiantur? Nam qui ſeminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet: quaſi dicat, Hac ſola ratione de numero ſapientũ poſſunt eſſe diuites: pri- I
mo ſi diuitias ex domini benedictione, magis quàm ex ſua induſtria ſe poſsidere cognoſcant: deinde ſi liberalitate domini benedictionem referant. Alioqui cum auaro Nabal, & euangelico diuite, in numero ſtultorum meritò cenſeri debẽt. Ponit prouerbium diſcrimen inter cæleſtes diuitias, quæ nunquam deficiunt, & terrenas quas abſque omni moleſtia nemo poſsidet, ne Abraham quidem aut Iſaac.

» QVASI per riſum ſtultus operatur ſcelus, ſapientia autem eſt uiro pruden
» tia. *Heb.* Quaſi riſus ſtulto facere ſcelus, & ſapientia eſt homini intelligẽtia. K

Ob ambiguitatẽ unius uocis זמה, huius uerſiculi duplex ſenſus eſſe poteſt. זמה enim uel ſcelus & rem abominandam ſignificat, uel cogitationem. Iuxta priorem interpretationem, hũc ſenſum habet: Stultus facillime, & quaſi per iocum, in grauiſsima nonnunquã ſcelera corruit: ut putà qui ſapientia & intelligentia, hoc eſt humanarum & diuinarum rerum cognitione ſit deſtitutus. Nam à magnis & horrendis flagitiis, non ſolum diuina lege & Dei timore, ſed lumine intellectus naturali, authoritate legum & philoſophorum præceptis, cohibentur homines: ut iam nulla ſapientiæ parte conſtet eum eſſe præditum, qui leui de cauſa, magnum aliquod perpetrat malum, quod ſtultorum eſt. quandoque ex inſigni ſtultitia, & ignorantia rerum, ut diximus, quandoque ex conſue- L
tudine praua, quæ uitia principio horrenda, paulatim iocularia ſolet efficere. Quod in Hebræo legitur כשחוק quaſi riſus, uel quaſi ridere, ad facilitatẽ aut amœnitatem referri poteſt, & ſuppletur in ſecũda clauſula, quaſi ridere eſt ſapientia, hoc eſt, facilis & amœna uiro intelligentiæ. Quòd ſi זמה cogitationem interpretamur, alium ſenſum hauriemus, nempe hunc: In rebus agendis ſtultus nulla deliberatione ſolet uti, neque conſilio maturo, ſed quemadmodum riſus & iocus temere nonnunquam homines occupant, præſertim leues & ſtultos, qui nulla de cauſa nonnunquam reſoluuntur in riſum, talis eſt uniuerſa uita ſtultorum, qui temere aggrediuntur quod cogitant, & non præpon- M
derant ſuorum operum conſtantias. Contrà ſapientia eſt, uiro prudentia uel intelligentia, ſapiens nihil non maturo & ſapienti conſilio molitur, ſed quæ ſua ſapientia facienda nouit, eadem conſtanti prudentia exequitur. Et hoc eſt quod dicit, Sapientia eſt uiro ſapienti, iuncta cum intelligentia, neque uita cum ſcientia & doctrina pugnat, hæc poſterior expoſitio mihi non diſplicet.

» QVOD timet impius ueniet ſuper eum, deſiderium ſuum iuſtis dabitur.
» Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius, Iuſtus autem quaſi fundamen-
» tum ſempiternum. *Heb.* Timor improbi ueniet ad eum, & deſiderium iuſtorum

A ſtorum dabit. Sicut tranſit turbo, & non eſt improbus: ſed iuſtus, fundamen- Cap. 10.
» tum ſeculi.

Quanuis improbus qui prius dictus eſt ſtultus, quaſi ridens ſcelera committat, tamen ita comparatum eſt ſiue ex natura rerum, ſiue Dei prouidentia, ut abſque metu & conſcientia perturbata non uiuant, qui magnis criminibus ſunt polluti. Flagitia committere res uidebatur leuicula, tamen perpetrato ſcelere, conſcientiç ſtimulis ueluti furiis infernalibus, iuxta Poëtas, miſere torquetur, & ſibi conſcius ſupplicium perpetuo timet, quod
B iuſto Dei iudicio aliquando ſuſtinebit. hæc uulgatiſsima expoſitio eſt. Sunt & aliæ, quarum prima eſt huiuſmodi: Solent improbi homines multum timere ne diuulgentur eorum ſcelera, multáque perpetrare mala, ne quàm ſint ipſi mali, palàm fiat: ſed commiſſum ſcelus, nouo ſcelere diu celare non poterunt. Dauid adulterij ignominiã timens, homicidio uoluit occultare crimen: quod tamen Deus in oculis ſolis exponi curauit. Aliter, Stultus impius incommoda timens & uentura mala, ſolet euentus rerum perpetrato ſcelere præcauere, id quod nunquam aſſequetur. Talis erat Herodes, tales erant Scribæ & Phariſæi qui dixerunt, Ne forte ueniant Romani, & tollant locum noſtrum & gentem. *Ioan. 11.*
id quod putabant ſe innocentis morte poſſe euadere. Denique ſunt qui hunc uerſiculum
C ex priori procedere uolunt, & pronomen eum, referri ad uirum intelligentem, de quo loquebatur præcedens uerſiculus: ut ſit ſenſus, Timor impij, uel improbi, ueniet ad illum uirum ſapientem & intelligentem, cum multos oppreſſos alterius improbitate uideat ſapiens. Sed diu nõ timebit, quoniam dabit Deus unicuique ex iuſtis deſiderium ſuum, ut uideat illius improbi ruinam & interitum: Iuxta illud, Adhuc puſillum & non *Pſal. 37.*
erit peccator, & quęres locum eius & non inuenies. Poteſt tamen ſecunda pars uerſiculi, nempe, *Deſiderium ſuum iuſtis dabitur*) uel, ut eſt in Hebræo, deſiderium iuſtorum dabit, abſolute intelligi. Cum iuſti non deſiderẽt, niſi quod eſt æquum & iuſtum, deſiderium dabit illis Deus, ut uotorum aliquando compotes fiant. Ex ipſo contextu tamen, magis
D apparet debere referri ad præcedentem clauſulam: quaſi iuſtus optaret uenire ſuper impium, quod impius timet, iuxta illud: Quando facies de perſequentibus me iudicium? & *Pſal. 118.*
huic ſenſui quadrat ſequens uerſiculus, qui ſubito ac præter omnem expectationem, improborum uenire ruinam, & interitum indicat, id quod ſimilitudine quadam appoſita uidetur ob oculos ponere, *Quaſi tempeſtas tranſiens*, uel, ut turbo trãſit, *non erit impius.*) Vt nullus uentus eſt magis uiolentus, nec maiori timore concutit mortales quàm turbo, ita nullus eſt minus diuturnus. Haud aliter Dei benignitate comparatum eſt, ut improbi homines & nephandi, quo maiora damna iuſtis inferant, eo celerius ad interitum,
E & extremum ſupplicium corruant: quod ut ipſi non poſſunt non timere, ita iuſtus, uel ſua, uel ipſius iuſtitiæ cauſa, aut denique bonorum omnium gratia, non poteſt non optare. Cæterum, iuſtus qui ſui ſimilis ubique eſt, neque ullo circunfertur uento, ſeu proſpero ſeu aduerſo, columnæ aut fundamento ędium meritò confertur: imò ipſius ſeculi fundamento, ut puta qui nullis aduerſis huius mundi commouetur, de præſenti uita, frequentiſsime locum habet: de futura, & nominis uirtute ac fama, ſemper. Et primo in Chriſto tanquam capite, deinde in ſanctis & iuſtis omnibus, qui ad illius exemplum in fide radicati, & fundati permanſerunt & improborum turbines ac procellas conſtanti
F pertulerunt animo.

» VT acetum dentibus & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt.

Sedulitatem & diligentiam docet eos, qui res & negotia tractant aliena: quemadmodũ enim acetum ſua acredine corrodit dentes, & obſtupeſcere facit, atque inutiles inidoneóſque ad maſticandum reddit, & ut fumus oculos infeſtat, & ad clare perſpiciendum reddit hebetiores, non ſine graui totius corporis detrimento: ſic qui dentium uice, & oculorum funguntur in eccleſia, dum uerbum uitæ frangunt, & præmaſticant cibum imbecilli multitudini, & lumen prędicant cæcis, quorum functioni maxime obſtat, uel ſtupor dentium impediens quo minus pabulo uitæ paſcantur ipſi: uel fumus, hoc

eſt,

eſt, luxus & deliciæ rerum terrenarum, quibus eorum dentes & doctrina hebeſcit, & G
quibus oculi excæcantur eorum qui mittuntur, & locum Apoſtolorum tenent. Quòd ſi
ſimpliciter iuxta literam duntaxat accipiendum putamus, mortalium in rebus caducis
nimiam curam & expectationem eleganter reprehendit, qui niſi ſtatim uoti reddantur
compotes, niſi ſtatim de rebus quas ſcire deſiderant, certiores fiant, nec cibum libenter
ſumunt, nec quicquam læti uident. Et interim miniſtrum ſui muneris commonefacit, ut
quàm maxima diligentia feſtinet, ac ſui principis negotia cum omni maturitate tractet:
oſtendens iucundiſsimis metaphoris, quàm impatiētes moræ ſolent eſſe, qui de longin-
quo nuntium expectant, præſertim principes huius mūdi. Mihi ſublimior ſenſus magis H
arridet, quem ſub parabola hiſtoricum ſiue literalem eſſe puto.

» TIMOR domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur. Expecta-
» tio iuſtorum lætitia, ſpes autem impiorum peribit. Fortitudo ſimplicis uia
» domini, & pauor his qui operantur malum. Iuſtus in æternum non com-
» mouebitur, impij autem non habitabunt ſuper terram. *Heb.* Fortitudo per-
» fecti uia domini, & fractura operantibus iniquitatem.

Cauſas hoc in loco reddit illius quod ſupra dixerat: ut tranſit turbo, ſic non erit impius, I
iuſtus autem ut fundamentum ſeculi, nempe timorem domini, fiduciam in Deum, &
obſeruationem legis, quam per uiā domini intelligimus, has cauſas eſſe maximas, quòd
iuſti diutius uiuant, quòd cum lætitia cordis & tranquillitate animi uiuant, quòd ſani &
integri uiuant. Contra impij & iniqui aut paucos uiuunt annos, aut ſic uiuunt, ut mo-
ri præſtiterit. In rebus uidelicet caducis & uanis ſpem collocantes, in fracturam & interi-
tum ob flagitia ſua frequenter incidūt. Ante omnia igitur ſapientis & iuſti eſt, timorem
domini ante oculos habere, quo facile declinant à malo, innocentes & ſanctè uiuunt. K
Innocentia uitæ, & integritas morum, tranquilla denique conſcientia, ſanitatem corpo-
ris iuuant, & naturalem corporis conſtitutionem conſeruant. Contra, qui fornicatur, in
1. *Cor. 6.* corpus ſuum peccat: qui grauantur crapula, qui flagitiis ſubinde perturbantur, natura-
les impediunt functiones, in morbos frequentius incidunt: ut omittam uindicem Dei
manum, flagitioſos homines citius extirpare ſolere. Habes, lector, ſimplicem uerſiculi
ſenſum. Sublimior erit ſenſus, ſi ad iuſtitiæ uirtutíſque præmium referas: per quod qui
Pſalm. 9. Deum timent, perpetuo uiuunt, impiorum autem perit memoria cum ſonitu, & aut nul
lam, aut peſsimam nominis famam, poſt ſe relinquunt. Porrò *Expectatio iuſtorum lætitia.*)
Iuſti qui uniuerſam ſpem in domini clementia & bonitate collocant, qui ſpe futurorum
præſentia ſpernunt, qui præſentem uitam corruptibilem, cum futura & æterna libenter L
commutant, cum ſumma lætitia erunt aliquando uoti compotes. Verum improbi qui
fœlicitatem ſuam uel in opibus, uel in uoluptatibus collocant, qui ſibi prolixam polli-
centur uitam, neque ſupplicium expectant, aut Dei uindictam pro ſceleribus, longe
falluntur: neque res ulla magis eorum interitum accelerabit, quàm uana & impia con-
tumacia, ſiue præſumptio, quæ pœnitentiæ remedia ſpernit, & miſericordiæ ianuā clau-
dit. Ad hæc, *Fortitudo ſimplicis uia domini:*) uel (ut eſt in Hebræo) perfecti, uel ad perfectio-
nem. Ex uia domini iuſtus corroboratur & cōſolidatur in iuſtitia ſua. Per uiā domini in-
telligimus legem Dei, per quam incedens iuſtus procedit de uirtute in uirtutē, & creſcit M
fidei & charitatis gradibus quibuſdam in uirum perfectum, ut poſtea timorem deponat
1. *Ioan. 4.* ſeruilem, quē charitas foras mittit. *Et pauor his qui operantur malum,*) uel calamitas מחתה,
operantibus iniquitatem. Contra qui iniquè & flagitioſè degunt, indies magis ac ma-
gis pauore concutiuntur, & ſtimulis conſcientiæ: aut certe timere deberent, ſi uel quan-
ta tranſgreſſoribus lex Dei minatur ſupplicia, uel quātas iam olim dederint pœnas, qui
male uixerunt, perpendant. Aliter, per uiam Dei licet intelligere Dei fauorem, gratiam,
& miſericordiam, per quas ad homines pro ſua clementia uenit, peccata remittens pœ-
Rom. 2. nitentibus. Etiam Dei iuſtitiam & ſeueritatem intelligimus, quam ſibi theſaurizāt, qui
perſeuerant male agere. Quemadmodum enim uia domini eſt fortitudo perfectis, ſic

uia do-

A uia domini (qua ſolet ſeuerè punire malos) pauorem flagitioſe uiuentibus incutere de- Cap. 10.
beret. *Iuſtus in æternum non commouebitur*) uel non mutabit. Iuſtus nullis aduerſis rebus
aut proſperis concuti poteſt aut perturbari, ſed immobilis ad omnia, ſeu proſpera, ſeu
aduerſa, in Dei timore & futurorum ſpe, tanquam fundamentum ſpiritualis ſtructuræ
conſiſtit: Nam qui confidit in domino, ſicut mons Syon non commouebitur in ſeculum. *Pſal.* 125.
Sed iuxta illum loquēdi modum, Qui comederit ex hoc pane uiuet in æternum, hoc eſt, *Ioan.* 6.
non ſolum in præſenti, ſed in futuro. *Impij autem non habitabunt ſuper terram.*) improbi ne
in hac terra quidem habitabunt: ſed, ut ſuperius dictum eſt, ut turbo uelociſsime tranſi-
bunt. Et uel celerem mortem ſignificat, uel potius impiorum etiam in terra uitam non
B eſſe dicendam, neque manſionem, cum nullam certam normam, aut uiuendi legem ſe-
quantur, ſed ut inquit Eſa. Impij quaſi mare feruens. Vel denique ſic intelligitur, ut pen- *Eſa.* 57.
deat ex præcedentibus, *Spes impiorum peribit.*) Nam cum hic in terra fœlicitatem ſuam
collocauerint, & iucūdam hanc uitam ſibi polliceantur, ſpe ſua fruſtrati, ne in terra qui-
dem habitabunt, uel ſemen non relinquent in terra.

» OS iuſti parturit ſapientiam, lingua prauorum peribit. Labia iuſti conſide-
» rant placita, & os impiorum peruerſa. *Heb.* Os iuſti loquetur ſapientiam,
C ſed lingua peruerſitatum excindetur. Labia iuſti cognoſcent uoluntatem,
» ſed os impiorum peruerſitates.

Iuſtorum prȩmia, & improborum ſupplicia diuerſa hactenus recenſuit Salomon. Quo-
rum cauſas partim ſuperius reddidit, nempe quòd ſcelus quaſi ridens perpetret ſtultus,
uir intelligens nihil niſi maturo conſilio, & ſapientiæ regulis agat. Partim hoc in loco,
ſermonis uirtutes & uitia noua commemorans, linguæ uel in primis ſapientem ratio-
nem habere oſtēdit: ut qua commoda uel incommoda hominibus facillime ingerimus.
D Obſeruandum eſt uerbum יגוב quod ſeptuaginta ἀφορίζει diſtillat, Hieronymus par-
turit, alij loquitur, tranſtulerunt, proprie creſcere, aut producere fructus ſignificare, in-
de nomen נוב fructus. Quæ ſignificatio, iucunda admodum metaphora, ad linguam
transfertur. Senſus igitur erit, Non immerito iuſtus diu uiuit, fiduciámq; habet bonam,
neque commouebitur: nam admodum utilis eſt illius uita, ut puta cuius os ſapiētiam
profert ad eruditionem multorum. Iuxta illud quod ſuperius dixit, Labia iuſti paſcent
multos. quaſi dicat Salomon, Præcepta ſapientiæ ex boni & iuſti uiri ore, potiſsimum
hauriuntur. Nam os iuſti producit ſapientiam, ut arbores nouos fructus, & non ſolum
E exemplo uirtutis, ſed lingua quoque paſcet & ædificabit multos: lingua uero quæ lo-
quitur ad ſubuerſionē fidei & morum, excindetur. *Lingua prauorum peribit,*) uel lingua
peruerſitatum excindetur, ut eſt in Hebræo. Cum fructus non proferat tanquam arbor
non inutilis ſolum, ſed pernicioſa, cum loquatur contraria ſapientiæ & ueritati. Et uer-
bum excindetur, ſicut & alia præcedentia, poſſunt intelligi bene uel male ominantis,
quaſi dicat, utinam excindatur. Vtriuſque rationem & cauſam in ſequenti uerſiculo red
dit: Nempe, *Labia iuſti conſiderant*) uel (ut eſt in Hebræo) cognoſcunt: hoc eſt, oſtendit iu-
ſtus ex ſermone ſe cognoſcere, quod placet: ſed improbi, quemadmodum contraria ſen-
F tiunt & uolunt, ita contraria loquuntur. Aliter, labia iuſti nouerunt uoluntatem ſuam:
hoc eſt, non aliter loquitur, quàm ſentiat & uelit, ſed ex bona radice, bonos fructus facit:
improbus uero contraria loquitur his quæ ſentit, ut neque in corde, neque in ore ueri-
tatem habeat.

CAPVT VNDECIMVM.

» STATERA doloſa abominatio eſt apud dominum, & pon-
» dus æquum uoluntas eius. *Heb.* Et lapis perfectus uoluntas eius.

In hoc capite uarias iuſtitiæ ſpecies, cum uitiis contrariis, proponit nobis
Salomō. Iniuriarū & fraudis multa ſunt genera, inter quæ domino maxime

diſplicet fraus illa, quæ ſub ſpecie iuſtitiæ & æquitatis committitur: quando uidelicet G
iniquis ponderibus & doloſis utuntur rerum uẽditores. Res eſt magis horrenda, quòd
in multitudinem peccatur: præſertim in pauperes, qui minutim res neceſſarias compa-
rant: & quòd huiuſmodi fraudem rarius deprehendant aut corripiant magiſtratus
reipub. Idcirco dominus execratur eam cui uehementer arridet lapis, ut eſt in Hebræo
אבן שלמה hoc eſt pondus perfectum & iuſtum. Ad omnia commercia emptionis & uen
ditionis referri debẽt, & ad quoſcunque contractus, in quibus quod ſibi fieri uelit unuſ-
quiſque, facere debet aliis: & Lydio uti lapide, non Lesbia regula. Quòd ſi ad iudicia pu
blica, priuatáque referri uolumus, iuxta Bedam, latiſsime patebit interpretatio: latius H
autem, ſi ad omnia referatur officia, quæ inuicem debent homines præſtare.

» VBI fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: ubi eſt humilitas, ibi & ſapien-
» tia. *Heb.* Venit ſuperbia & ueniet ignominia, ſed cum manſuetis ſapientia.

Diſtinguit prouerbium inter ſapientiam huius mundi, quæ cum arrogantia coniuncta
eſt, & ſapientiam ueram, quæ ſemper humilitati eſt annexa. Ben Hezra intelligit uir ſu-
perbiæ, hoc eſt ſuperbus, qui (ſi quis alius) procul eſt à ſapientia, quæ dicit, Diſcite à me,
Mat. 11. quia mitis ſum & humilis corde. Superbus uero ubicunque uenerit, alios præ ſe con- I
temnit, cum ipſe ſit maxime contemnendus, qui conditionem ſuam non nouit, qui ſe ex
eodem puluere conditum, & in eundem puluerem cum aliis reuerſurum, non memi-
nerit: ſed ſublimes animos & ſpiritus concipit, quòd uel corporis, uel ingenij uiribus uin
cat alios, quòd opibus aut quacunque dote, uulgus ignobile uideatur ſuperare: & cum
contumelia & contemptu, primos accubitus curat in cœnis, & cætera. quibus in rebus
mera eſt ſtultitia. Sapientia uero cum manſuetis & humilibus manet, qui æquo animo
tolerant iniurias ſuperborum. Cuius rei exemplum habemus Dei ſapiẽtiam Chriſtum
Mat. 11. dominum, quæ non à ſuperbis Iudæis, ſed à filiis ſuis iuſtificata eſt.

» SIMPLICITAS iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio peruerſorum ua- K
» ſtabit illos. *Heb.* Perfectio rectorum ducet eos, & peruerſitas præuaricãtium,
» perdet eos.

Non ſolum uirtutis laudem, & uitiorum reprehenſionem, proſequitur Salomon, ſed
ſubinde præmia proponit & ſupplicia, ut uel terrore diſcant ſapere imperiti rerum. De
fraude quæ menſuris ac ponderibus fit in damnum pauperum, deinde de ſuperbia qua
manſueti contemnuntur, prius dictum eſt: quibus rebus per fas uel nefas multa lucra-
ri uidentur homines, honores uidelicet ac diuitias, ſed uanos omnino & fallaces. Multo
ſatius eſt æquitatem ſeruare, per rectam legis obſeruantiam. Nam integritas uitæ, & pu- L
ritas abſque macula, perpetuo eos qui recti ſunt, qui non declinant neque ad dextram
neque ad ſiniſtram, utrinque contraria relinquentes uitia, hęc inquam integritas, & per-
fectio, dux erit & comes, his qui omni obliquitate carent, qui non ſolum iuſto pondere,
ſed recto & iuſto iudicio, unicuique quod ſuum eſt reddunt. Integritate duce magna
ſecuritate, per hanc ærumnoſam uitam, ad fœliciſsimam illam ducentur. E regione ſup-
plantatio peruerſorum בוגדים Hebr. id eſt qui fallunt, uel tranſgrediuntur, uaſtabit eos,
uel perdet eos, ídque iuſto Dei iudicio. Nam qui legem præuaricantur, & tranſgrediun-
tur peruerſitate quacunque, tandem ipſi peribunt eadem fraude, quam conabantur aliis M
inferre. Et iam non qui patitur, ſed qui facit iniuriam, damnum inde capit, frequentiſsi-
me in hac uita præſente, in futura ſemper niſi reſipiſcat. Nunc qui ponderibus iniquis
fraudem facit, non uni homini, ſed reipub. & omnibus ciuibus, non aliud lucrum ſuppu
tat, quàm illud quod eum in perditionem detrudet, tantum abeſt ut ex diuitiis male par
tis, ſolatium habeat. Et hoc eſt quod ſequitur·

» NON proderunt diuitiæ in die ultionis, ſed iuſtitia liberabit à morte.
» *Hebræum*, In die indignationis.

Tacitè occurrit obiectioni malorum, qui diuitiis quacunque arte acquiſitis, tutos ſe fore
putant

putant in die ultionis, uel indignationis, cum uel in hac uita, uel in futura, de præuaricatoribus sit sumendum supplicium. Non proderunt, inquit, opes male congestæ, quibus sententia iusti iudicis nequit flecti: sed iram prouocabũt tanquam criminum testes. *Sed iustitia liberabit à morte.*) Si mortem times corporis uel animæ, iustitiam ama, quam Christus de cælis in terram deduxit, & cuius omnes homines participes esse uoluit, per fidem & imitationem. Illa sola mortis & uitæ habet imperium, sola sententiam olim latam, (Quacunq; die comederis, morte morieris.) poterit reuocare, & à morte corporis, qui somnus potius dicendus est, post depositam mortalitatem in immortalem uitam restituet. Iustitiæ & æquitati uacandum docet prouerbium, non cumulandis opibus: uel potius, opes per eleemosynas insumendas. Nam mea quidem sententia hoc in loco iustitia, pro eleemosyna capitur, ut alibi frequenter: & sic secunda particula uersiculi, priori respondebit, & erit sensus: Diuitiæ non eripient in die tremendi iudicij & indignationis, diuitiæ uel male partæ, uel cum auaro animo seruatæ: sed si ex diuitiis iuste acquisitis facias tibi amicos, illi te recipient in æterna tabernacula. Nam ut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna supplicium peccati debitum, & iudicis iram placat facilius, quàm alia pietatis opera. Cap. 11. *Genes. 2.* *Luc. 19.*

» IVSTITIA simplicis diriget uiã eius, & in impietate sua corruet impius.
Heb. Iustitia integri diriget uiam eius, & in impietate sua corruet impius.

Ne quis sapientis uerba peruerse interpretatus, sufficere putet diuitias bene dispensare, neqtie de reliquis uirtutibus curam ullam habendam. Iustitiam, inquit, intelligimus eorum, qui reliqua uita sunt simplices, uel integri sine macula. Talium enim iustitia eripit à morte, neque solum à morte liberat, sed ad reliquam uitam dirigendam iuuat. Nam cum ea sit humana fragilitas, ut quantus hodie perfectus & integer sit, illius perfectionis tamen nulla est securitas. Verum iustitia de qua loquuti sumus, solet perfectorum & innocentium hominum uias dirigere, ne in aliquam huius uitæ obliquitatem incidant: Cõtrà, *In impietate sua corruet impius:*) uel, improbus per improbitatem cadet in aliam improbitatem. Nam ueluti catenula quadam cõnectuntur iniquitates & uitia, iuxta illud, Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo uanitatis. Aliter, Quemadmodũ iustitia perfecti diriget uiam eius, ut recte & inoffense progrediatur in hoc mundo, & tendat ad finem destinatum: sic improbus per suam improbitatem corruet, & non pertinget ad finem sibi propositum, hoc est, prosperitatem quandam in hac uita diuturnam. Prior expositio magis placet. *Esa. 5.*

» IVSTITIA rectorum liberabit eos, & in insidiis suis capientur iniqui.
» *Heb.* Sed in peruersitate transgressores capientur.

Duæ uoces Hebræorum תמים perfectus, & ישר rectus, sic distingui possunt, ut prior ad innocentiam referatur, quæ sine macula est: & non solum de homine dicitur, quantum ad corpus & quantum ad intellectum, sed etiam de cæteris animantibus. Secunda uero magis ad cogitationum uel operum moderationem refertur: ut rectus dicatur homo, qui suam uitam iuxta Dei legem, in qua nulla est obliquitas, dirigit. Porrò iustitiam intelligimus, uel pro specie illa, qua quis bene & iuste diuitias comparat & dispensat, ut ad superiora referatur: & erit sensus, Eleemosyna rectorum, hoc est recta intẽtione cum cæteris circunstantiis collata, liberabit à morte: sed transgressores legis in insidiis capientur: בהוות in prauitate, qui praue & oblique legem intelligunt & transgrediuntur. Illa obliquitate capientur, hoc est, uel conscientia scelerum uel pœnis à lege præscriptis. Aliter, possumus per iustitiam integritatem uitæ & merita operum intelligere, quibus recte uiuentes in hac mortali uita diriguntur, & tandem ab æterna morte liberantur: sed impij siue improbi in insidiis capientur, ueluti laqueis & funibus peccatorum, quibus in æterno supplicio & carcere sunt ligandi. Locus est moralis, uirtutis prẽmium, & iniquorum continens supplicium.

» MORTVO homine impio nulla erit ultra ſpes, & expectatio ſolicito- G
» rum peribit. *Heb.* In morte hominis improbi peribit ſpes, & expectatio di-
» uitiarum periit.

Hunc uerſiculum longe aliter habet antiqua trãſlatio, inquit Beda, nempe, Defuncti hominis iuſti, non perit ſpes: gloria impiorum peribit. In Græco ὁ δὲ καύχημα τῶν ἀσεβῶν ὄλυται. In priore particula Hieronymus conſentit cum Hebræa ueritate, in ſecunda uero conſentiunt Septua. cum Hebræo, ſed pro ſpe diuitiarum, gloriam poſuerunt. Impij ſpem non habent neque lætitiam niſi in hac uita, cuius cùm nulla ſit certitudo, quam H
miſeri ſint facile eſt cogitare: & ut quàm diutiſsime uiuant, tamen nihil eſt, ſi ad æternã uitam conferatur. Quanta ſtultitia eſt igitur momentaneis, & incertis rebus inhærere, ſpe futurorum amiſſa? nam in morte penitus omnia pereunt iniquis, & præſentium &
Pſal. 48. futurorum lætitia. Cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcẽdit cum eo gloria eius. In Hebr. תוחלת אונים expectatio diuitiarum, uel fortium. uox אונים uel pro iniquis, qui per uiolentiam agunt accipitur, uel pro diuitiis per iniquitatem acquiſitis, quibus omnem ſpem collocant improbi. Eſt igitur ſenſus uerſiculi, non tam narratio quid futurum ſit impiis, quàm admonitio ut reſipiſcant, & diuitias ſuas bene diſpenſent, opera I
miſericordiæ exerceant. Nam tantiſper dum uiuunt, patet miſericordiæ ianua: ut Chri-
Ioan. 9. ſtus in Euangelio, Operamini dum dies eſt, uenit nox quando nemo poteſt operari. Si de morte animæ, quod eſt peccatum intelligatur locus, erit ſenſus: In morte animæ per quodcunque peccatum perit ſpes iniqui: quaſi dicat, reliqua pia opera non poſſe iuuare hominem qui per unum flagitium mortuus eſt: niſi reſipiſcat & agat pœnitentiam, non poteſt bene ſperare. prior expoſitio eſt melior.

» IVSTVS de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo. *Heb.* Et ue-
» nit impius pro eo.

Hic uerſiculus, ut in ſenſu quadrat cum prioribus, ita ex illis pendet, & ueluti colophonem imponit huic loco, qui de ſpe iuſtitiæ ſiue eleemoſynæ tractat, & de infœlici exitu K
mammonæ iniquitatis, quæ fere ſeruatur in perditionem poſſeſſoris. Concludit inquam dicens, *Iuſtus de anguſtia fuit ereptus,*) ut eſt in Hebræo, hoc eſt, multæ ſunt tribulationes
1. *Timo.* 3. iuſtorum. Et qui uolunt pie uiuere cum Chriſto, perſecutionem patientur. Sic Dei opt. maximi diſpenſatione comparatum eſt, ut iuſti primo patiantur tribulationes, uel pro-
2. *Cor.* 11. prias uel alienas. Quis infirmatur & ego non infirmor? Sed ab anguſtiis ad refrigerium
Act. 24. uenient. Nam per multas tribulationes oportet intrare regnum Dei. Decet membra caput ſuum, qui Chriſtus eſt, ſequi. Hæc eſt igitur conditio iuſtitiæ, ut primo afflictiones L
ſuſtineat, primo iuſtitiam Dei peccatis debitam ſentiat, poſtea uero ab anguſtia ad refrigerium transferatur: uelut aurum cum iam purgatum fuerit, de fornace tollitur. *Impius uero ueniet pro eo,*) uel in loco illius: hoc eſt impius qui nunc nullas patitur anguſtias, ſed tranquillitate fruitur, mutabit & ipſe uices, & locum anguſtiarum tenebit. Iuſto infixit miſerias, ipſe ſuſtinebit, temporali fœlicitate gaudẽs, Deum omnium bonorum authorem non agnouit, tandem ſuppliciis traditus, iuſtum iudicem cogetur agnoſcere. ut ſit rerum uiciſsitudo, in iuſtis mala præcedunt, in impiis ſequuntur. Idem in humano iudi- M
cio frequenti uſu uenit, nempe bonos & iuſtos calumniam ſuſtinere, & pro alienis criminibus falſo accuſari. Sunt ex Hebræis qui per anguſtias à quibus eripitur iuſtus, intelligunt mala quæ iuſto Dei iudicio pro peccatis frequenter occurrunt, nempe famem, peſtem uel gladium, & alias id genus miſerias huius uitæ, à quibus iuſti nonnunquam eripiuntur. Et ut meritis bonorum ira Dei aliquandiu defertur, ita tandem non reſipiſcentibus iniquis grauiore ictu cadere ſolet uindicta, à qua tamen iuſtos eripere nouit dominus.

» SIMVLATOR ore decipit amicum, iuſti autem lætabuntur ſcientia.
» *Heb.* Per os hypocrita perdet ſocium ſuum, ſed in ſcientia iuſti eripientur.

A חנף hypocritam ſignificat, & improbũ, ſed cum additione huiuſmodi, nẽpe, נושא פנים Cap. iii.
qui uultum extollit, hoc eſt, qui cum improbus ſit, probitatem præ ſe fert uultu: quales
fuerunt olim Scribæ & Phariſæi, qui mortem Chriſti machinati ſunt. Tales ſunt & ho-
die cum alij pſeudochriſtiani, tum hæretici in primis, quibus nulli magis probitatem ſi-
mulant, nulli maiorem erga gregem Chriſti zelum prę ſe ferunt aut charitatem, quibus
artibus heu quantam ſtragem pietatis & morum noſtro ſeculo uidimus: ſed ultra non
proficient. Nam iuſtorum hominum ſcientia eripietur populus, & palam fiet fraus hy-
pocritarum. Aliter, Iuſti eripiẽtur ſcientia ſua: quaſi dicat, non ſolum iuſtitia & probita-
B te opus eſt, ſed etiam ſcientia ſcripturarum, ſi tuti uolumus eſſe ab hypocritis. Scientia
iuſtorum ſunt oracula prophetarum & maiorum monumenta, quibus nos tueri docet
contra pſeudoapoſtolorum & hæreticorum fraudes. Poteſt uerſiculus in huius uitæ ne-
gotiis locum habere: multi enim damna ſubeunt adulatorum ſermonibus decepti: dum
amicum putant, inimicum experiuntur, contra quos iuſtorum & bonorum hominũ con
ſiliis & experiẽtia indigemus. Leui Ben Gerſon, Improbus ad peccatum alios ſecum tra
hit uerbis perſuadendo, à quo malo tantum abeſt iuſtus, ut illius ſcientia à peccatis &
corruptione eripiantur alij.

„ IN BONIS iuſtorum exultabit ciuitas, & in perditione impiorum erit
C laudatio.

In ciuitate recte inſtituta, ſecundum leges decernuntur præmia uirtutum probis homi-
nibus & ſupplicia improbis. Cum igitur honor decernitur, uel magiſtratus & publica
munera iuſtis diſtribuuntur, merito exultare ſolet uniuerſa ciuitas. Nam illorum bona,
ad omnium ciuium commoda defluunt: & cum nihil magis perturbet rempub. quàm
improbi uiri, nihil magis optandum eſt, quàm ciuitatem ab huiuſmodi fæce purgari.
D Quare cum tales uel Dei iudicio, uel legum authoritate de medio tolluntur, & tan-
quam putrida membra de reliquo corpore præciduntur, erit reliquæ ciuitati iubilatio.
Poſſumus per bonum iuſtorum, uel externa intelligere bona, uel potius bona animæ &
cęlitus collata: quibus magis idoneus erit iuſtus, ut ciuibus proſit, conſilio, prudentia,
uel opibus, & improbos coërcere. Aliter, bonum iuſtorum ſunt pietatis opera & æquita-
tis, præſertim ea, quæ in pauperes ciues conferuntur: bonitas enim iuſtorum eſt non ſibi
ipſis, ſed multis bonum quærere. hæc inſignis eſt bonitas. Contrà, improbi omni ſtudio
damna conantur inferre pluribus, cum reipub. iactura: ut iam non ſit minus è publico
bono perire illos, quàm iuſtos uiuere. Ciuitas quę exultat in bono iuſtorum, eſt illa quæ
E ſurſum eſt mater noſtra, uel præſens eccleſia, quæ uiciſſitudine quadam bonis & iuſtis *Galat. 4.*
præpoſitis exultat: regnantibus uero hypocritis, luget donec libertati reſtituta, triſtitia
illis uertatur in gaudium & exultationem.

„ BENEDICTIONE iuſtorum exaltabitur ciuitas, & ore impiorum
„ ſubuertetur.

Videtur hoc uerſiculo Salomon ſuperioris cauſam reddere, nempe quare ciuitas exultat
in bono iuſtorum: nimirum quòd benedictionibus, quas iuſti & recti accipiũt à Deo, ma
F gna commoda ciuitati uniuerſæ proueniant, ut non ſolum ipſa ſublimior & altior ſit in
oculis omnium, ſed in ſe re uera multis modis eleuata, omnium rerum copia, bonis legi
bus miniſtrata, multitudine ciuium, pace, religione, & aliis id genus rebus, quæ ciuitatẽ
nobilem & celebrem faciunt. Poteſt benedictio rectorum intelligi illa, quam ciuitati
impertiuntur, uel preces quas pro reipub. tranquillitate fundunt recti & pij homines, uel
conſilia, quibus uiri recti remp. adminiſtrant: & huic ſenſui bene quadrat quod ſequitur:
Per os impiorum ſubuertetur, ut puta qui diſcordias ſeminãt inter ciues, qui pacẽ publicam
perturbant, qui falſis teſtimoniis iuſta iudicia ſubuertunt, & cætera damna: atque ita ci-
uitatem paulatim ſubuertunt. Nam omnis ciuitas in ſeipſam diuiſa deſolabitur. Quãta *Luc. 11.*
ſublimitate & uirtutum culmine ſit ciuitas Dei, militans uidelicet eccleſia, ſubleuata
olim benedictione quam à Deo ſancti acceperant Apoſtoli, nemo fidelium ignorat.

Quantam porro cladem & omnium uirtutum ruinam multis in locis paſſa ſit, improborum hæreticorum ore & lingua, deflere magis conuenit, quàm recitare. G

» QVI deſpicit amicum indigens corde eſt, uir autem prudens tacebit.

Hactenus uirtutes & uitia in hoc capite commemorauit, quibus uel ſapientiam uel ſtultitiam ſuam oſtendunt homines: nunc propius ad ſapiẽtiæ præcepta deſcendit, quorum eſt illud, Neminem uidelicet eſſe contemnendum, præſertim ex his quibuscum familiariter uiuimus, & quos pro amicis & ſodalibus habemus, quos honorare non contemnere decet: dicente Paulo, Honore inuicem præuenientes: maxime ſi talis fuerit, qui ob *Roma.12.* ullam uirtutem mereatur honorari. Quòd ſi te cõtumelia afficiat aut contempſerit, non H eſt tamen malum reddendum pro malo, ſed uincẽdum in bono malum. Et cùm iudicio ſapientis deficit corde, qui contemnit amicum, non debes hunc imitari neque retaliare malum pro malo, ſed potius tacere, quod prudentiæ maximum eſt argumentum. *Vir intelligentiæ tacebit,*) uel uir intelligentiarum, ut puta in quo multiplex eſt intelligentia. Ad contemptum proximi nunquam uenire, ſed potius ex inimico amicum facere, uereri creaturam Dei contemnere, ne in factorem eius uidearis contumelioſus: neque homo cum ſis, poteris humanam naturam afficere opprobriis: laceſſitus iniuria tacuit, humanitate & patientia uincere uoluit. Ecce quantus intelligentiæ cumulus, in homine I qui uel uitia celat aliena, uel prouocatus & contemptus, tacuit. Docet denique prouerbium taciturnitate, non contemptu, ſuperandam quorumdam importunitatem.

» QVI ambulat fraudulenter, reuelat ſecretũ: qui autem fidelis eſt, celat amici
» cõmiſſum. *Heb.* Ambulãs detractor retegit ſecretũ, fidelis ſpiritu celat uerbũ.

Septua. ἀνὴρ δίγλωσσος ἀποκαλύπτει ῥᾳλάς. uox Hebræa רכיל Leuit.19. delator uertitur. eſt proprie is, qui ad inſtar negotiatorum, ab aliis audiens uerba, aliis refert, & interim referendo deprauat. Quæ ſecreta eſſe uolumus, temere non eſſe cuiquam reuelanda docet prouerbium: imo aliorum tegere ſecreta, ad fidem & ſapientiam noſtram ſpectat: denique quid inter fraudulentum criminatorem, ac fidum amicum interſit, uerſiculus K oſtendit, & uirtutem ſilentij commendat, loquacitatem condemnat, maxime eam quæ cum damno aliorum fit. Et ſic cum præcedenti conſentit. *Qui fraudulentus eſt non ceſſat*) ſed tranſit, criminando uel ſecreta narrando famam denigrat alienam, diſcordias & inimicitias ſeminat inter fratres: ſed qui fidelis eſt, hoc eſt, qui fidus eſt amicus, non ſolum non reuelat ſecreta, ſed uel minimum amici uitium celat, uel uerbum tegit, quod ſine damno narrari poſsit: taciturnitate gaudens, non facile male loquetur. Poſſumus hæc iuxta Hebræum ad nos ipſos referre, ut ſit ſenſus: *Qui fidelis eſt ſpiritu*) hoc eſt conſtanti animo, ſeipſum nemini prodit. Nam qui ſua ſecreta reuelat, tanto facilius aliena reue- L labit. Poſſumus denique ſecreta fidei, & religionis noſtræ intelligere, quæ temere non *Matt.7.* ſunt reuelanda paſsim omnibus. Nolite, inquit Chriſtus, ſanctum dare canibus. Fidelis igitur ſpiritu, nouit uerbum euangelij in tempore & loco celare ab his, qui blaſphemãt nomen Chriſti omnium noſtrum amici, cuius uerbum annunciant aliqui propter in- *Philipp.1.* uidiam, & contemptionem, ut inquit Paulus. Septuaginta tamen legunt, ut eſt in Hebræo, nempe πιστὸς δὲ πνοὴ κρύπτει πράγματα, fidelis ſpiritu celat res.

» VBI non eſt gubernator populus corruit, ſalus autem ubi multa conſilia. M
» *Hebr.* Cum non ſunt conſilia corruet populus, ſed ſalus in multitudine
» conſultorum.

Septua. iuxta uerſionem diui Hiero. habent ὅις μὴ ὑπάρχει κυβέρνησις πίπτουσιν: quibus Caldæus aſtipulatur interpres באתרא דלית מדברא in loco ubi non eſt dux, uel gubernator. Hebr. ubi non ſunt conſilia, uel cogitationes, aut induſtria. In ſenſu non eſt multum diſcriminis. & uerſiculus indicat ciuitatem uel rempub. non poſſe conſiſtere, ex confuſa populi multitudine, abſque prudenti & ſapienti gubernatore aut duce. Sunt ex Hebræis qui locum referunt ad uires in bello cõtra hoſtes. quaſi dicat, Quanlibet magna multitudo populi non ſufficit abſq; prudente regimine, nam non tam uiribus corporis, quàm

uirtute

A uirtute animi res bellica miniſtratur. Poteſt non minus apte ad quamcunq; partem reip. Cap. ii.
adminiſtrandæ referri: ubique conſilio & ſapientia opus eſt ad coërcendos improbos,
ad ſedandas lites. Alioqui populus, qui eſt tanquam belua multorum capitum, cito dela-
bitur, & per diſcordias diſsipatur. Cæterum ſalus reipub. & indoctæ multitudinis eſt, à
uiris prudentibus gubernari: neq; ſufficit unus, ſed in multis, qui conſilia ineunt pruden-
tiæ & ſubminiſtrant, cõſiſtit ſalus reip. Prouerbiũ deniq; indicat multitudinẽ omnia præ-
cipitãter agere, ſiue in bello, ſiue in pace, & idcirco egere ubiq; ſapientũ uirorũ conſilio.

„ AFFLIGETVR malo qui fidem facit pro extraneo, qui autem cauet la-
B queos, ſecurus erit. *Hebræum*, Cõterendo conteretur cùm fideiuſſerit pro ex-
„ traneo, & qui oderit ſtipulatores, confidit.

Præcedentia ad publicum ſtatum ſpectare uidentur, uerùm quę ſequuntur magis ad pri uatam referuntur uitam. Nullam partem uitæ reliquit intactam Salomon, in tradendis ſapientiæ præceptis. Nunc illa connumerans quæ propius ad animi ſalutẽ ſpectant, nunc ea quæ rem domeſticam uel augent uel conſeruant, cuiuſmodi iuuenes à ſapientibus diſcere conuenit. Superius ſexto capite dictum eſt, quantum diſpendiũ rei familiari nõ-
nũquã contingat ex ſtipulationibus ſiue fideiuſsione pro homine ſiue extraneo & igno-
C to, ſiue ſectæ uel fidei extraneæ, quo cum nullum tibi uinculũ eſt amicitiæ ueræ. Ab hu-
iuſmodi fideiuſsione cauendum eſt, per quam ad inopiam ſolent redigi homines. Et hoc
eſt quod dicit, affligetur, ſiue cõtritione conteretur. Familiaris admodum ſcripturis me-
taphora, qua maximum damnum & extremam miſeriam innuit. Poteſt uerti, malo cõ-
teretur ſiue affligetur, cum fideiuſſerit, & referri ad impietatem animæ & curam, qua
ſubinde moleſtatur & quodammodo frangitur uitæ tranquillitas, in his qui ſeſe aliis ob-
noxios eſſe cogitant, & redactos ſub aliena poteſtate. Atqui hic ſenſus bene quadrat
cum ſecunda particula: nempe, *Qui cauet laqueos, ſecurus eſt:*) uel iuxta Hebræum, qui
D odit ſtipulatores, uel ſtipulationes, confidit, id eſt confidentius & ſecurius uitam aget.
Prouerbium monet non debere litibus alienis noſmet immiſcere. Alienum uult eſſe ſa-
piens ſuum filium ab his, qui per ſtultitiam & ſocordiam in ære alieno eſſe gaudent.

„ MVLIER gratioſã inuenit gloriam, & robuſti habebũt diuitias. *Heb.* Mu-
„ lier gratiæ ſuſtentabit, uel comprehendet honorem, & fortes ſuſtentabunt
„ uel apprehendent diuitias.

Aliter, Mulierẽ gratioſam apprehẽdet decor, & fortes apprehendẽt diuitię. Oſtẽdit odi-
bile eſſe genus hominũ, qui non ſuis laboribus uel induſtria uictum quærunt, ſed alieno
E ęre cõtracto, aliena quęrũt incõmoda, & fallunt eos qui fideiubent pro illis: debere iuſtis
laboribus cõparare uictui neceſſaria, quæ nemini unquã defuere, qui ſibi ipſe nõ defuit.
Nã quẽadmodũ mulier gratioſa & pulchra, hoc eſt non ſolum forma corporis, ſed animi
uirtutibus gratiã oſtẽdit in oculis hominũ, honorẽ facile aſſequitur ab omnibus, ita uiri
fortes & robuſti ac ſoliciti, aſſequũtur diuitias, quę ſua ſponte labores & induſtriã ſequi
uidentur, ut prior pars uerſiculi pro ſimilitudine ponatur: nã alioqui nulla eſſet prioris
partis, cũ ſecunda conſonantia, quod fere fit in hoc authore. Aliter ad cõiugiũ referri po-
teſt. Et erit ſenſus, Qui gratioſam, pulchrã, & pudicã accepit uxorẽ, honorẽ habebit ex ea:
F & iuxta hũc ſenſum uertũt ſep. γυνὴ δύχρηστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν. Sed uiri fortes ſiue robuſti,
hoc eſt ſoliciti & ad rem attenti, magis quærunt diuitias cum coniuge, ex quibus hono
rem ſequi exiſtimant, non minus quàm ex gratia uxoris. Simplex prouerbij ſenſus eſt, à
mulieribus & uxoribus pudicitiam & honeſtatem morum in primis exigi: à uiris uero,
induſtriam & laborem, quibus parãtur opes ad alendã uxorem & familiam neceſſariæ.

„ BENEFACIT animæ ſuæ uir miſericors, qui autem crudelis eſt etiã pro-
„ pinquos abiicit. *Heb.* Qui retribuit animæ ſuæ uir miſericordiæ eſt, qui per-
„ turbat carnem ſuam crudelis.

Quod noſter interpres expreſsit in uerbo benefacit, ſubintelligunt Hebræi. Sic qui re-
tribuit animæ ſuę, ſup. bonum. Oſtendit uerſiculus primam partem miſericordię noſtris

animis eſſe impendendam, ſecũdam uero corpori, & ex præcedenti pendere uidetur ſen G
ſus: Nam fortes uiri apprehendent diuitias, potiſsimum propter opera miſericordiæ, ſed
ante omnia cauendum eſt, ne in apprehendendis diuitiis committamus aliquid contra
ſalutem animæ. Nam qui poteſt eſſe miſericors in alios, qui ſibi ipſi crudelis eſt? Nihil eſt
crudelius quàm horrendis ſceleribus animum proprium trucidare, quibus etiam carnis
ſanitas & bonus habitus corporis perturbatur, & inidonea efficitur non ſolum ad uirtu
tum opera, ſed etiam ad functiones naturales, quibus uitam protrahimus. Et hic ſenſus
eſt ſecundæ clauſulæ huius uerſiculi ſecundum Hebræos & Septuaginta, qui ſic legunt,
ἀβόλυσι δὲ ἀνὴρ σῶμα ἀνελεήμων, perdit autem corpus ſuum immiſericors: Hebræum, H
Qui perturbat carnem ſuam crudelis. Merito (inquam) crudelis dici poteſt, qui utraque
ſeſe priuat uita, nempe animæ per peccata, & carnis, cuius mortem luxu, intemperantia,
& aliis id genus uitiis accelerat. Sunt qui locum interpretantur iuxta aliam huius uerbi
גמל ſignificationem: ſignificat enim uerbum גמל retribuere (de quo ſenſu diximus co-
pioſe) & etiam ablactare, ut metaphoricè intelligatur, Qui ablactat animam ſuam ab
huius mundi deliciis, miſericors eſt, ſuum defraudans geniũ, & in pauperes diſtribuens:
quod fecit ſanctus Exuperius Tholoſæ Epiſcopus, qui (ut inquit Hieronymus ad Ruſti-
cum) ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena, omnémque ſubſtantiam Chriſti uiſce I
ribus erogauit. Qui uero indulget huius uitæ illecebris, moleſtat corpus ſuum multis
morborum generibus: uel, ut ſenſus poſterioris particulæ priori reſpondeat, Crudelis
perturbat carnem ſuam, dum claudit uiſcera miſericordiæ ab his qui ſunt eiuſdem car-
nis. Sẽſus à priori non eſt multum diſsimilis, uterque pius. Sunt qui per animam, uitam
præſentem intelligant, & prouerbium dici putant contra eos, qui uſqueadeò tenaces
ſunt, ut ne neceſſaria quidem corpori ſumant, pluris facientes opes quàm corpus uel ui
Eccle. 5. tam, iuxta illud: Qui amat diuitias, fructum non capiet ex illis.

» IMPIVS facit opus inſtabile, ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis.

Sep. ἀστεῖος ποιεῖ ἔργα ἄδικα, Heb. Iniquus facit opus mẽdacij, ſed qui ſeminat iuſtitiã, mer K
ces ueritatis. Primam partem miſericordię, ut diximus, ſibi ipſi impendit uir iuſtus, ſecũ-
dam uero aliis, quæ ſua mercede non carebit, ſi modo abſq; fraude fiat: hoc eſt ex animo
bene faciendi abſq; ſimulatione, non ad oſtentationem, uel opus inſtabile, ſiue fallax in-
telligimus, quod ex fraude & malis artibus cõparatum eſt. Cuiuſmodi ſolent eſſe opera
in ſpecie pia, quæ ab iniquis fiunt: hoc eſt aut ad uanam pompam ficta, aut ex rebus non
bene acquiſitis, huiuſmodi operis nulla erit merces fidelis, & permanens. Qui ſe-
minat iuſtitiam, hoc eſt affluenter diſtribuit bona iuſte acquiſita, fidelem & certam ac
reconditam habet mercedem, ſecundum illud: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius L
manet in ſeculum ſeculi. Quod ſi ad eos qui cordibus hominum ſeminant iuſtitiam per
bonam doctrinam aut per exemplũ uitæ referatur, ſenſus erit myſticus, & iniquus iuxta
1. Cor. 3. hanc expoſitionem intelligetur, qui ſuperædificat ſtipulam aut fœnum, opus mendax,
quod exploratum per ignem non potuit ſubſiſtere, nec mercedem habere ſtabilem. Sũt
qui opus mendacij referant ad agriculturam, in qua ſolent improbi alienos agros ſibi
applicare, limites egredi, & per fraudem occupare: ob id quod ſequitur, ſeminans in iu-
ſtitia. prior expoſitio magis arridet.

» CLEMENTIA præparat uitam, & ſectatio malorum mortem. *Heb.* Sic M
» iuſtitia ad uitam, & qui ſequitur malum ad mortem ſuam.

Particula כן aliquando nomen, rectũ ſignificans, frequentius aduerbium ſignificans ſic, uarium ſenſum efficit huius uerſiculi. Hebræi utroque modo exponunt. Iuxta priorem ſignificationem ſubintelliguntur quædam, nempe, rectus qui facit iuſtitiam, illius mer-
ces erit ad uitam, & qui ſequitur malum, ad mortem. Iuxta uero ſecundam erit ſenſus,
Sic qui, ſupple perſequitur, iuſtitiam, pertingit ad uitam, ſicut qui perſequitur malũ, per-
uenit ad mortem. uterque ex priori uerſiculo pendet ſenſus, oſtendens illam mercedem
fidelem & ſtabilem iuſtitiæ, eſſe uitam. Hebr. לחיים ad uitas: hoc eſt, iuſtitia cùm præſen-
tis uitæ,

A tis uitæ, tum futuræ, remunerationem habet: iniquitas uero, utriuſque iacturam facit. Sunt qui referunt כן ſic, ad ſuperiora, ubi dictum eſt, Iuſtitiæ merces eſt fidelis, uera, uel ueritatis. ſ. in hoc mundo: ſic eſt merces iuſtitiæ in uitam futuram ſeruata. Optima interpretatio, & phraſi Hebraicę maxime conſona, quã Caldæus quoque paraphraſtes habet: Vt ille qui facit iuſtitiam, cuſtos eſt uitæ, ſic qui facit improbitatem, cuſtos mortis. *Sectatio malorum mortem:*) Hebræũ, Qui ſequitur malum. Non ſimpliciter מרדף, ſequitur uel inſequitur ſignificat, ſed cum emphaſi, eum uidelicet qui ex animo, & magno ſtudio inſequitur malum, uel qui inſequitur malum, ut aliis inferat malum: quaſi dicat, aliis malũ inferre conatur, ſed interim ad ſuam mortem peruenit. Breuiter prouerbium ſignificat
B tantam eſſe differentiam inter iuſtum & iniquum, quanta eſt inter uitam & mortẽ. Porrò uirtutem eſſe immortalem, iniquitatem ad interitum feſtinare: denique non iuſtum, qui frequenter patitur, ſed impium qui infert malum, malum recipere.

„ ABOMINABILE domino cor prauum, & uoluntas eius in his qui ſim
„ pliciter ambulant. *Heb.* Abominatio domini peruerſi corde, & uoluntas
„ eius qui ſunt perfecti in uia.

Cum bonitas Dei & æquitas ubique in omnibus rebus luceat, eſt tamen in ſe infinitæ
C perfectionis, & rectitudinis: & proinde cũ omnis obliquitas & peruerſitas ſit à Deo aliena, tum maxime illa, quæ eſt cordis humani: eſt enim humanus animus ad imaginem Dei creatus, quam imaginem per pietatem & puram religionem in Deum, ſeruat formoſam: per peruerſas opiniones & diſtortas cogitationes de Deo, imaginem Dei commaculans, fit alienus à Deo: & abominatio tanto maior, quanto propinquior, & charior ratione creationis debeat eſſe. Quod odio proſequimur, cernere non poſſumus, ſed quã longiſsime procul à nobis eſſe cupimus. Tale quidpiam apud Deum ſunt hi qui peruerſo ſunt corde. *Sed qui ſimpliciter ambulant*) in Hebræo, qui integri & perfecti ſunt, non in corde ſolum, & in interiore homine, ſed etiam (ut Hebræi legunt) in uia & exteriore cõ-
D uerſatione, cum illis, & in illis eſt uoluntas eius. Et iam uerſiculus hic ſuperiorem exponit, & explicat iuſtitiæ mercedem quæ eſt ad uitam, & improbi pœnam, quæ eſt ad mortem: oſtendens cuiuſmodi ſit illa uita, nempe Dei fauor, uoluntas & appropinquatio: mors uero malorum hominum, eſt alienatio à Deo, illius odium & abominatio.

„ MANVS in manu non erit innocens malus, ſemen autem iuſtorum ſal-
„ uabitur. *Heb.* Manus ad manum non erit innocens malus, ſed ſemen iuſto-
„ rum eripietur, uel euadet.

E Varia eſt interpretatio & expoſitio huius uerſiculi: Caldæus ſupplet quædã, inquiens, Qui extẽdit, uel mittit manum contra ſocium ſuum, non eſt innocens à malo. Alius ſenſus, ubi manus filij ad manum patris additur ad malum, pœnam fere non euadit: uel ſimpliciter, ubi manus unius mali hominis, iungitur cum manu alterius, hoc eſt, ubi mutua præſtant auxilia in malo, non idcirco ſupplicium euadet malus, quia ſocios habet in opere malo: & huic ſenſui accedit uerſio Sep. χειρὶ χεῖρας ἐμβαλὼν, οὐκ ἀτιμώρητος ἔσται κακῶν. Tertius ſenſus erit, ſi יד, non pro manu, communi ſignificatione, ſed in alia ſignificatione capiatur, nempe pro ſtatim: quaſi dicat, non ſolum proueniunt malis pœnæ, quas
F recitauimus, ſed ſtatim uel repente punitur malus, id eſt ſolet puniri. Quartus denique ſenſus, ſi manus Dei, ad manum hominis accedat, hoc eſt, cum opera Dei, & quæ Deus iuſsit fieri, conferuntur cum operibus, quæ facit malus, erit reus, nec poterit ſupplicium euadere. Mihi maxime arridet, ut manus ad manum pro patre & filio, ſiue poſteris accipiatur, propter ea quæ ſequuntur, ſemen iuſtorũ eripietur à pœna. Oſtendit igitur uerſiculus, ad mercedem, ſiue merita iuſtorum, & ſupplicia malorum, plurimum momenti habere, maiorum & parentum uel pietatem uel impietatem. Quibuſdam placet, ut hic locus de conſpiratoribus loquatur, qui in malum ſolẽt dextras iungere, & fœdera inire: quaſi diceret, non futuros impunitos, etiam ſi omnes mali inter ſe conſpirauerint. Sunt

qui manum ad manum, pro ſomnolentia & pigritia accipiant: quæ ut multorum malorum eſt mater & nutrix, ita non erit impunita. Denique per manus ad manum intelligit Beda quietem ab externo opere, à quo quanuis ceſſauerit malus, tamen non erit innocens, cum male cogitet, & corde ſit peruerſo, quod dominus abominatur & punit. G

„ CIRCVLVS aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. *Heb.* In-
„ auris aurea in naribus ſuis, mulier pulchra & deficiens ſenſu.

Ex proprietate linguæ, litera כף ſimilitudinis frequẽter omittitur, quam ſeptua. ſuppleuerunt ad hunc modum: ὥσπερ ἐνώτιον χρυσοῦν ἐν ῥινὶ ὑὸς, οὕτως γυναικὶ κακόφρονι κάλλος, Vt inauris aurea in naribus ſuis, ſic mulieri imprudenti pulchritudo. Ne quis ad ſolos uiros ſpectare ſapientiam putet, ſubinde de mulieribus mentionem facit ſapiens. Quod particulariter dicitur, in genere intelligitur: nam per pulchritudinem mulieris, quaſcunque corporis dotes, aut naturales animi uirtutes, intelligimus: quæ ſine ſapientia non ſunt ornamenta, neque homini decora. Hic enim ſcopus eſt ſapientis in hoc libello, ut oſtendat eſſe opus ſapientia in omnibus rebus. Et quo quis eſt à ſapientia magis alienus, eo minus proſunt dotes naturales. Muliebre ingenium eſt præ cęteris formæ ſtudioſum, & pulchritudinis nomine ſolet ſuperbire, quæ ut ſapientes & caſtas matronas uehementer commendat, ita in ſtulta & uecordi muliere, quæ ad faſtum, ad pompam, ad libidinẽ I ſua pulchritudine abutitur, nihil eſt minus decens. Nam circulus aureus, uel inauris aurea in naribus ſuis, ſuem non ornat, ſed ipſa luto & ſordibus aurum contaminat, rem per ſe pulcherrimam: ſic mulier ſtulta, ineptiis, ſuperbia, ac impudicitia, pulchritudinẽ, rem in muliebri corpore maxime decoram, contaminat & fœdam reddit. Elegans admodum ſimilitudo, qua mulier impudica ſuibus confertur. Sunt qui aliter exponũt: nẽpe, quemadmodum ſus ſterquilinio fodiens, annulum aureum, aut gemmam inuẽtam negligit, ſpurcitie ipſa magis delectata: ſic fatua mulier & ſtulta, cum formam corporis & oris pulchritudinem à Deo acceperit, qua gratiam & honorem poſsit aſſequi, ſordibus uitiorum & libidinis indulgens, donum pulcherrimum ſpernit, neque authorem tanti beneficij agnoſcit. Senſus à priori non eſt multum diuerſus. Si per mulierem pulchram ſed ſtultam, intelligamus animam ſemel à peccatis lotam, & annulo aureo, filio
1. *Pet.* 5. Dei per fidem deſponſatam, rurſum tamen ueluti ſuem ad uolutabrum carnis reuerſam, conculcata Dei charitate, quę per annulum aureum recte intelligitur, ut puta cuius ardor fine caret, ſublimior erit ſenſus. K

„ DESIDERIVM iuſtorum omne bonum eſt, præſtolatio impiorum fu-
„ ror. *Heb.* Deſiderium iuſtorum etiam bonũ, ſpes improborum indignatio. L

Pro particula אך etiam, uel tãtum, ſeptuaginta interpr. legerunt כל omne. Sic uertentes, ἐπιθυμία δικαίων πᾶσα ἀγαθή, ἐλπὶς δὲ ἀσεβῶν ἀπολεῖται Deſideriũ iuſtorũ omne bonum, ſpes uero impiorũ perit, quos noſter interpres ſecutus eſt. Caldæus uidetur legiſſe, אל id eſt ad, ל lamed uidelicet, in loco ך caph finalis, inter quas literas eſt ſimilitudo, ſi alterutram inuertas: uertit enim ſic Caldæus, רגחא רצדיקי בטבתא, Deſideriũ iuſtorum in bonum, uel ad bonum, quod ad ſenſum ſpectat, iuxta Hebr. cum multa ſuperius dicta ſint de iuſtitia & iniquitate, quæ in opere externo perpenditur, addit clauſulam, quæ ad affectum animi refertur, inquiens: Bonitas iuſtorum, non ſolum in his quæ diximus conſiſtit, nempe beneficentia & miſericordia in alios, ſed etiam in animi deſiderio M & affectu, ubi uires non ſufficiunt. Aben Hezra exponit אך fere deſiderium iuſtorum eſt ad bonum. Illã particulam, ad, omnes ſubaudiunt. quaſi dicat, Iuſti malis deſideriis non multum moleſtantur, ſed fere ſemper, uel tantummodo, bonum omnibus optant, omnibus autem præſtare ſolius Dei eſt, humanas uires ſuperat, niſi quis dixerit uotis & precibus: ſed in hoc iuſti quodãmodo bonitatem Dei imitantur, dum optant id quod Deus præſtat. Improborum longe diuerſum eſt ſtudium & deſiderium, qui optãt & deſiderant facere plura mala, quàm faciunt. Nam nihil aliud expectant, niſi ſibi dari occaſionem tranſgrediendi, & uel Deum opt. max. uel homines, ad iracundiam & indignationem

A tionem prouocandi. Maximopere idcirco fugienda eſt improbitas, quæ nullum modũ, neque finẽ iræ & indignationis facit. Aliter, ſunt qui non ad opera, ſed ad præmiũ iuſtorum, & pœnas improborum ſenſum referant, ut per deſiderium iuſtorum, ſpes intelligatur: & erit ſenſus, Iuſti ut nihil aliud quàm bene & ſtudioſe uiuere deſiderãt, ita bonum præmium merito ſperant ſeſe recepturos: uerum improbi qui theſaurizant ſibi iram in die iræ, non poſſunt aliud ſperare, neque expectare, quàm Dei furorem dicentis: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt, &c. Breuiter indicat tam uirtutes quàm uitia ex animi affectu potiſsimum perpendenda. Cap. 11. *Roma. 2.* *Matt. 25.*

B ALII diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij rapiunt non ſua, & ſemper in
» egeſtate ſunt. *Heb.* Eſt qui diſpergit & augetur adhuc, & eſt qui cohibet ſe
» à rectitudine, etiam ad defectum.

Ad laudem beneficentiæ locus ſpectat, & ad excitandum bonos, ut quod animo concipiunt & deſiderant, opere compleant: oſtendens liberalitatem nonnunquam in hac uita remunerari, & maximum eſſe compendium ad augendas diuitias, copioſe in pauperes effundere diuitias: multos præterea ad indigentiam redigi, quòd ſordide & illiberaliter
C à recto diuitiarum uſu, ſeſe cohibeant. Salomon hoc loco alluſit ad illum locum Pſalmi, Diſperſit, dedit pauperibus: & Paulus latius aperiens metaphoram, ſpargere per ſeminare interpretatur, inquiens, Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti: fortaſsis ſeptuaginta ſecutus, qui ſic uerterunt locum, *εἰσὶν οἱ τὰ ἴδια σπείροντες οἱ πλείονα ποιῆσαι, καὶ οἱ σωάγοντες τὰ ἀλλότρια, οἱ ἐλαττοῦνται*, ſunt qui ſua ſeminantes, plura faciunt: ſunt autem & congregantes aliena, qui diminuuntur. Atqui hac ſimilitudine diuus Paulus expreſsit eleganter copioſum fructum, qui ſolet prouenire ex copioſa eleemoſynæ ſemente: unde in hoc uerſiculo intelligimus, opes augeri his, qui ſpargunt. *Eſt qui ſpargit & additur ei quod ſpargit, & eſt qui cohibet ſeipſum à recto.*) ſic eſt in Hebræo. quaſi dicat, Rectum & æquum eſt, ut ij qui habent diſtribuant, nam hac de cauſa acceperunt, & domi-
D ni diſpenſatores conſtituuntur: quod ſi manum cohibeant, opibus parcere uolentes, non ſolum non diteſcunt, ſed ad defectum nonnunquam deueniunt, uel digni ſunt qui deueniãt. iuxta Septuaginta, à recto cohibere ſe, eſt aliena rapere. prior expoſitio eſt melior. *2. Cor. 9.*

» ANIMA quæ benedicit impinguabitur, & quæ inebriat ipſa quoque ine-
» briabitur. *Hebr.* Anima benedictionis, uel anima quæ benedictionem fa-
» cit, impinguabitur, & quæ ſatiat ipſa etiam ſatiabitur.

E Conſentit cum ſuperiore uerſiculo, & idem eſt ſenſus utriuſque, ut Hebræi interpretãtur. Accipitur anima pro homine, qui benedicit, hoc eſt benefacit: benedictionem & copiam, quam accepit à Deo, pauperibus diſtribuens, impinguabitur: hoc eſt, incrementum bonorum accipiet. Mihi magis arridet, ut intelligamus quod dictum eſt in ſuperiore uerſiculo de copia rerum: quod autem hic dicitur, de ſaginatione animæ, ut ſimpliciter intelligatur de gratia & donis ſpiritualibus, quæ cælitus deſcendentia ad modum pluuiæ, animam miſericordem irrigant, & uelut pingue ſolum efficiunt, quo ſubinde nouos beneficentiæ fructus producat. Et huic ſenſui quadrat diui Pauli explicatio, in
F loco prius citato, Et augebit incrementa frugum iuſtitiæ ueſtræ: quæ potior eſt retributio benedictionis in pauperes, & quam potius expectare debemus, quàm incrementũ diuitiarum. Poteſt æque ad doctrinę diſtributionem applicari: ut anima pro homine intelligatur, qui animæ, non corporis aut externa bona, diſpenſando benefacit: ſed cæleſtem doctrinam & animæ pabulum, cum benedictione largitur, & ſpargit more ſeminantis. illa anima impinguabitur, ueluti adipe & pinguedine: & huic ſenſui magis quadrat ſecunda pars uerſiculi, *Qui inebriat ipſe inebriabitur,*) quæ apud Hebræos eſt ambigua. Nam qui periti ſunt linguæ putant non poſſe ſic uerti, Qui irrigat irrigabitur ipſe; cũ ſint duæ radices מרוה, rigans: & יורה, quæ uox pluuiã ſignificat: uolũt tamẽ aliqui ex Rabbinis, in dictione יורה eſſe *μετάθεσιν*, quæ frequẽs eſt in ſcripturis, ut ſit יורה pro ירוה. Caldęus *2. Cor. 9.*

paraphraſtes utranque dictionẽ in eodem ſenſu accipit, nempe pro doctrina מלוך אף G
הוא יליך qui docet, etiam ipſe doctrinam capiet uel docebitur. Dauid Chimhi ſic locum exponit, qui irrigat alios beneficiis, ipſe uocabitur pluuia illa tẽpeſtiua. Quòd ſi libeat ſenſum uerborũ quæ in Hebræo ſunt audire, ſic accipe, Qui irrigat, uel ſatiat eleemoſynis, iuxta Hebræos, uel doctrina, iuxta Caldæum, docebit alios, ut idem faciant. Atqui ita non ſolum ipſe pium opus facit, ſed author eſt & doctor, ut alij illius exemplo prouocati idem faciant, hæc expoſitio eſt optima, & ueritati Hebraicæ maxime conſona.

» QVI abſcondit frumentum, maledicetur in populis, benedictio autem ſu-
» per caput uendentium. *Hebræum*, Ei qui prohibet fumentum maledicet po- H
» pulus, ſed benedictio ſuper caput uendentis.

Magna eſt laus & præmium eorum, qui ſua copioſe ſpargunt & diſtribuunt, à qua ſunt aliqui uſqueadeò alieni, ut ne uendere quidem uelint annonam iuſto pretio aut tempore opportuno: ſed ex multorum damno, commodum ſuum quęrunt, iſti multum ſunt diuerſi ab his de quibus locuti ſumus: illi enim propria gratis largiuntur: iſti malunt populum laborare fame, frumentum, quod uſibus hominum dedit Deus, corrumpi potius quàm cum populi commodo frumentum uendere. Non ſine cauſa igitur à populo male audiunt huiuſmodi homines, male imprecantur pauperes, quorum querelas iuſtas I
Deus frequenter audit: contra qui curant uendere frumenta tempore opportuno, antequam fame opprimantur pauperes, magnam gratiam ineunt apud populum, & benedictionẽ Dei merentur, ut quorum induſtria & prouidentia reipu. conſulitur. Non enim in ſuum lucrum, ſed in populi utilitatem recondunt annonam, quam depromant ubi id reipu. neceſsitas exigat. De doctrina & cibo animorum intelligi poteſt, iuxta myſticum ſenſum, qui abſcondit talentum, neque paſcit gregem ſibi commiſſum, maledictus eſt. Sub frumenti nomine, res omnes uictui & uſibus hominum neceſſarias intelligimus: & K
oſtendit prouerbium non ſolum in diſtributione bonorum, ſed etiam in legitima uenditione tempore opportuno miſericordiæ opera fieri, quę ſua mercede non carent.

» BENE conſurgit diluculo, qui quærit bona: qui autem inueſtigator malo-
» rum eſt, opprimetur ab eis. *Hebræum*, Qui quærit bonum, quærit beneuolen
» tiam, ſed quærenti malum ueniet ei.

Ambigua eſt prima dictio huius uerſiculi apud Hebræos שוחר. nam, uel mane ſurgere ſignificat, quam ſignificationem ſequitur Caldæus interpres, & diuus Hieron. uel inueſtigare, & hanc ſignificationem ſecuti ſunt Hebræi omnes, quos ego uidi. Septuaginta
τεκταινόμενος ἀγαθὰ fabricans bona ſiue comminiſcẽs. Quod ad ſenſum ſcripturę ſpectat, L
haud ita multum refert: nam mane ſurgere, induſtriam & diligentiam ſignificat. ex prę-cedentibus inferre uidetur ſapiens hanc clauſulam. Nam poſtquam de beneficentiæ ſtudio multa diſſeruit, tandem concludit à domino, qui author eſt omnium bonorum, eſſe mercedem expectandam, non ab hominibus. Nam *qui quærit bonum*,) in Hebræo, *qui quærit beneuolentiam*,) ſiue uolũtatem domini, ſic intelligunt omnes. quaſi dicat ſapiens, Quiſquis es, qui in beneficiis & miſericordiæ operibus es impiger & ſolicitus, uſqueadeò ut hoc animo mane ſurgas, & ſomnum excutias, ut omni induſtria quæras bonum M
aliorum, eadem opera uoluntatem Dei quæras, à quo recipies cum fœnore laborũ mercedem. Sunt præterea homines uſqueadeò nequam, ut non ſolum obiter & ex occaſione oblata male faciant, damnum inferant uicinis: ſed magno ſtudio, & ueluti lucratione quadam, (hoc enim ſignificat uox Hebr. דורש) malum machinantur, & excogitant. Sed cum hoc ſit contra Dei legem, & illius uoluntatem quod faciunt, ſeipſos maxime lędunt: Nam malum quod aliis inferre ſtudent, recidit in eorum capita, ſicut inquit Da-
Pſal. 7. uid, In uerticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

» QVI confidit in diuitiis ſuis corruet, iuſtus autem quaſi uirens folium ger-
» minabit. *Heb.* quaſi folium iuſti germinabunt.

Indicat

A Indicat uerſiculus mala prouenire & excogitari potiſsimum propter diuitias,& diuites maxime audere alios iniuria afficere, quòd fere elati ſint, & præ ſe alios contemnant, quibus Paulus iubet non ſublime ſapere,neque ſperare in incerto diuitiarum: nam quò altius per ſuperbiam mente aſcendunt,eo maior erit eorum lapſus. Iuſti tanquam foliũ germinabunt.Diuitiæ ſunt diſpenſandæ per opera iuſtitiæ & miſericordiæ, quæ ſemper uireſcit,ad modum foliorum in arboribus: tantiſper enim folium uiret, dum fructus in arbore matureſcit:ubi nullus eſt fructus,folia ſtatim defluunt. quaſi dicat,In opibus uel male partis aut ſeruatis, nullam ſpem habere poſſumus, ſed in diuitiis per Dei gratiam B in pauperes diſtributis,repoſita eſt merces: illæ ſemper uirent, & ſuo tempore fructum dabunt.Quod dicit,tãquam folium,uel intelligitur tanquam arbores,quæ ſemper foliis uireſcunt,uel tanquam folium in arboribus in quibus fructus pendet: uel denique tanquam folium,quod fructus præcedens, ad fructus muniendos à natura datur. In hominibus iuſtis diuitiæ ſunt tanquam folia, quibus opera miſericordiæ ſemper uirent: & hoc eſt quod ſcripſit Dauid, Et folium eius non defluet, ſed omnia quæ faciet proſperabuntur. Cap. 11. 1.*Timo.*6. *Pſalm.*1.

„ QVI perturbat domum ſuam poſsidebit uentum, & qui ſtultus eſt ſeruiet C ſapienti.

Vt de diuitiis & magnis poſſeſsionibus non debemus ſuperbire, neque ſpem collocare in illis,ita prudentiam quandam & modeſtiam ſeruare debent hi, qui familiam habent, nam abſque neceſſariis rebus gubernari non poteſt: & proinde qui perturbat aut confundit rem domeſticam, dum nullam illius curam gerit,diſsipator omnium & decoctor accipiet,tanquam hæreditario iure,uentũ & uanitatem: uel potius hæredibus relinquet uanitatem,familiam ad inopiam tandem redigens,ut ſeruire cogantur. Poteſt enim ſeruus ad ipſum referri qui domum euertit, uel ad hæredem,quem ad ſeruitutem ſua ſtultitia perduxit:uel denique ſeruus uiri ſtulti,qui domum ſuam peruertit, dominum mutabit, & ſapienti ſeruiet.Breuiter ſenſus uerſiculi eſt, ex ſuperiori pẽdens: Vt magna imD probitas eſt nimium amare diuitias,in ipſis ſpem collocare, ita mera ſtultitia eſt rem domeſticam diſsipare,hæredes fraudare.

„ FRVCTVS iuſti lignum uitæ,& qui ſuſcipit animas ſapiens eſt.Si iuſtus „ in terra recipit, quanto magis impius & peccator?

Caldæus paraphraſtes exponit fructus iuſti, qui iuſto datur,eſt arbor uitæ,non quam capiũt alij à iuſto, cui Septuaginta uidẽtur ſubſcribere, ἐκ καρπῶν δικαιοσύνης φύε. ἀε δένδρον ζωῆς, ex fructu iuſtitiæ naſcitur arbor uitæ. Cõtextus Hebræus utramuis expoſitionẽ admittit,& alludere uidetur ad illud,Gene. 3. De ligno uitæ, à quo iniuſtus & tranſgreſſor primus homo guſtare non meruit: cuius fructus eſt innocentiæ præmium & iuſtitiæ. Quod ſi fructum iuſti intelligimus,quem à iuſto colligere licet, ſimilitudinis particula ſubaudienda eſt: ex iuſto enim fructum carpere licet, tanquam ex arbore uitæ, & huic ſenſui quadrat quod ſequitur,Qui ſuſcipit animas,uel qui docet animas, ſapiẽs eſt.quaſi dicat, Nõ ſolum ex uita & conuerſatione iuſti, colliguntur fructus uitę,quibus ad uitam nutriuntur homines, ſed etiam iuſtus eruditus & doctus, qui animas ignorantes docet, ſapiens eſt:uel iuxta aliam interpretationem,qui accipit animas ſiue lucratur animas: efF ficax eſt enim ſapientis uiri ſermo, & facile erudita cõcione multorum animas lucratur. Iſta iuſtitia & ſapientia in Chriſto potiſsimum intelligitur uita noſtra, per quam fructũ uitæ capiunt qui illius iuſtitiæ participes eſſe merentur.Et hic eſt iuſtus, qui & ſapiens ſiue eruditus,multorum animas docuit,ſiue cepit, iuxta diuerſos interpretes.In utroque ſenſu reperitur uerbum Hebræum לקח:accipit(inquiunt Hebræi)iuſtus animas, à conſuetudine & uia huius mundi, & tranſfert ad uitam cæleſtem, ut iuxta Paulum, Non ſint conformes huic ſeculo. Sunt denique qui pro capiet, poſsidere intelligunt:quaſi dicat,ſapiens poſsidet animas, hoc eſt ſeruos & ancillas habet. Sed hæc poſſeſsio non eſt fructus eius, ſed fructus eius eſt lignum uitæ, mors & crux Chriſti. hic ſenſus non eſt *Roma.*12.

alienus à loco, eo quod quodammodo pendet ex priori uerſiculo, uidelicet: ſtultus erit G
ſeruus ſapienti. Sequitur: *Si iuſtus in terra recipit:*) uel, certe iuſto in terra reddetur. Huius
uerſiculi uaria eſt interpretatio, propter ambiguitatem huius uerbi שלם, quod tria ſi-
gnificat, retribuere, perficere, & pacificare uel pacẽ habere. Sũt ex Hebræis qui ſequun-
tur ultimam ſignificationem: nempe, Iuſtus pacem habebit in terra cum omnibus, præ-
terquam cum iniquis & peccatoribus. Caldęus paraphraſtes ſic, Certe iuſtus in terris uim
patitur, ſed improbi & peccatores delebũtur de terra. Hunc ſenſum ſecuti ſunt Septuag.
1. *Petr.* 4. & Petrus apoſtolus, quorum hæc eſt interpretatio, εἰ ὁ μὲν δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς
καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται; Si quidem iuſtus uix ſaluabitur, impius & peccator ubi ap- H
parebit? quaſi dicat, nuſquam. Quod Caldæus ait, de terra delebuntur, uulgatiſsima ex-
poſitio loci, tum Hebræorũ tum noſtrorũ, nõ multum abhorret ab hoc ſenſu, nempe, Si
quidem iuſtus, ſi quid peccauerit in hac uita, recipit, & caſtigatur: etiam, uel tanto ma-
gis, impij & peccatores ſuppliciis afficientur, ſi non in hac uita, certe in alia. Aliter, Si uiri
probi & iuſti, qui non delinquũt, nec legem tranſgrediuntur, recipiunt multas huius ui-
tæ miſerias, afflictiones & pœnas, quanto æquius eſt etiam improbos & peccatores pu-
niri & caſtigari, uel in hac uita, ut reſipiſcant, uel ſi nolint, ad meliorem uenire mentem,
æternis deputari ſuppliciis?

I

CAPVT DVODECIMVM.

QVI diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: qui autem odit in-
crepationem, inſipiens eſt.

Quanuis hæc doctrina uideatur ad iuuentutem peculiariter referen-
da, tamen ad omnem ætatem accommodari poteſt: ut enim iuuenes
qui pręceptorum diſciplinam non ferunt, neq; manum ferulę ſubdunt, K
literas non amant (uſqueadeò inſolens, & à labore ad otium procliuis
eſt pueritia, ut niſi caſtigata ad nullam frugem fere peruenit) haud aliter res ſe habet in
ſcripturarum ſcientia, & rerum diuinarum cognitione: ab integritate morum (quem-
admodum ſuperius diximus) incipiẽdum eſt. Nam niſi uitam mutaueris, & increpatio-
nibus aures præbeas, non poteris diuina intelligere myſteria. Solus ille qui uitam corri-
git, amat ſcientiam, eruditus in ſacris literis euadit: qui uero incorrigibilis eſt, inſipiens
& indoctus habetur, in ſchola ſapientiæ, etiam ſi magno faſtu ſcientiam iactet.

» QVI bonus eſt, hauriet gratiam à domino, qui autem confidit in cogita-
» tionibus ſuis, impie aget. *Heb.* Bonus educet uoluntatem à domino, & ui- L
» rum cogitationum malarum condemnabit.

Audiuimus diſcrimen inter uirum doctum & inſipientem: hac clauſula oſtendit latiſ-
ſimum diſcrimen inter bonum & malum. Obſerua lector, quod placitum eſt, ſiue uolun
tatem, poſſe referri ad bonum, uel ad dominum. ut ſit ſenſus, Qui bonus & clemens eſt,
educet ſuam uoluntatem à domino, hoc eſt, impetrabit iuxta ſuam uoluntatem: quem-
admodum ille bonus eſt, & aliorum ſe accommodat uoluntatibus, ita quod uult à do-
mino accipiet, ut de bono beatus fiat, iuxta finitionem illam, Beatus eſt, qui habet quic- M
quid uult, & nihil male uult. Vel uoluntas ad dominum refertur, quod magis arridet: &
erit ſenſus, Bonus eſt ſimpliciter ille, qui opere profert id quod domino placet, quod
eius uoluntati congruit. Igitur ſi quærimus quis ſit bonus, uel qua ratione quis bonus
euadat, facilis eſt reſponſio, Ille nimirum qui Deo placet, omnis bonitatis fonti, & ex ſe
Luc. 18. bono. Nemo bonus niſi ſolus Deus, per cuius uoluntatem & benignitatem, bonitatis
participes efficimur. Contrà, *Qui confidit in cogitationibus ſuis, impie agit.*) Abſolute malus
eſt uir ille, quem ob iniquitates uel iniquas cogitationes Deus iniquum iudicabit, qua-
ſi dicat, Poſſumus oculos hominum & iudicium fallere, bonitatem oſtentare: nam ab
hominibus innocens quandoque iniquus iudicatur, & improbus abſoluitur: ſed abſo-

lute malus

A lute malus & iniquus eſt, quem Deus condemnauerit. quaſi dicat, Ille iudex placandus Cap. 12.
eſt, quod illi placet quærendum eſt, non in operibus ſolum, ſed in cogitationibus.

„ NON roborabitur homo ex impietate, & radix iuſtorũ non cõmouebitur.
„ *Heb.* Non dirigetur homo in improbitate, & radix iuſtorum non mutabit.

Dictum eſt, Vir cogitationũ malarũ à domino habebitur pro improbo, hoc eſt condẽnabitur & ſuppliciis afficietur, neq; ſtabilietur in improbitate ſua. q.d. ſunt improbi uſqueadeò potẽtes aliquando & fortes, ut legibus non poſsint coërceri, neq; iudicem in terris
B agnoſcant, tamen diu perſeuerare non poſſunt, nullis cogitationibus aut iniquis conſiliis, quibus conantur ſeſe & poſteritatem ſuã in improbitate ſtabilire. Nam diuina prouidentia cautum eſt, ne diutius duret is qui pauperes opprimit, aut à ueritate conatur homines auertere: dies enim illorum propter electos breuiabuntur. Secunda particula duplicem habet expoſitionem, uel quòd radix iuſtorum, hoc eſt poſteritas, non mutabit neque deficiet, uel quòd iuſti tanquam radix non mutabunt, ob ullas afflictiones improborum, aut falſam doctrinam eorum qui male cogitant. prior expoſitio eſt melior. Videtur præterea metaphora radicis indicare illa duo uerba (roborabitur, & non commouebitur) debere referri ad poſteritatem impiorum, & iuſtorum.

C MVLIER diligens corona eſt uiro ſuo, & putredo in oſsibus eius, quæ
„ confuſione res dignas gerit. *Heb.* Mulier fortis corona mariti ſui, ſed tan-
„ quam putredo in oſsibus eius, mulier confundens.

Quia dixit, Radix iuſtorũ nõ mouebitur, hoc eſt poſteritas, ut expoſuimus, opportune uxoris facit mẽtionem, per quam uir iuſtus liberos bene inſtructos relinquit. Poſſumus interpretari, mulier fortis, uel locuples: intelligitur ſtudioſa & ſedula, quæ familiã egregie tuetur ac moderatur, quæ adulteros & omnem infamiam longe arcet ab ædibus:
D quæ rem domeſticam auget: denique quæ liberos liberaliter educat, per quos ſaluabitur, ut inquit Paulus, ſi permanſerint in fide. Talis mulier eſt ueluti corona marito: hoc 1. *Tim.* 2.
eſt, ſummo honore, & lætitia uirum afficit: Contrà mulier quæ confuſionem affert marito, dum prædictis uirtutibus contraria uitia ſectatur, eſt tanquam putredo in oſsibus illius. Cui malo aut nullum, aut cum ſumma difficultate remediũ adhibetur, uel quòd ſummo cruciatu & cõtinuo laborat uir illius, tanquam morbo non qui carnem aut ſanguinem exedat, ſed ipſa oſſa corrodat ut tinea lignum. Neſcio an ulla metaphora domeſticum malum, quod patitur maritus ab importuna & impudẽte muliere, poterit aptius exprimere. Si per mulierem fortem, eccleſiã quæ uſq; ad mortem reſiſtit uiolatoribus &
E corruptoribus religionis intelligamus, quæ ſit corona ſpõſi Chriſti, ſenſus erit myſticus.

„ COGITATIONES iuſtorum iudicia, & cõſilia impiorum fraudulẽta.

Latiſsimum diſcrimen inter iuſtum & iniquum: quorum ille ſtudium impẽdit & ſolicitus eſt, non de priuato ſuo commodo, ſed de alienis: ne quis iniuriam patiatur, ut unuſquiſque quod ſuum eſt poſsideat, ut trãquillam uitam degant homines, ſine fraude, ſine lite, cum pace & amicitia. ô fœlix conſcientia quę huiuſmodi cogitationibus uacat. Cõtrà, improbi tantum abeſt ut cuiquam prodeſſe uelint, ut illuc omnia conſilia conferant,
F ſtudium & induſtriam referant, quò per dolos circũueniant, quos uiolẽtia & uiribus ſuperare non poſſunt. Sunt qui ſenſum magis cõtrahunt, ut oſtendat uerſiculus quid iuſtus cogitet de improbis, & contrà quid improbi de iuſtis. quaſi dicat, Totum ſtudiũ & cogitationes iuſtorũ, circa improbos nõ aliò ſpectãt, niſi ut ad iudiciũ & æquitatem reuocentur, & ut deſinãt eſſe iniqui, ob quam piam mentem illi malã gratiam referũt, cogitãtes per fraudem iuſtos opprimere, quando iuſte non poſsint, ut liberius inique agant ſublatis uidelicet iuſtis, qui iudicium quærunt inter uirum & uirum. Quam fraudulenta fuerint olim Iudæorum cõſilia contra Chriſtum & apoſtolos, infideliũ quoq; & tyrannorũ cõtra Chriſtianos iuſtificatos in Chriſto, ſi quis ignorat, ex hiſtoriis licet intelligere: quãtas uero fraudes & dolos cõſiliis ſuis machinãtur hæretici contra eccleſiam Chriſti, quæ

iuſtorum congregatio eſt, heu quotidiana & nimis certa diſcimus experientia. G

" VERBA iniquorum inſidiantur ſanguini, ſed os rectorum eripiet eos.

Neque fraude ſolum & dolo, conſilium ineunt improbi aduerſus iuſtos & probos, ſed capto conſilio de ſuſtollendis illis uerba conferunt, aut ſeſe mutuo cohortantur, ut ponant inſidias & interficiant illos. Aut falſa teſtimonia intelligimus per uerba, aut abſolute intelligimus uerba pro rebus: quaſi dicat, Inſidiari ſanguini (ſic habet contextus Hebræus) ſunt res peſsimorum. Aliter, iniquitate & iniuſtitia multa in bona fortunæ committuntur, ſed qui contra ſanguinem inſidias machinantur, ſunt impij. Per uerba impio- H
rum, uel iuxta uerba impiorum faciunt: prior expoſitio magis placet, quia cum ſequentibus magis conſentit, nēpe, *Os rectorum eripiet eos,*) iuſtos ſupple, quorum ſanguini inſidiantur improbi: uel, os rectorum eripiet ſeipſos, dum ſeſe coram iudice tuētur, & innocentes oſtendunt contra improborum inſidias: nam melior erit cauſa rectorum, quàm iniquorum coram probo & iuſto iudice. Quòd ſi non ſe poſſunt tueri recti, neque à fraude aut inſidiis malorum liberare proprio ore, at coram æquo iudice ſemper cauſa cadūt improbi. Vnde ſequitur·

" VERTE impios & non erunt: domus autem iuſtorum permanebit. I

Iuxta phraſim Hebraicæ linguæ neceſſario ſubintelligitur aliquid ad integritatem ſenſus: nam in Hebræo legitur uertere, & aut ſubintelligitur, Deus uult uertere improbos ab hac uita, uel uertere eos ne amplius inſidientur ſanguini, & non erunt amplius, aliqui ſup. qui inſidientur ſanguini. Aut infinitiuus modus pro imperatiuo ponitur, quod frequens eſt in ſcripturis. quaſi dicat, ô Deus uerte improbos, ut non ſint: uel denique, tu quiſquis es, qui ægrefers hanc improborum importunitatem, uerte faciem tuam & abſ-
Pſal. 37. conde oculos. Nam ſtatim non erunt impij, iuxta illud Dauidis, Tranſiui, & ecce non erat. Septuaginta quoq; clauſulam hanc abſolute intelligunt οὐ ἐὰν γραφῇ ὁ ἀσεβὴς, ἀφανίζεται, ubicūque uertatur impius deletur, de medio tollitur. quaſi dicat, leuiſsime & mi- K
nimo negotio peribit, ut expoſuimus. *Sed domus iuſtorum:*) hoc eſt familia, & poſteri remanebunt: quaſi dicat, Habet iuſtitia ſuum præmium non ſolum in futuro, ſed in hac uita quoque, dum in longam ſeriem propagatur illius familia. Erit alius ſenſus ſubaudiendo, ſi uelis, uel coneris, conuertere improbos ab improbitate ſua, non erunt conuerſi, uel non permanebunt, ſed ſtatim redeunt ad priſtina mala, ſed iuſti ſunt ſtabiles & permanent in iuſtitia. quaſi dicat, Ex fine & perſeuerētia perpendimus bonos & malos, non ex conuerſione inſtabili. Senſus iſte non eſt alienus à loco, neque mihi diſplicet.

" DOCTRINA ſua noſcitur uir: qui autem uanus & excors eſt, patebit cō L
" temptui. Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quàm glorioſus & indigens pa-
" ne. *Hebræum,* Propter intellectum ſuum laudabitur uir, ſed obliquus (uel
" peruerſus) corde, erit ignominioſus. Melior eſt cōtemptus qui famulum ha-
" bet, quàm iactans ſe cum inopia panis.

Cohęrent hi duo uerſiculi indicantes ueram & ſolidam laudem pendere ex dotibus animę, non in iactantia & oſtentatione boni quod nō habes. לפי שכלו exponitur, uel ob do- M
ctrinam (Heb. שכלו intellectum aut prudentiā) laude dignus habetur unuſquiſq;, uel ſecūdum intellectū ſuū, uel ſecundū menſurā intellectus, hoc eſt pro ratione uerborū uel operū, quibus ſuā quiſq; oſtendit intelligentiam, laudari ſolet, non quia dicit ſe eſſe prudentem, ſed iuxta menſuram intellectus ſui: & hunc ſenſum exprimunt Septuaginta, σόμα συνετῶ ἐγκωμιάζεται κατὰ ἀνδρός, os prudentis laudatur à uiro, non qui occultat prudētiam, ſed qui docta concione oſtendit ſe habere intellectum uerum cæleſtium, laudatur ab unoquoque uiro: contrà qui uanus & excors (ſic interpres ſecutus ſeptuag. uertentes κενοκαρδίος) Hebr. נעוה obliquus corde, qui uidelicet iactat ſapientiam quam non habet, qui falſam & peruerſam doctrinam in corde uerſans, non ſolum laudem amittit pru

dentiæ,

A dentiæ,ſed etiam contemptus erit,tanto magis,quanto uoluit intelligentiam oſtentare, quam non habuit. Cohibet ſapiens hac clauſula loquacitatem & temeritatem eorũ, qui docere uolunt antequam diſcant,neſcientes iuxta Paulum, neque quid loquantur,neq; de quibus affirment.quorum hodie, proh dolor,magnus eſt numerus. Sequẽs uerſiculus ſimili compẽdio,ſtultitiam eorum coarguit,qui re familiari neglecta, & honeſtis laboribus uacare recuſantes, nobilitate generis, & ſtemmatibus maiorum ſibi placentes, ad ſummam inopiam deueniunt. His longe ſapientiores ſunt,qui humiles apud ſemetipſos & contempti eſſe malunt,ſciẽtes ſe eſſe natos ad laborem,ſedulo domeſticis rebus B uacant,& ſummâ diligentia atque induſtria non ſolum inopiam fugiunt, ſed etiam ipſi ſeruos & ancillas poſsidere merentur, quibus imperent. & ſic Caldæus. טוב הוא זלילח ועברי אית ליה, Melior contemptus, & ſeruus eſt illi. Non igitur iactantia & otio, ſed humilitate & induſtria ad ſolidam laudem peruenire ſolent homines. Aliter, melior eſt pauper & ſufficiens ſibi. Hebr. melior eſt contemptus & ſeruus ſibi: conſentientibus Septuaginta, κρείσσων ἀνὴρ ἐν ἀτιμίᾳ λαλῶν ἑαυτῷ. Illa uerba (ſeruus ſibi) intelligimus, ut Septuag. uertunt, ad hunc modum, Melior eſt qui in oculis ſuis & ſua opinione uilis & humilis, ſibiipſi inſeruit, neque labores neceſſarios recuſat quãlibet abiectos:is inquam melior eſt,& maiore laude dignus, quàm qui dum magni ſeC ipſum facit, artes exercere aut agriculturam recuſans, ad ſummam inopiam redactus, quotidiano uictu deſtituitur. Breuiter,ſedula humilitas commendatur, otioſa iactantia damnatur.

1. Cap. 12.
1. Timo. 1.

» NOVIT iuſtus iumentorum ſuorum animas: uiſcera autem impiorum
» crudelia. *Heb.* Sed miſericordiæ impiorum crudeles.

Commendatur miſericordia & charitas, quam hominibus debent homines naturæ leD gibus. Et in hominibus probis & iuſtis tanta eſt,& tam late patet, ut modum neſciat:tãta plenitudine ſe diffundit, ut perſonarũ reſpectum non habeat,nullam uiciſsitudinem expectat,nec recuſat conferre beneficia, uel in eos qui quid ſit accipere beneficiũ ignorant. Sed ut pater cæleſtis ſuper bonos & malos ſolem oriri facit: Ita iuſti in homines, uel brutis animalibus magis ingratos, bona conferunt non rogati, ſed egentium neceſsitatem præueniunt: ut ſolent hi qui iumenta & bruta animalia gubernant,nimirum noſſe tempora quando opportunum fuerit præbere pabulum,aquatum ducere.quod in pabulo animæ tanto ſolicitius faciet iuſtus & pius paſtor,quanto hinc maius periculum emineat. *Viſcera impiorum crudelia:*)ut Septua. τὰ δὲ σπλάγχνα τῶν ἀσεβῶν ἀνελεήμονα, uiſceraE autem impiorum abſque miſericordia:ſiue,(ut eſt in Hebræo)Miſericordiæ impiorũ crudeles. Improbi quàm longiſsime ab hac clariſsima uirtute abſunt, neque ullam miſericordiam aut eleemoſynam præſtant egentibus, niſi ex rebus quas cum improbitate & crudelitate rapuerunt:ut crudelitas potius quàm miſericordia dici poſsit, uel ſimpliciter crudeles omnino ſunt improbi,& miſericordiam nullam oſtendũt. Aliter, improbi nullam miſericordiam aſſequuntur,quia nullam facere conſueuerunt, ut paſsiue accipiatur. Miſericordiæ quæ fient improbo,iuſtitia ſine miſericordia erit illi,qui non fecit miſericordiam,& iuxta hunc ſenſum oporteret ſupplere in priore clauſula, Iuſtus quiF promptus eſt ut faciat miſericordiam omnibus antequam petitum ueniant, ſupple miſericordiam conſequetur: improbi uero pro miſericordia crudele ſupplicium debẽt expectare. Poſſumus denique per iumenta,domeſticos,ſubditos, & gregem commiſſum intelligere:quos clementia & benignitate,non auſteritate neque uiolentia tractare monentur hi,qui præſunt in ſolicitudine. Anima iumenti ſui,eſt anima ſenſitiua, cuius neceſsitati ſuccurrendum eſt:improbi nimia licentia laxantes frena appetitui,& ſibi indulgendo,in ſemetipſos crudeles ſunt.

Matt. 5.
Iac. 2.
Rom. 12.

» QVI operatur terram ſuam ſatiabitur panibus, qui autem ſectatur otium
» ſtultiſsimus eſt. *Heb.* Sed qui inſequitur inania, deficit corde.

Inter omnes artes, quas uel animi cauſa uel neceſsitatis exercent homines, meritò agri- G
cultura primum locum obtinet, ut cuius beneficio non ſolum ſibi ipſi ſufficit homo, ſed
plurimam beneficentiam in egentes cõferre poteſt. Per panem, huius uitę neceſſaria in-
Matt. 6. telligimus, iuxta euangelicam orationem, Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie.
Qui uana inſequitur uel inania.) Septuaginta, οἱ δὲ διώκοντες μάταια: à quibus & ab Hebræo,
non tam ſenſu quàm uerbo diuerſum uertit Hieronymus, Qui ſequitur otium. Ad ho-
mines, uel ad ſtudia hominum referri poteſt, ut ſit ſenſus: Qui curioſas inſequitur artes,
uel earum magiſtros, quò maiori compendio, & minore ſudore, non ſolùm uictum ſibi
paret, ſed opes & delicias, otij & aliorum uitiorum fomites, ut panem ſibi acquirat, & H
uentrem impleat, corde & prudẽtia caret. Aliter, Qui ſequitur uacuos & otioſos, hoc eſt
eos, qui nullam honeſtam exercent artem (ſunt enim aliæ præter agriculturam honeſtiſ-
ſimæ) ſed otio cum uanis hominibus indulget, hic non ſolum pane ſubinde caret, & fru-
gali uictu, ſed etiam corde, & extremæ ſtultitiæ homo habendus eſt. Tropicῶs per ter-
ram, corpus humanum intelligimus, uel etiam hominem ipſum, quem ſcriptura terram
frequenter uocat, quam quiſquis ſtudio uirtutum colit, abſtinentiæ uomere proſcindit,
rigido cõtinentiæ ſarculo fodit, & tolerantiæ cylindro æquabilẽ reddit, ſcripturarũ pane
& cæleſtis ſapientiæ pabulo mira dulcedine ſaturabitur. Contrà qui uariis corporis ille- I
cebris indulget, ſtultis deſideriis ſtudium impendit, neque cæleſtis panis guſtum nouit:
imò neque ſui cordis & intellectus proprij uſum habet, non intelligens uidelicet ſe ra-
tione cordis & interioris hominis, bruta animalia longe excellere.

" DESIDERIVM impij monumentum eſt peſsimorum, radix autem iu-
" ſtorum proficiet. *Hebræum*, Deſiderauit improbus rete malorum, ſed radix
" iuſtorum dabit.

Superiore uerſiculo ſtultitiæ & uecordiæ notantur, qui nullis honeſtis artibus, ſed rebus
inanibus uacant: in hoc uerſiculo impietatis condẽnãtur, qui magno ſtudio, & multo la-
bore hominibus iuſtis exitium moliuntur. Malorum autem machinationes contra pro- K
bos, apta admodum metaphora uenationis exprimit. Nam ut miram uoluptatẽ capiũt,
qui auiculis inſidiantur, ubi prædam in rete concluſerint, ſic improbi & mali homines,
per fraudes & dolos gaudent innocentibus inſidiari. *Deſiderium impij monumentum peſsi-
morũ.*) Hebr. rete impiorum deſiderauit improbus. Sep. ſecutus eſt interpres, qui חמר no-
mẽ pro uerbo חמר legentes, uerterunt ἐπιθυμίαι ἀσεβῶν ἡρπάσθησαν. Apud quos q̃ nihil reſpon
deat uoci Hebr. מצוד rete, ſcribarũ errore commiſſum eſſe uidetur. Hunc ſenſum habet
uerſiculus, Improbus libenter malorum artes & ſtudia imitatur, & rete, quod in exi-
tiũ iuſtorum ſemper extendere ſolent mali, deſiderat, quò facilius, ſiue iniquis legibus L
ſiue clandeſtinis fraudibus, iuſtos penitus de medio tollat. Denique quicquid ſeu labo-
ris impendunt uenatores & aucupes, ſeu uoluptatis capiunt in cæde & ſanguine captæ
predę, ſimile aliquid ſub metaphora retis malorum, quo iniquus contra iuſtos utitur, in-
telligimus. Iam à principio quo Caïn fratrem interfecit, malorum perſecutionem ſuſti-
nuerunt iuſti, ſed deleri non poſſunt neque extirpari, cum altiſsime radices uirtutum
agant iuſti, quæ fructum dabunt in tempore ſuo: ut ſit ſenſus, Radix iuſtorum dabit. ſ. fru
ctum: uel, iuſtorum unuſquiſq; dabit radicem. quaſi dicat: A malis iuſti pati poſſunt, ſed
ſuperari & extingui non poſſunt, imò relinquent poſteros, uel carnis uel ſpiritus. M

" PROPTER peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iu-
" ſtus de anguſtia, uel ob præuaricationem labiorum laqueus (capiet) malum.

Verſio interpretis reprehendi non poteſt, nam uox Hebræa מוקש utrunque ſignificat la-
queum & ruinam, & uerbum aliquod ſupplere cogimur: Septuaginta ſic, διὰ ἁμαρτίαι χει-
λέων ἐμπίπτει εἰς παγίδας ἁμαρτωλός, ob peccatum labiorum incidit in laqueos peccator.
Lõge alius eſt euentus rerum, quàm improborũ conatus ſibi proponit: proponunt enim
impij iuſtorum exterminationem, ut in ſuperiori uerſiculo dictum eſt, ſed Dei miſeri-
cordia longe aliter uſu uenit, nempe ut mali illaqueentur ſuo reti, quod contra iuſtos
expandunt, & iuſto Dei iudicio incidunt in foueam quam fecerunt: nã falſa multa con-

tra

A tra iuſtos comminiſcuntur,& ueluti rete multis filis,ſic multis uerbis mẽdácia & calum- Cap. 11.
nias connectunt,quibus frequenter humano, ſemper autem diuino iudicio illaqueati
tenentur,æterno ſupplicio reſeruati. Cæterum effugiet iuſtus de anguſtia:iuſtorũ & pio-
rum hominum ſpes ſemper eſt integra,quicquid in hac uita patiantur,ſic enim legimus,
Multæ tribulationes iuſtorum, ſed ab omnibus his liberabit eos dominus:ſaltem exiens *Pſal.33.*
de hoc corpore ab omni anguſtia & tribulatione egreditur, ut pauper Lazarus fame &
ulceribus mortuus, in ſinum Abrahæ ſuſceptus eſt.

» DE fructu oris ſui unuſquiſque replebitur bonis, & iuxta opera manuum
B ſuarum retribuetur ei. *Heb.* Et retributio manuum hominis reuertetur ad
» eum. Aliter, pro fructu oris ſaturabitur unuſquiſque bono, & pro retributio-
» ne manuum reddet homini Deus.

Sic Aben Hezra. Septuag. ſupplent ἡ ψυχὴ ἀνδρὸς πλησθήσεται ἀγαθῶν. Plurimũ momenti ad uniuerſam uitam moderandam habere linguam frequenter dictum eſt: & ut in ſuperiore uerſiculo audiuimus, malos ob mala uerba uinculis cohibitos, & ad ſupplicia detentos: ita in hoc loco non ſolum operum, ſed etiam uerborum iuſtam retributionẽ eſſe expectandam. Dei bonitate longe alia conditio eſt humana, quàm inſenſibilium rerum:
C nam arbores quæ fructus ferunt, & fertiles agri qui ſegetibus onerantur, ex propriis fructibus nullam utilitatem capiunt, neque ſuis pomis ueſcũtur. Verum ſi quid fecerit homo, imò ſi dixerit aliquid egregium, maxima pars utilitatis ad eum redit. Neque ſolũ ex magnis laboribus, & difficillimis negotiis præmium expectabit, ſed ex leuioribus: quid enim facilius cõmotione linguæ? quam non ſine difficultate cohibent plurimi: & tamen hinc, ſi in laudem Dei, & proximi utilitatem laxetur, ingens præmium expectabit, maxime ſi uerbum Dei cum fide & honeſtate tractat, ſi cibum animæ diſpenſet, & fideliter
D in tempore tritici menſuram largiatur, quo gregis Chriſti paſcuntur pecora, illius potiſſimum animus eodem ſaturatur cibo. Mira conuiuij natura, quod ab ore egreditur alimentum, & in aliena uiſcera deſcendit, miniſtrãtis paſcit affectum, & famem extinguit, imo cæleſtium rerum appetitum uehementer accẽdit. Copioſe igitur paſcant qui Chriſti gregis curam agunt, ſi copioſe ſaturari cupiunt. Poteſt in utramq; partẽ intelligi quod ſequitur: *Iuxta opera manuum ſuarum retribuet ei:*) Hebr. Retributio manuum hominis reuertetur ad eum, ut in utroque, ſermone uidelicet & opere, præmium conſtituat. Neque de oris fructu ſaturari ſpirituali alimento poteſt, qui operibus deſtruit quod recte docet. Recte factorum merita cõtinet prouerbium, & Lutheranam damnat impietatem
E quæ bonis operibus nihil tribuit.

» VIA ſtulti recta in oculis ſuis, ſed qui audit conſilium ſapiens eſt.

Cùm plurimis uerſiculis quid inter ſapientem & ſtultum interſit oſtendat Salomon, tum in hoc uerſu latiſsimum diſcrimen & certiſsimam differentiam ponit: nempe ſtultum & imprudentem hominem ſibiipſi placere, ſibi uehementer ſapere, alios præ ſe cõtemnere, nullius conſilio uti, aliis recte monentibus non obtemperare: imo quicquid facit id optime factum exiſtimare. Quod non ſolum ſtultum, ſed periculoſum eſt: nam
F præceps in rebus agendis iudicium, & non ſatis ponderatæ actiones humanæ, omnium malorum cauſæ exiſtunt cum corporis, tum animæ: quare, ſi notam ſtultitiæ effugere uelis, & ſapiens euadere, caue ne quid agas tuo ſolius iudicio innixus, prudentiſsimos quoſq; in cõſilium adhibeas, & non quod tibi ſoli, ſed quod aliis rectũ apparebit exequere. Nam uere ſapiens libenter aliorum audit conſilia, & recte monentibus obtemperat. Iuxta id quod primo capite ſcriptum eſt, Audiens ſapiẽs ſapientior erit. Denique ſenſus eſt prouerbij, neminem ſuopte ingenio ſatis ſapere, ſed egere conſilio, præſertim in his quæ ad animæ ſalutem ſpectant. Stulti ſunt Iudæi, qui in craſſa legis Moſaicæ obſeruatione ſibi placent, tanquam rectiſsima religionis uia. Sunt infideles ſtulti, quibus uia recta uidetur, creatoris loco creaturam colere: ſolus ſapiens eſt inter homines, qui euãgelij præceptis conſiliiſq; auſcultans, ædificauit domum ſupra petram, Matth. 7.

» FATVVS ſtatim indicat iram ſuam,qui autem diſsimulat iniuriam cal- G
» lidus eſt. *Heb.* Stultus in ipſo die iræ ſuæ cognoſcetur,ſed tegit ignomi-
» niam callidus.

Sic recte uertunt Septuag. ἄφρων αὐθημερὸν γνωσθήσεται ὀργὴν, ſtultus ipſo die, hoc eſt ſtatim. Idem in Hebr. intelligitur per articulum היום. Eſt & hoc magnum ſtultitiæ indiciũ, ſtatim ad iram proſilire,non poſſe iniuriam uel opprobrium pati,malum pro malo reddere, pacem cum hominibus rumpere,lites ſectari,malle inferre quàm pati iniuriã. Hęc non ſolum euangelicæ aduerſantur doctrinæ, ſed etiam ciuili prudentiæ: cuius magna H
pars eſt,poſſe hominibus improbis cedere nonnũquam, & uti foro,ad multa conniuere, multa diſsimulare,& quod ſcimus interdum neſcire, affectos cõtumelia tacere,nõ quid mereantur,ſed potius quid nos deceat meminiſſe. Oportet celare non ſolũ contumeliam nobis illatam,ſed malorum hominum petulantiam, quam cum caſtigare & cohibere, non poterimus laceſſere nullo modo debemus: hoc enim noſtrã eſt prodere ſtultitiã, nõ aliorum mederi affectibus. Poſsumus paulo aliter uerſum exponere,ut ſit ſenſus, Stultus maxime cognoſcitur cum ipſe iraſcitur, tũc enim omnia effundit: uel cognoſcitur,quòd facillime ad iracundiam prouocetur, præſertim cum ipſo die, ſiue ſtatim iraſcitur. q.d. ſi I
iram differat,ratione non perturbatione regi uidebitur. *Sed qui diſsimulat iniuriã, callidus eſt,*) Hebr. tegit ignominiam callidus. Sapientiæ magnum eſt argumentum dare locum iræ,nec ullum indicium oſtendere,ſed ſedulo diſsimulare,ſi quando pro fragilitate humana laceſsitus,contra improbitatem hominũ iraſci cogatur,uel iniuria affectus & contumelia patienter tolerat, uel orat cum Chriſto pro perſecutoribus.

» QVI nouit quod loquitur,iudex iuſtitiæ eſt: qui autẽ mentitur,teſtis frau-
» dulentus. *Heb.* Loquetur ueritatem,indicabit iuſtitiam (ſup. teſtis uerus) ſed
» teſtis mendax dolum (ſup. loquetur.)

Iuxta phraſim Hebr. in priori clauſula deeſt ſuppoſitum, in poſteriore deeſt uerbũ: poſ- K
ſumus ſupplere uerus,iuſtus,uel fidelis teſtis,loquetur ueritatem: Iuſtus ſubintelligunt Septuag. ὡδὴ δεικνυμένων πίστιν ἀναγγέλει δίκαιος: ut cũq; ſenſus eſt conſtans,& certus: oſtẽdit enim uerſus,quanti referat à teneris annis aſſueſcere ueritatem loqui. Nam qui aſſuefecit ueritatem loqui,& huius rei ueluti habitum nactus eſt,ſemper amabit ueritatem: & non ſolum in priuatis colloquiis, ſed etiam in rebus maioris momenti, & in iudiciis, ubi de ſalute & perditione agitur,libenter iuſtitiã annunciabit,nemini damnũ inferens, ſed æquitatem ipſam loqui & ueritatem congaudens. Contrà homo qui mendaciis eſt educatus & aſſuefactus,dolum & fraudẽ cõminiſcitur,ueritatem plerũq; ſubuertit. Poſ- L
ſunt hæc ad intelligentiam legis referri,ut ſit ſenſus: Qui ueritatem & rectã ſcripturarũ fidem tenet ac profitetur,iuxta illã proferet & indicabit iuſtam & æquã legis interpretationem, ſed qui falſa pro ueris tenet, & teſtis ac profeſſor eſt mẽdaciorũ ac errorum, ille doloſe rectum ſcripturarũ ſenſum declarando ſubuertit, & imperitis auditoribus dolos ſtruit. Veritatis laudem continet prouerbium,quæ iuſtitiæ ſemper eſt coniuncta.

» EST qui promittit,& quaſi gladio pungitur conſcientia: lingua autem ſa-
» pientum ſanitas eſt. *Heb.* Eſt qui profert uerba quaſi confoſsiones enſis, ſed M
» lingua ſapientum ſanitas.

Pẽdet à priore uerſiculo,uidelicet, Teſtis mẽdax dolũ machinatur,& profert uerba quibus non minus crudeliter pereunt innocẽtes,q̃ ſi enſibus ſicariorũ cõfoderentur: nã corã Deo nihil refert. Nõ minus homicida eſt,qui falſo teſtimonio interficit hominem,q̃ qui gladio confodit: imo fortaſsis iniquius fuerit alienã denigrare famã,quàm ſanguinẽ fundere humanum. Cæterum falſa doctrina à recta fide auertere, & animas letali ueneno inficere,& necare, tanto grauius eſt crimen, quàm corpora transfigere, quanto anima corpori præſtat. Quàm præclara uirtus eſt ſapientia,quæ tantis malis remedium præſens affert, dolos falſorum teſtium detegit, uulnera falſo inflicta famæ innocentium facile

curat

A curat: contra uenena prȩcordiis hominum per falſam doctrinam infuſa, antidotum fœ- Cap. 12.
liciſsime porrigit, ſapientum uidelicet lingua. Aliter, iuxta uulgare prouerbium, Conſi-
lium malum conſultori peſsimum, poſſumus intelligere hæc uerba à ſtultis prolata, ſi-
biipſis ueluti enſium confoſsiones frequenter fieri, ſed ſapientum lingua ueluti medi-
cina ſalubris, ſtatim curat ſi quid offenſi aut mali ſuboriatur. Iuxta interpretationem di-
ui Hiero. damnat prouerbium eos, qui quod promittunt non præſtantes, conſcientiam
propriam grauiter offendunt, non ſolum alios, cum ſapientis lingua neminem fallat,
propriæ conſcientiæ ſanitatem ſeruat. Septuaginta ueritati Hebraicę conſentiunt, hoc in
B loco legentes, ἐάν οἱ λέγοντες τιτρώσκουσιν ὡς μάχαιραν, ſunt qui dicentes uulnerant quaſi
enſis. Hierony. legebat, ni fallor, בוטח, quod uerbum in una coniugatione promittere ſi-
gnificat, non בוטה qui profert, in qua uoce הא He ſcribitur loco אלף Aleph, ut teſtatur
Dauid Chimhi.

» LABIVM ueritatis firmum erit in perpetuum, qui autem teſtis eſt repen-
» tinus, concinnat linguam mendacij. *Heb.* Labium ueritatis ſtabilietur in
» perpetuum, ſed ad momentum lingua mendacij.

C Vox Hebręa ארגיעה, quam momentum uertimus ſecuti commentarios Hebræorum, ab
Aben Hezra uertitur quieſcere faciam, nam omnino formam uerbi futuri habet: & lin-
guæ proprietas eſt, labium ueritatis, lingua mendacij, pro labio mendacis, & lingua ue-
racis. Audiuimus multa mala prouenire ex pernicioſa lingua, & falſo teſtimonio, ſed
ita comparatum eſt Dei bonitate, & rerum conditione ac natura, ut fraus ſemper dete-
gatur, ueritas permaneat in perpetuum: uerbum domini, quæ ipſa ueritas eſt, manet in *1. Pet. 1.*
æternum. Poteſt enim ad horam & modicum tempus mendacium ſeu falſum teſtimo-
nium præualere, ſed ueritas in ſermone, in fide & operibus perpetuo durat: ſimulatio,
hypocriſis, ficta ſanctitas, & religio ſimulata ſubito detecta euaneſcit, non ſine ignomi-
D nia illius qui mentitus eſt. Septuaginta, non לעד in perpetuum, ſed לעד in teſtem, legen-
tes uertunt: χείλη ἀληθινὰ κατορθοῖ μαρτυρίαν, labia uera dirigunt teſtimonium.

» DOLVS in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt conſilia, ſe-
» quitur eos gaudium. *Hebræum*, Dolus in corde cogitantium malum (uel fa-
» bricantium malum) ſed conſultoribus pacis, lætitia.

Obſeruandum eſt, dolum lætitiæ, & malum paci ex aduerſo poni hoc in loco, & in ſe-
cunda particula uerſus, ex priori ſubauditur cor: ut enim nulla maior eſt lætitia quàm
illa quæ eſt cordis, ita nulla eſt maior fraus illa, quam corde machinantur mali. Ex abun *Matt. 12.*
E dantia cordis os loquitur. Qui malum malo conſilio machinantur, & malum illud quod
paci aduerſatur, hoc eſt odium cogitant & fraudem in corde occultant, ſed qui pacis in-
eunt conſilia, *ſequitur eos gaudium,*) uel conſultores pacis lætitia. Qui ſepoſita omni frau-
de iuuare uolunt & cupiunt, dum pacem alunt, & fouent concordiam recte conſulen-
do, magnam conſcientiæ tranquillitatem & lætitiam habent. Beati pacifici, quoniam *Matt. 5.*
filij Dei uocabuntur: quorum laudem continet hoc prouerbium, oſtendens eos qui pa-
cem quærunt inter homines, cum Deo pacem habere: quæ lætitia exuperat omnem
ſenſum.

F NON triſtabit iuſtum quicquid ei acciderit, impij autem replebuntur ma
» lo. *Hebræum*, Iuſtus non dolebit ob ullam iniquitatem, at impij repleti ſunt
» malo.

Ambigua ſignificatio huius uerbi אנה, uariam expoſitionem huius uerſiculi efficit: nam
ſignificat dolere, uel efficere. Expoſitores Hebræorũ ſequuntur poſteriorẽ interpretatio-
nẽ, ut ſit ſenſus, Non fiet ulla iniquitas à iuſto: intellige neque ſibi, neq; aliis: ſed improbi
malis redundant, & non ſolum ſibiipſis ſunt authores malorum, ſed omnes uicinos re-
plent malis, & miſeriis ſiue huius uitæ, dum damna inferunt, ſiue malis animi, ad quæ
ſuo exemplo pertrahũt. Mihi uehementer arridet, ut utranque huius uerbi ſignificatio-

nem intelligamus,ut ſit ſenſus, non erit cauſa doloris iuſto ulla iniquitas: ſupple, quæ G
ſit ab impiis in eum.quaſi dicat,Quantumuis grauiter deliquerint iniqui contra iuſtum,
non dolebit,ſed æquo feret animo.Aliter,Non erit dolor iuſto ulla iniquitas,quòd nulla
horrenda crimina perpetrare ſolet iuſtus,ob quæ uel in præſenti uita damnũ aut pœnã
ſuſtineat,aut ob quæ ſtimulis conſcientiæ & triſtitia mordeatur. Et hunc ſenſum ex no-
ſtro habemus interprete, ſi modo per iniquitatem, pœnam intelligimus debitam ini-
quitati. Aben Hezra uult priorem partem uerſiculi pendere à poſteriore: ut ſit ſenſus,
Quanuis improbi pleni ſint cogitationibus malis, non tamen poterunt efficere ullam
iniquitatem,uel potius,pœnam iniquitatis iuſto. Caldæus uertit aliter:nempe, לא אפיר H
non erit pulchra iuſto ulla iniquitas,hoc eſt,non placebit: cui ſubſcribunt Septuaginta,
οὐκ ἀρέσει ⸗ δικαίῳ οὐδὲν ἄδικον, non placebit iuſto ulla iniuſtitia.

" ABOMINATIO eſt domino labia mẽdacia: qui autem fideliter agunt,
" placent ei.*Heb.* Abominatio domini labia mendacia,ſed facientes ueritatem
" uoluntas eius.

Verſiculo tertio præcedenti,nempe,Labium ueritatis firmabitur,reſpondet hic uerſicu-
lus, reddens cauſam,quamobrem non poſsit durare niſi ad momentum falſitas: uideli- I
cet quòd ſit abominatio domini,ut puta res maxime contraria domini uoluntati,qui ue-
ritas eſt ipſa,perpetuo manens:& idcirco execratur falſa teſtimonia, falſam doctrinam,
etiam in uerbis ſolum & labiis,quanto magis in opere? Cæterum qui faciunt & opere cõ
plent ueritatem,& non ſolum contra legem nihil loquuntur, imò nihil committunt,iſti
faciunt quod placet Deo:ut bis repetitam intelligamus uocem facientes. Aliter, Domi-
nus abominabitur labia falſa, hoc eſt teſtes mendaces: Sed qui faciunt ueritatem, ſunt
iudices, qui fidem illis non habentes, examinando ad ueritatem perueniunt, & quod
dominus uoluerit, iuxta ueritatem iudicant. Innuit prouerbium, Non omnis qui dicit K
Matt. 7. mihi domine,domine,intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit uoluntatem patris.

" HOMO uerſutus celat ſcientiam, & cor inſipientum prouocat ſtultitiam.
" *Hebræum*,Homo aſtutus occultat ſcientiam (uel opinionem,)ſed cor ſtulto-
" rum ſolet diuulgare ſtultitiam.

Silentium commendat,tanquam certiſsimum prudentis uiri indicium: procacitatem lo
quendi & fiduciam, uelut ſtultitiæ ſignum damnat. Prudentis igitur eſt occultare opi-
Iacobi.1. nionem ſuam in confeſſu ſapientum aut principum: iuxta illud Iacobi,Sit omnis homo
Matt. 7. tardus ad loquendum. Vel,occultat ſcientiam ab indoctis hominibus, ne uideatur mar- L
garitas dare porcis. Denique uiri prudentis eſt,ubique ſuam occultare opinionem, quo
facilius aliorum ſententias exploratas habeat:ſed mens ſtultorum nihil ſecretum habet,
ſtatim ſtultitiam indicat,ut qui nec tacere,nec prudenter loqui nouit, ſed quam in cor-
de clauſam habet & ſecretam,prædicando & diuulgando ſtultitiæ opinionem ſibi com-
parat. Aſtutus in bonam partem accipi manifeſtum eſt ex clauſula ſequenti,nam ex con
trariis ſentẽtiis amœna quadam antitheſi plerique omnes uerſiculi componuntur. Pro-
uerbium docet ſapientiam,omnem iactantiam fugere, eſſe modeſtã, ut inquit Iacobus.
M

" MANVS fortium dominabitur, quæ autem remiſſa eſt tributis ſeruiet.
" *Hebræum*, Manus fortium dominabitur, ſed fraudulenta erit tributaria.

Ad ſapientem quoque ſpectat, ſumma uigilantia & ſolicitudine honeſta, uictum com-
parare:contrà ignominioſum eſt, fraude quidpiam moliri. Vnde ut utriuſque conditio-
nem exprimat,illius laudem uidelicet,& huius ignominiam,hyperbolis utitur,inquiẽs:
Manus ſolicitorum ſeu negociatorũ, ſeu quoruncunque qui prouidi ſunt & expediti in
rebus agendis,quas cum æquitate & iuſtitia tractant: talium (inquam) manus domina-
bitur,ad imperium & regnum emerget,hoc eſt ad præclaras opes,& ueluti regias facul-
tates. Contrà qui dolo malo diteſcere ſtudet, ad tributum, hoc eſt ſummam inopiam &
ſeruitutem

A seruitutem solet deuenire. Id quod frequenter in fortunæ bonis, in animi uero uirtutibus & diuitiis semper est uerisimum, in quibus regnant & uniuersum mundum sibi subiiciunt, qui sedulam operam impendunt. Cõtrà, qui parum strenue, sed simulatione & hypocrisi uirtutibus incumbunt, mundo & carni, imò dæmonibus subditi & tributarij uiuunt. Cap. 12.

» MOEROR in corde uiri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur. Pro ambiguitate sermonis Heb. uerba, humiliabit & lætificabit referri possunt ad uirũ, & pronomina ad dolorem, ut sit sensus: Dolorem qui est in corde uiri prudentis humi-
B liabit eum, supple dolorẽ, hoc est mitigabit, & uerbo bono ex lege diuina desumpto, lætificabit, hoc est in lætitiam conuertet: sic commentarij Hebr. Aliter, pro duplici tristitia & lætitia potest uersiculus intelligi, de quibus Paulus, Quæ secundum Deum est tristi- 2. Cor. 7.
tia pœnitentiam ad salutem operatur: mundi tristitia mortem operatur: & sensus erit, Verbum bonum per quod remissionem peccatorum expectamus, uehementer lætificat cor hominis, qui pro suis sceleribus magno concepto dolore, & summa humilitate cordis prostratus est. Sed hic sensus allegoricus est: nam iuxta literam uidetur ostendere, ad
C sapientiam acquirendam multum referre, quibus affectibus, q uibúsque perturbationibus obnoxium sit cor & animus. Nam cor hominis doloribus plenum, nihil sub limius, nihil excellentius potest cõcipere: sed deiectum mœrore langueſcit, quem nihil facilius discutit, nihil facilius mentem erigit, & ad natiuam lætitiam restituit, quàm uerba bona fiduciæ & consolationis plena, cuiusmodi ab amicis, à potentibus & principibus, afflicti libenter audiunt. Imò cuiusmodi contra aduersa huius mundi, quibus simus obnoxij ex scripturis sacris, & prophetarum oraculis libenter audire debemus, ut relicta stulta huius uitę tristitia, ad cælestem lætitiam properemus: Nam per uerbum bonum (siue annunciationem bonam, ut Septuaginta legunt, ἀγγελία δὲ ἀγαθὴ ἰυφραίνει ὀὐτ.) quod
D ad nostram doctrinam scriptum est, consolationem & spem habemus per patientiam, qua humiliamur in hac uita.

» QVI negligit damnum propter amicum iustus est, iter autem impiorum » decipit eos. *Hebr.* Honoratior est amico suo iustus (uel honoratus ab ami- » co suo, est iustus) sed uia improborum decipiet eos.

Priorem uersionem ex duabus posterioribus fere omnes sequuntur, ut sensus ad maximam iustitiæ laudem referatur, cui nullæ opes, nulla potentia conferri debet. Qui iu-
E stitiam colit, & illa præclara uirtute ornatus est, quæ cùm summa & generalis uirtus sit, particulares omnes complectitur uirtutes: hic omnes uicinos suos & ciues facile superat. Nam in uirtute uera laus consistit, in maxima uirtute maximus honor. quasi dicat, Iustitiæ incumbendum est & uitæ integritati: his artibus certare decet, his reliquos ciues uincere: non ambitione, non honorum titulis, non possessionibus amplis & claris: nam iustitiæ studium & amor hominem honorabilem facit omnibus, uel præ omnibus, non inuidia aut liuore suorum obnoxium: id quod in mundano honore fieri solet. Lectio diui Hieronymi alium facit sensum, nempe, temporale damnum ut (inquit Lyranus) contemnendum, ubi amicorum urget necessitas. Sequitur: *Via improbo-*
F *rum*:) hoc est, uiuendi ratio & studia, quibus per fas uel nefas ad honores tendunt & opes, seducere solent eos, dum in maximam ignominiam sæpissime corruunt, etiam in hac uita, in futura semper, nisi resipiscant.

» NON inueniet fraudulentus lucrum, & substantia hominis erit auri pre- » cium. *Heb.* Non aduret uir fraudis uenationem suam, sed diuitiæ precioſæ » hominis soliciti.

Parabola uenationis ostendit diuitias fraude acquisitas, inconstantes ac labiles esse, & contrà quæ solicitudine & diligentia conqueruntur, esse stabiles. *Non inueniet*,) Hebræũ, non aduret. Hierony. Septuaginta secutus est, qui sic habent: οὐκ ἐπιτύξεται ὀλίος θήρας

non fabricabit, pro non perficiet, uel non obtinebit dolosus prædam. Versiculus hunc habet sensum, iuxta Hebræos, Vt aues quarum alæ non comburuntur (quod solent aucupes facere) frequenter auolant, & aucupem decipiunt: sic diuitiæ per dolum acquisitæ, hoc est uelut per aucupium, non iustis laboribus: uel potest intelligi, diuitiæ acquisitæ per fraudem, sunt uelut præda aucupum, uel uenatorum, quam cùm magno labore ceperint & fraude, non comburent, hoc est non assabunt: neque comedent: ex illa nullam utilitatem capient, Cùm male parta, fere peius pereant. Opes per iustam solicitudinem comparatæ, ut paulatim coaceruantur, ita sunt possessori charæ & honorabiles, præsertim opes per manus pauperum in cælestes thesauros recõditæ. Nam inæstimabilis erit honor his qui audient aliquando, Esuriui & dedistis mihi manducare. uersio diui Hiero. eundem fere facit sensum. Monet prouerbium iustis & assiduis laboribus uiuendum, non rapinis. G H *Matt.25.*

„ IN semita iustitiæ uita, iter autem deuium ducit ad mortem. *Heb.* In semi-
„ ta iustitiæ uita, uel propter semitã iustitiæ uita, & uia semitæ eius non mors.

אל מות aliter legebant Septuag. & D. Hieron. nempe אל מות ad mortẽ, & in exemplaribus aliquot duplex notatur lectio, omnes tamen iuterpretes Hebræi priorem sequuntur lectionem: neque est iter deuium, ut Hiero. neque ὁδὸι & μηναικάκων, ut Septu. sed uia semitæ eius. s. iustitiæ. Sensus uersiculi ad iustitiæ laudẽ spectat, ut præcedentes: nempe iustitia honorẽ confert, opes stabiles cõparat. sed præcipua laus ex fine pendet, is est uita, ad quam quasi uestigiis quibusdam omnes humanæ actiones tendunt, & ad quam sola iustitia (quæ unicuique quod suum est reddit) absque omni errore perducit. Quanuis multæ sint semitæ, neq; enim eadem iustitia pauperis & diuitis, regis & subditi, populi & sacerdotis, tamen ad uitam ueluti regia uia spectantes, omnes ad uitam perducunt non ad mortem. Quisque pro suo statu per iustitię uiam incedat, ut ad uitam perueniat perpetuam benignitate Domini & Saluatoris, cui est omnis honor & gloria. I K

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

FILIVS sapiens doctrina patris, qui autem illusor est non audit cum arguitur. *Heb.* Et derisor nõ audiuit increpationẽ. Non est innata sed acquisita sapientia de qua loquimur. Multo sudore, magna diligentia & uigilantia non solũ propria, sed parentũ quoq; euadunt homines sapientes. Accedat oportet & parẽtum industria, & iuuenum obtemperans animus. Verbum audiuit, in priore particula subauditur. Filius qui sapiens euasit. sup. audiuit doctrinam patris, uel obediuit castigationi & disciplinę parẽtum & maiorum, seu præceptorũ. Qui elusor uanus & excors est, in iuuenili ætate, aut ipse noluit obedire maioribus recte monentibus, aut socordia & uitio parentum non audiuit castigationem. Vsqueadeò inepte indulgent liberis aliqui patres, ut dum uirgæ parcunt, liberos perdunt. Prouerbium parentes hortatur ut castigent liberos, & hos ut parentibus obediant. L

„ DE fructu oris homo satiabitur bonis, anima autem præuaricatorũ iniqua.
„ *Heb.* De fructu oris uir, uel unusquisque comedet bonum, sed anima transgressorum iniquitatem. M

Aliter, de fructu oris uir comedet bonus, sed ex fructu animæ transgressorum comedet iniquus. Iuxta uariam uersionem, uarium sensum habet uersiculus, uerbum comedet uel saturabitur bis accipitur, & metaphorice intelligitur: ut fructus etiam metaphorice pro præmio, uel supplicio, quod quisque ex operibus suis capit. In genere dictum intelligi potest, uel pendet ex priori uersiculo: in quo non solum reprehensus est illusor, qui parentibus non obediuit, sed parentes quoque qui liberos non increpant neq; castigant. Non

A gant. Non enim ſatis eſt filios procreare, nutrire corpus liberorum, carnis habere fructũ: Cap. 13.
ſed rectam & ſalubrem diſciplinam inſtillare oportet in animas eorum: atque ita tandem ex optimis liberis, optimum fructum capiunt: & iuxta hunc ſenſum, per fructum oris, doctrinam intelligimus ab ore patris in pectora filiorum inſtillatam. Verum quiſquis tranſgreſſor eſt legis in liberorum educatione, rapinæ, uiolentiæ, & iniquitatis liberorum erit particeps, metens & comedẽs ea quæ ſeminauerit. Quòd ſi in genere dictum intelligamus, quod mihi magis placet, quadrat ſenſus cum multis locis huius operis, in quibus uitia linguę reprehenduntur, & uirtutes maxime commendantur: ut intelligamus non pro ſolis rebus à nobis geſtis, ſed etiam pro lingua & ſermonis fructu, nos eſſe
B remunerandos aut puniendos: ut ſit ſenſus, Vnuſquiſque comedet, & percipiet bonum de doctrina bona, conſilio ſano, & correctione ſalubri: contrà, anima quæ tranſgreditur in his, hominem iniquum facit. Vel bis repetitur dictio de fructu, & ſenſus erit, Vt de fructu uiri ſapientis & docti accipiet bonus & comedet, hoc eſt ſequetur doctrinam illius: ita de fructu præuaricantium, iniquus comedet. & huic ſenſui quadrat quod ſequitur.

» QVI cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. *Heb.* Qui laxat labia ſua, erit illi cõtritio.
C Per linguam tanquam per oſtium, ad animum ingreditur malum. Quicũque igitur animum caſtum, & illęſum ſeruare cupit, primò os ſuum firmum & clauſum ab impudico ſermone obſeruet. uel qui cuſtodit os ſuum, animã ſeruabit trãquillam & inconcuſſam: nam per os & ſermonem ad animum, tanquam ad interiora domus per oſtium, intrant commotiones & turbulentæ paſsiones. Iuxta ſecundam clauſulam, *Qui inconſideratus eſt ad loquendum ſentiet mala*: uel iuxta Heb. פושק שפתיו. qui laxat labia, contritio. ſ. erit illi, hoc eſt animo fracto & contrito erit, ac parum tranquillo, iuxta illud, Locutum eſſe nocet, tacuiſſe nunquam: poteſt eſſe ordo præpoſterus, ut ſit ſenſus, Qui ſeruat animam ſeruat linguam, iuxta alium locum, Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum: ut cum euangelico
D quadret elogio, A corde exeunt quæ coinquinãt hominem. Sed iuxta Aben Hezra ſimplex ſenſus eſt, Qui cauet ſibi & prudens eſt uerbis, ſeruabit animam ſuam ab anguſtia & ſera pœnitentia. Nã ut facilis eſt linguę lapſus, ita ſubita pœnitentia animam percutit. *Matt. 15.*

» VVLT & non uult piger, anima autem operantium impinguabitur.
» *Hebræum*, Anima pigri deſiderat & non habet (ſup. quod deſiderat) ſed anima ſolicitorum impinguabitur.

Oſtendit uerſiculus induſtriam & diligentiam multa poſſe, otium & pigritiam inopiæ
E & paupertatis matrem eſſe. Qui nullis honeſtis artibus nec ſtudio ætatem tranſigunt, multa uana animo uoluunt, & quanto pauciora habent, tanto plura deſiderant: ſed nihil prodeſt uanis optionibus paſcere animum, & uentris inediam pati. ſtulta ſunt huiuſmodi deſideria: nam ad laborem naſcimur & ad ſudorem uultus. Quanto igitur ſatius & prudentius fuerit, operi admouere manum, & uictum iuſtis laboribus quærere, & eſurientem ſaturare uentrem? cuius ſaturitas nemini deerit, niſi quis ſibi defuerit. Alioqui iuxta canonem diui Pauli, Qui non laborat non manducet. Non ſolum ad opum &
F panis materialis pinguedinem, ſed ad animi uirtutes applicari poteſt: quas non otio, ſed multa ſolicitudine & labore comparaſſe ſibi optimos quoſque conſtat. Soliciti & negotioſi ſunt, non qui uentrem paſcere magnis laboribus curant, ſed qui quiduis facile agunt & patiuntur, quò animam fauore numinis & omnibus uirtutum generibus lætam ac ſucculentam efficiant.

» VERBVM mendax iuſtus deteſtabitur, impius autem confundetur.
Vt qui male agunt odio habent lucem, tanquam contrariam illorum operibus tenebrarum: ſic iuſtus qui ueritatem amat in ſermone & opere, mendacium execratur, idololatriam, falſam religionem, hypocriſim, hæreſim, aut quancunque in moribus aut uerbis diſsimulationem & deceptionem intelligimus. Secundam uerſus particulam obſcu-

ram reddũt duo uerba יבאיש ויחפיר fœtere faciet,& probro afficiet.Septuag. ἀσεβὴς δὲ G
αἰσχύνεται καὶ οὐχ ἕξει παῤῥησίαν,Impius pudore ſuffunditur,& nõ habebit loquendi liber-
tatẽ:quorum alterũ ad opera, alterum ad animũ referunt expoſitores Hebræi, ut ſit ſen-
ſus,Improbus corrumpet,& pudore digna opera faciet,unde ſuam ipſius animam con-
fundet.Poſſunt ad iuſtum referri:quaſi dicat,iuſtus cum odio habeat mendacium, faci-
le pudore & ignominia afficiet impium, qui mendaciis innititur. Deniq; iuxta Caldæũ
paſsiue accipiũtur hæc uerba ונחפר נבהת, rubore & pudore affectus eſt:& ſenſus erit,
Improbus qui mendaciis gaudet & nihil in ueritate agit, tandem aliquando ignominia
afficietur,& confuſione opprimetur. ut alterum ad hãc uitam, alterum ad futuram re- H
feratur.Quòd ſi de ignominia & pudore quem infert aliis intelligatur,magis ad conatũ
quàm ad rem refertur:Solent enim ſedulo operam dare improbi, ut bonis uiris oppro-
bria inferant.Iuxta quem ſenſum ſequitur.

» IVSTITIA cuſtodit innocentis uiã,impietas autẽ peccatorẽ ſupplantat.

Multa moliuntur improbi contra iuſtos, ſiue ut damnis & opprobriis eos afficiant,ſiue
ut penitus ſubuertant,ut ſuperius diſſeruimus. Sed cauendum eſt,ne cogamur declina-
re uel ad dextram uel ad ſiniſtram. Viam quã lex diuina monſtrat, ſeruat iuſtus & uir
perfectus in uia,hoc eſt in ratione uiuendi,& uicisſim ſeruatur ab ipſa iuſtitia.Non quẽ- I
libet ſeruat,& protegit iuſtitia, ſed perfectum & integrum in uia, ut eſt in Hebr. in fide
& charitate. Non eſt nobis opus aliis munitionibus, aliis propugnaculis aut armis, iſta
ad tempus fortaſſe corpus muniunt, iuſtitia ſuos quos integros in uia reperit, integros
perpetuo ſeruat. Contrà, improbitas ſubuertet peccatum, hoc eſt hominem peccati:
quem declinantem reperit, penitus ſubuertit. Aliter, Quemadmodum iuſtitia efficit ut
iuſtus ſeruet perfectionem uitæ, ſic impietas quodammodo impellit hominem de pec-
cato in peccatum,ut ſit peccatũ pœna peccati: & proinde monemur hoc uerſiculo prin-
cipiis obſtare,ut cum improbitate nihil commercij habeamus:nam impietas tandẽ ſub- K
uertit nõ hominem peccatorẽ, ſed hominem peccatis deditum, hoc eſt hominẽ peccati.

» EST quaſi diues cum nihil habeat,& eſt quaſi pauper cũm in multis diui-
» tiis ſit.Redemptio animæ uiri diuitiæ ſuæ,qui autem pauper eſt,increpatio-
» nem non ſuſtinet. *Heb.* Eſt qui ſe diuitem facit & nihil habet,qui ſe paupe-
» rem oſtendit,& opes multas habet. Redemptio animæ uiri ſunt diuitiæ, ſed
pauper non audiuit opprobrium.

Nihil fere refert ad ſapientiam quã docemus,ſiue quis diues fuerit ſiue pauper, nam nõ L
ex ipſa re, ſed ex animo habentium aut non habentium,æſtimantur diuitiæ. Videas ali
quẽ qui diuitis nomẽ affectat,& aſſequitur illum honorẽ, quẽ à diuitiis habẽt homines,
& interim re uera pauper eſt: ſed ſuo animo ſatisfacit,& aut apud ſe ſolũ, aut etiã apud
uulgus pro diuite habetur.Contrà,eſt alius,qui cum re uera diues fuerit,diuitis honorẽ
recuſat: modis omnibus ſe pauperem oſtendens,ne cogatur ſumptus quos nollet face-
re,tributa pẽdere principibus & in publicos uſus multa inſumere.Denique ne calũniam
diuitiarum cauſa,aut inſidias ſuſtineat: ſedulo paupertatem ſimulat, ut tranquillitatem
habeat,& fœlicitatem illam æquabilem,qua diuites à pauperibus ſuperantur. Aliter,à M
ſtudio & concupiſcentia augendarum opum deterret, cùm uideamus magnopere la-
borare aliquos ut diuites euadant, & tamen ſemper ſunt egentes: contrà,alios negligere
opes,non inhiare diuitiis,& nihilominus diteſcere.Vel eò ſpectat ut oſtendat incõſtan-
tiam diuitiarum,quò nos deterreat ab illis:ut ſit ſenſus,Eſt qui diues euadit ſubito, cum
penitus nihil haberet: & contrà, eſt qui repẽte ad ſummam inopiam delabitur, cum eſ-
ſet locuples.Sed ut utramque fortunam æquo animo feramus,& ut oſtendat non uſque-
adeò referre ad uirum ſapientem & probum, utriuſque commoda infert, quæ ſunt
quaſi eadem, ſi modo animus ſit idem. *Redemptio animæ uiri, diuitiæ illius.*) quaſi di-
cat, Si quid diues delinquat, ſi cauſam ſuſtineat aut inuidiam, nummis omnem re-
dimet iniuriam, & hoc commodi ab opibus capiet, ab iniuriis & calumniis ſeſe

tue-

A tuebitur, *Qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet*:) uel, pauper non audiuit op- Cap. 13.
probrium. Pauperis par eſt, aut ſuperior conditio: nam uti non habet diuitias, quibus damna illata redimat aut iniurias propulſet, ita fere nullas ſuſtinet: iuxta illud Poëtæ, Sic reus ille fere eſt, de quo uictoria lucro Eſſe poteſt, inopis uindice facta carent. Spiritualiter intelligitur redemptio animæ: iuxta conſilium Danielis, Redime peccata tua eleemoſynis: & iuxta hunc ſenſum monet diuites, ne pauperes afficiant opprobriis, ſed beneficiis iuuent, & eleemoſynis, quibus extinguuntur peccata. Quòd ſi de ſpiritualibus intelligamus diuitiis, locus contra ſuperbiam & iactantiam facit: nam qui de uirtu-
B tibus animæ, aut chariſmatibus gloriatur, eiſdem deſtituitur. Sola humilitas cæleſtes diuitias fideliter obſignat & cuſtodit. in quem ſenſum quadrant quæ ſequuntur.

» LVX iuſtorum lætificabit, & lucerna improborum extinguetur.

Videtur ſubaudienda præpoſitio in, ut ſit ſenſus, In luce iuſtorum erit lętitia, ſed in lucerna improborum nō erit: quia parum durabit, cito extinguetur. Metaphora eſt admodum frequens, ut per lucem proſperitatem, per tenebras aduerſitatem intelligamus. Et erit ſenſus, Vna cum iuſtitia, lux & uita hæc, ſunt amœna & læta, quādo non obnubilan-
C tur rebus aduerſis. Sed *Lucerna impiorum extinguetur*,) hoc eſt, quanuis luce hac & fœlicitate gaudere uideantur improbi, tamen in illorum uita nō poteſt eſſe lætitia, cum breui & adinſtar lucernæ ſit extinguēda. Si per lucem & lucernam utriuſque, animū nempe iuſti & improbi intelligamus, alius, ſed non multum diuerſus, erit ſenſus, huiuſmodi uidelicet, Vt ſol exortus ſuo lumine mundum exhilarat, ſic iuſtorum animi triſtitias huius mundi & moleſtias facile diſcutiunt. quaſi dicat, Mens ſerena iuſtorum alios lætos efficiet, aut in ſuo lumine & pura conſcientia unuſquiſque iuſtorum lætus erit, improborum nemo poteſt aut debet gaudere de ſua lucerna. Nam ut ſit quanlibet fulgens, & reſplendens in loco obſcuro, & inter ſui ſimiles uel ignaros, non poterit tamen ſo-
D lidam conferre lætitiam, cum ad momentum in hac uita ſplendeat, at ſubito extinguatur. Aliter, Lux iuſtorum, eſt doctrina & pietas ſanctorum: de qua luce Chriſtus, Sic *Matt. 5.*
luceat lux ueſtra, quæ mundo magnam lætitiam attulit. Lucerna impiorum, hęreticorū hypocriſis, quæ ſemper breui fuit extincta.

» INTER ſuperbos ſemper iurgia ſunt: qui autem agunt omnia cum conſi-
» liis, reguntur ſapientia. *Hebræum*, In ſuperbia nihil aliud quàm litem dabit
» aliquis, ſed cum conſultis ſapientia.

E Superbiam opponit conſilio, & litem ſapientiæ. quaſi dicat, Si quis conſulte omnia agat, uel qui conſilia prudentium libenter audit & obtemperat, ſapiens erit. Cæterum qui temere & audacter omnia facit, cū per ſuperbiam, ſeſe neminem plus ſapere exiſtimet, in lites & iurgia ſolet incidere, aut aliis lites intentare. Aliter, Qui cum ſuperbis hominibus uerſatur, inter quos nullus obtemperat alteri, nihil aliud quàm lites diſcere & ſectari ſolet. Qui uero uerſatur cum conſultis & prudentibus hominibus, qui omnia cum iudicio & maturo cōſilio agunt, ſapientiam diſcet. זדון, uel ſuperbia, & intelligitur uir ſuperbiæ: uel ſuperbus recte uertitur, & זורן & מיזר, eū intelligunt Hebræi, qui ſpon-
F te & animo maleuolo peccat. Et ſic uerti poteſt uerſiculus, Qui cum ſuperbo, ſupple, uerſatur, dabit litem, & contentionem, non alium proferet fructum: Sed qui cum uiris conſultis & prudentibus uerſatur, dabit, hoc eſt proferet ſapientiam. ſi litera בית Beth, per præpoſitionem למד Lamed, hoc eſt propter, exponamus, erit ſenſus: Propter ſuperbiam qua ſuperbit homo contra proximum ſuum dabit iurgium. Cum iis qui conſulūt ne quid per ſuperbiam agamus, eſt ſapientia.

» SVBSTANTIA feſtinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur
» manu, multiplicabitur. *Heb.* Diuitiæ ex uanitate minuentur, ſed colligens
» per manum augebit.

Viro ſapienti curæ eſſe debet, non tam quantum acquirat, quàm quibus modis & arti- G
bus paret ſibi diuitias: nam diuitiæ quæ ex uanitate, hoc eſt, uel uiis illicitis & artibus
parum honeſtis, uel etiam per fraudem & iniuriam acquiſitæ ſunt, durare non ſolent.
Sed male partæ, peius frequenter pereunt. Cæterum qui iuſto labore ſtudet ſibi parare
diuitias, & paulatim cõgregare, ſtabiles augebit opes. Quod de diuitiis diximus, ad ho-
noris & authoritatis gradus, præſertim eccleſiaſticos, referri poteſt. Prouerbium nos do-
cet moderari erga bona huius uitæ & temporis affectus.

„ SPES quæ differtur affligit animam, lignum uitæ deſiderium ueniens.
„ *Heb.* Spes protracta infirmitas cordis, lignum uitæ deſiderium ueniens. H

Opponit ſpem protractam & procraſtinatam deſiderio uenienti ſiue exhibito: & dolo-
rem cordis opponit ligno uitæ. Denique metaphora tranſlata eſt à corpore ad animam:
ut ſtomachus corporis deſtitutus cibo neceſſario affligitur, ſiue infirmatur & lãgueſcit:
ſic anima ſiue cor (ut eſt in Hebræo) in expectatione illius rei quam uehementer cupi-
mus, impeditur à reliquis functionibus: dum nihil aliud poteſt agere aut cogitare, pati-
tur infirmitatẽ, id quod multis uſu uenit ob res uanas, & nonnunquam illicitas. Narran-
do monet ſapiẽs, & docet nos tales cohibere affectus, neq; ſpem collocare in illis rebus,
quarum deſiderio & abſentia affligitur animus, & in quarum adeptione refici non po- I
teſt: ſed deſiderio oportet langueſcere rerum talium, ex quibus aduenientibus non mi-
nus ſuauitatis capias, quã ſi ex arbore uitæ in paradiſo fructus carperes. quaſi dicat, Col-
loca fili ſpem & deſiderium non in rebus mundi, quarum ſpes dum ſemper differtur,
Iaco.4. ſemper animũ affligit, nunquam aduenit, ut inquit Iaco. Concupiſcitis & nõ habetis: ſed
in deſiderio ſapientiæ & aliarum uirtutum, ex quibus quotidie fructum capias, & tãdem
immortalis euadas, tanquã ſi ex fructu ligni uitæ comederes. Videtur Salomon hoc uer-
ſiculo, à ſuo ſapiente, quem inſtruendum ſuſcepit, non auferre omnes paſsiones & affe-
ctus animæ, Stoicorum more, ſed oſtendere ſapientem magno rerum cęleſtium deſide- K
rio ſubinde teneri: uel ſucceſſus bonorum & incrementa uirtutum in hominibus uehe-
menter optare ſapientem: uel denique pacem eccleſiæ, & quæcunq; ad honorem Dei &
animarum ſalutem ſpectare poſſunt: quæ cum ſerius quàm pro ſua expectatione à Deo
opt. max. concedantur, pro humana fragilitate animo torqueri, iuxta id quod legimus in
Abac.1. Abacuc, Vſquequo domine clamabo, & non exaudies? uociferabor ad te uim patiens?

„ QVI detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat: qui autem timet præ-
„ ceptum, in pace uerſabitur. *Heb.* Qui contẽnit uerbum, peribit ob id: qui
„ timet præceptum, ipſe retributionem accipiet. L

Multiplex eſt expoſitio pro uarietate ſignificationum huius uocis דבר uerbum uel res,
etiam illius uerbi ישלם quod retribuere, uel pacem agere ſignificat, Hebræi fere intel-
ligunt, Verbum principis, & mandatum non eſſe contemnendum. Qui uerbum Dei &
mandatum contemnit nec obſeruat, peribit: erit illi ea res interitus aliquando, quanuis
interim nihil mali ſentiat. Cæterũ qui timet dominum, & mandatum illius obſeruat, re-
tributionem accipiet: aut utrique ſua merces reponitur contemnenti mandatum & ob-
ſeruanti, ſed uaria: & hic maxime germanus ſenſus uidetur. Eſt & alius, ſi per דבר rem
intelligamus familiarẽ, quam qui contẽnit damno afficietur, iactura erit illi. Iuxta inter- M
pretationem quam ex diuo Hiero. habemus, uix alius poteſt eſſe ſenſus, quàm, eum ui-
delicet eſſe obnoxium & obligatum ad pœnam, qui rebus ſacris detrahit, culpando quæ
à Deo ſunt ordinata, uel qui detrahit & obloquitur bonis hominibus, mandatum Dei
tranſgreſſus, & pacem diſſoluens inter homines: contra qui amat proximum ſeruans
mandatum Dei, pacem habet cum Deo & cum hominibus. Aliter, Qui rem contemnit,
quæ reuera uilis eſt, & quæ corrumpitur, illi. ſ. erit merces: nam talis ſolet etiam præce-
ptum cum timore obſeruare: quanto enim minus curamus res uanas & corruptibiles,
tanto magis nobis cordi erunt præcepta Dei, & utriuſque rei præmium habebit iu-
Pſal.119. ſtus. Aliter, qui timet præceptum, pacem aget: Pax multa diligentibus legem tuam.

& huic

A & huic ſenſui quadrat quod ſequitur. Cap. 13.

„ LEX ſapientis fons uitæ ad declinandum à laqueis mortis.

Non de ſapientia huius mundi loqui Salomonem, uel ex hoc loco manifeſtum eſt. Recte inſtructum eſſe præceptis & diſciplinis ſapientum, uehementer iuuat ad uniuerſam uitam recte tranſigendam. Nam qui ex lege ſapientis haurit, quaſi de fonte perennium aquarum bibit, quo in ſingulis uitæ muneribus inſtructus, facile declinet ab incõmodis & periculis huius uitæ, quibus ſtulti ueluti laqueis per imprudentiam capti &
B illaqueati, ante diem pereũt. Sed quanto magis amœna erit metaphora bonæ uitæ, ſi illas aquas intelligamus, quæ ex fide in Chriſtum ſaliunt in uitam æternam? Lex enim illius ſapientis uera uena eſt uiuarum aquarum, quas qui hauriunt, non ſitient in æternũ, *Ioan. 7.* neque rerum mundanarum deſideriis, tanquam illaqueatę auiculę, trahentur ad mortẽ.

„ DOCTRINA bona dabit gratiã, in itinere contemptorum uorago. *Heb.*

„ Intellectus bonus dabit gratiam, ſed uia tranſgreſſorum fortis.

Ex lege ſapientis, quæ fons eſt uitæ, ſanum intellectum, fidem & propoſitum concipiunt homines pij. Intellectus autem & mens digna Deo, maxime nos illi commendat, illius
C gratiã & fauorem nobis conciliat. Nam qui in intellectu recte inſtitutus eſt, (unde in omnes actiones lumen diffunditur) abſq; errore uitam tranſigit, iuxta illud Euangelij, Vide ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Hinc enim tanquam à fonte, actiones manant. Cæterum, *In itinere contemptorum uorago*,) ſiue uia trangreſſorum dura. Vita tranſgreſſorum, *Luc. 11.* qui tenebris errorum habent obſcuratum oculum mentis, ut male decernunt, ſic male agunt, fortis eſt & dura, difficillime corrigitur, ut qui in utroque errant intellectu, uidelicet ſpeculatiuo, qui male decernit, & practico, actionibus ſcilicet ex errore manantibus, dum non intelligit cæleſtium & terrenarum rerum, quàm latum ſit diſcrimen.
D Aliter, intellectus bonus, uel qui bonus eſt ſuo intellectu & prudentia, dabit magnam gratiam aliis, & ut ipſi concipiant rectam fidem, & gratiam inueniant in oculis multorum: ſed contra uiam & conſuetudinem uiuendi tranſgreſſorum, non prævalebit intellectus quantumuis bonus, quantumuis magna doctrina: ubi obduratum fuerit cor eorum, ſiue uiuendi modus conſuetudine induruerit, ad modũ ſemitæ ſæpius frequentatæ. Prouerbium docet intellectum & fidem integram in primis neceſſariam ad ſapientiam, hoc eſt ad probitatem uitæ.

„ ASTVTVS omnia agit cum conſilio, qui autem fatuus eſt, aperit ſtulti-
E tiam. Nuntius impij cadet in malum, legatus autem fidelis ſanitas.

Docet prior uerſiculus, nihil temere agendum: ſecundus monet, fideles habendos eſſe à ſecretis & adiutores: & uerti poteſt, omnia ſolet facere aſtutus, uel omnis aſtutus faciet in conſilio uel ſcientia: quaſi dicat, Magnum ſapientiæ argumentum eſt accipiendum in hominibus, à rebus quas moliuntur. Nam qui certo quodam conſilio, certa ratione faciunt omnia, ſunt uiri prudentes, ut qui antequã quicquam aggrediantur, difficultatem rei & exitum perpendunt: atq; ita uoti compotes fiunt. Stulti qui temere omnia agunt, & antequam turrim ædificare incipiant, iuxta parabolam euangelicam, non ſupputant *Luc. 14.*
F ſumptus, dum conatus male ſibi cadunt, palam fit illorum ſtultitia. Hæc nõ ſolum in caducis rebus, aſtutia tenenda eſt, ſed etiam in his quæ ad ſalutẽ ſpectant: ne de nobis dicatur, Hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit cõſummare. Et ad eos maxime locus ſpectare uidetur, quos Chriſtus monuit, Eſtote prudentes ſicut ſerpẽtes: cui quadrat uerſus ſequẽs, Iniquus ſiue improbus nuntius, qui mala fide obit legationem domini ſui, neque apoſtolico functus eſt munere fideliter, in malum corruet, utputa qui multis ruinæ cauſa extitit. Quod ad hiſtoricum ſenſum propius ſpectat, ad utrumque referri poteſt, In malum corruet, nempe uel ad eum qui improbum nuntium mittit, uel ad nuntium qui miſſus eſt: porrò quòd ſibi ipſi damnum frequenter conciliat nuntius, qui fraudem aliis molitur, uel quòd ei à quo miſſus eſt inferat damnum. Denique & nuntius improbi *Matt. 10.*

uerti poteſt, ut ſit ſenſus (qui maxime mihi arridet) Nuntius ſiue legatus, quem mittit G
improbus, uel cui mandantur impia, corruet, id eſt fruſtrabitur ſua legatione: & tam ſibi
quàm mittenti dedecus adferet, & de gradu honoris, quem legatis & nũciis bonis habe-
re ſolemus, corruet. Contrà legatus ueritatis, qui uera narrat, uelut ſanitas eſt, dũ utrin-
que læſos animos, & offenſos calumniis & falſis rumoribus, reuocat ad concordiam:
uel dum omnia ut ſeſe habent referens, ambiguitatem & errores maximos animo
morbos expellit. Hæc omnia bonis & fidis concionatoribus, & magiſtris errorum re-
ctiſsime quadrant.

» EGESTAS & ignominia ei qui deſerit diſciplinam: qui autem acquie- H
» ſcit arguenti, glorificabitur. *Heb.* Qui obſeruat increpationem, honorabitur.
Quàm neceſſaria ſit caſtigatio, paſsim in hoc libello oſtendit ſapiens, ut ſine qua ad fru-
gem uix poſsit peruenire humana fragilitas, imo fere ad ſummam egeſtatem & ignomi
niam, qui ſuorum parentum & præceptorum non ferũt: correctionem, deueniunt. Cæte-
rum qui diligenter obſeruant diſciplinam, quam uel acceperunt à parentibus & doctis
hominibus, uel quam aliorum exemplo didicerunt, honorem facile conſequentur
apud Deum omnium patrem, diſciplinam & correctionem contra uitia omnibus in-
Roma. 2. fligentem: iuxta illud Pauli, Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum. I
פורע מוסר, id eſt, qui deſerit diſciplinã, multis modis uerti poteſt, Qui ſubtrahit ſe à di-
ſciplina: nam uerbum Hebræum פרע, ſubtrahere, elongare, ceſſare, & quod huic loco
maxime quadrat, rebellare ſignificat: & erit ſenſus, Egeſtas & ignominia erit ei, qui re-
bellis eſt diſciplinæ, & correctioni. Caldæus מרישׁ מרותא, qui conculcat diſciplinam.
Septuaginta inuerſo ſermonis ordine, alium ſenſum reddiderunt, nempe, πενίαν καὶ ἀτι-
μίαν ἀφαιρεῖται παιδεία, paupertatem & ignominiam aufert diſciplina. Iuxta id quod
ſæpiſsime uſu uenire ſolet loquitur ſapiens: admonitionem iuuenibus proponit, oſten-
dens & quanta mala ſolent comitari illos, qui non obtemperant caſtigationibus maio-
rum (ſunt enim paupertas & ignominia, mala quæ maxime refugiunt homines) con- K
tra qui libenter admittunt, caſtigationem maiorum, aſſequuntur honores, ſupremum
inter mortales gradum.

» DESIDERIVM ſi compleatur, delectat animam: deteſtantur ſtulti eos
» qui fugiunt mala. Qui cum ſapiẽtibus graditur, ſapiens erit: Amicus ſtulto-
» rum ſimilis efficietur. *Heb.* Deſiderium quod factum eſt animo dulceſcere
» ſolet: abominatio ſtultorum eſt, qui recedit à malo. Qui ambulat cum ſa-
» pientibus, ſapientiam aſſequetur: ſed qui ſocius eſt ſtultorum, male uel in- L
» fœliciter aget.
Ex ſuperiore uerſiculo pendet prior ex his duobus, quo oſtenditur quid conſequantur
hi, qui monitoribus & caſtigantibus non obtemperant, ſed ſuum magis ſequuntur deſi-
derium, breuẽ uidelicet uoluptatem, quę pro tempore illorum animis dulceſcit. Sed hi
uehementer mali euadunt, & ſtulti: & tantum abeſt ut reſipiſcant poſteaquam aliquan-
diu iuxta deſideria ſua uixerint, ut ea de re audire non ſuſtineant, ſed execrantur eos, qui
conantur reducere illos à malo, cui iam aſſueuerunt: deſideria ſtulta ſectãtes, ſtulti eua- M
dunt, ut iam inter bonum & malum diſcernere nequeant. Poteſt prior pars uerſiculi, in
bonam partem intelligi, & ex ſuperiori uerſiculo ſic pendere, ut confirmet quæ dicta
ſunt de fructu caſtigationis: quæ tametſi amara uideatur & aſpera, tamen ſi quis ſponte
obtemperet bene monentibus, & cum deſiderio faciat, quæ per diſciplinam faciẽda di-
dicerit, multa amœnitate & dulcedine animi perfruetur: imprudentibus uero & ſtultis
hominibus, omnis uoluptas eſt in malo, à quo recedere ualde abſurdum illis uidetur,
ne dicam abominandum. Poteſt denique iuxta proprietatem ſermonis Hebraici, in con
trarium ſenſum intelligi prima clauſula, nempe, *Deſiderium ſi compleatur:*) nam uer-
bum נהיה Hebræis ſignificat non ſolum fieri, ſed rumpi uel confringi: & ſenſus
erit egregius, iuxta Leui Ben Gerſon. Deſiderium abruptum, & uoluptas cohibita, dul-

ceſſet

A ceſcet,& amœnitatem adferet animo ſapienti & recte inſtituto per diſciplinam maiorũ. Cap. 13.
Huc ſpectat ſequens uerſiculus,uidelicet *Qui graditur cum ſapientibus, ſapiens erit.*) Huius
mundi ſapientes de ſe multa iactant,& ueluti Deos inter homines ſeſe exiſtimant, cum
paucorum ſit ad ſummum philoſophiæ faſtigium peruenire. Verum facilis eſt admodũ
hæc diuina ſapientia, quæ nemini non eſt obuia, ad quam perdiſcendam,neque ſubtili
ingenio,neque magna librorum copia eſt opus: imò opere quotidiano & uſu,maxime
perdocetur, & bonorum exemplo, ſuſcepta diſciplina & caſtigatione ab his qui bene
monent. Cum uiris ſapientibus qui ædificandam domum ſuper petram indicauerunt, *Matt. 7.*
B conſueſcas oportet,& eorum uirtutes imitari,ac ueluti gradibus quibuſdam eorum ue-
ſtigiis inſiſtere: atque ea ratione ſapientiam facillime aſſequeris. Fere enim tales euadi-
mus, quales ſunt illi quorum conſuetudine nos oblectamur. Vnde ſequitur in Hebræo.
Amicus ſtultorum confringetur,uel male aget. Eſt admodum iucunda alluſio in uoci-
bus Hebræis, רועה ירוע, amicus & cõfringetur.quaſi dicat,Non ſolum ſtultitiam acqui
ret, uerum etiam in damnum aliquod grauiſsimum & extremum malum corruet, &
more fictilis uaſis confractus, inutilis erit. Iuxta alia ſignificata huius uerbi ירוע paulo
diuerſus erit ſenſus: nẽpe amicus & ſocius ſtultorum malis afficietur ab illis,ſiue etiam
ſocius erit & particeps ſtultitiæ illorum,ſicut qui graditur cum ſapientibus,ſapientiam
C capiet ab illis. Beda, per amicos ſtultorum,eos qui mimis,hiſtrionibus,& aliis id genus
hominum fere gaudent,intelligit.

» PECCATORES perſequitur malum, & iuſtis retribuentur bona. *Heb.*
» Iuſtis retribuet bonum (ſup. ille qui retribuit) nempe Deus.

Vehementer deterret peccatores & alios,ne illorum conſuetudine gaudeant,iuxta ſen-
ſum præcedentis uerſiculi. Sunt multi potentes, qui quanuis grauiter peccent,ſe tamen
ob potentiam à nemine quicquam paſſuros opinantur: ſunt qui occulte horrenda com-
D mittunt peccata,quæ ad lucem uentura non exiſtimant: ſunt qui pœnam peccatis debi-
tam non putant: omnes hos redarguit ſapiens, oſtendens malum ipſum quod faciunt,
peccatores perſequi,etiamſi nullus alius accedat uel iudex uel uindex. Stimulis conſciẽ-
tiæ,ueluti furiis quibuſdam ſubinde uexati, ſcelerum ſuorum manifeſtiſsimas nonnun-
quam dant pœnas,& ceſſantibus aliis ſeipſos accuſant,& ad condẽnationem peruenĩũt,
aut quod miſerius eſt,æterno iudicio & condemnationi reſeruantur,& proinde non ſo-
lum peccata committenda non ſunt,ſed etiam à peccatorum commercio fugiẽdum eſt,
ne mali illius ſis particeps,quod peccatores inſequitur quotidie,& aliquando apprehen-
det. Si exponatur uerſiculus uelut à ſuperiore pendens,erit ſenſus, qui graditur cum pec
E catoribus,ueniet malum illi,& bonum retribuetur illi,qui cum iuſtis graditur: ut ſubau
diatur particula את cum חטאים, quemadmodum cum צדיקים. in Heb. legitur. Optimus
& ſimpliciſsimus ſenſus eſt,ut intelligamus peccatores aliquando puniẽdos, & quanuis
aliquãdiu ſuppliciũ fugiant,tamen malo eos perſequente,aliquãdo capiendos. In ſecun
da clauſula uerſiculi,conſtãs opinio eſt Hebr. ut ſubaudiatur, Deus reddet iuſtis bonũ,
hoc eſt,mercedẽ bonã: ut malorũ pœna ĩtelligatur ex ipſo malo quodãmodo naſci: Verũ
p̃miũ bonorũ,ex Dei benignitate,nõ ſolũ ex meritis iuſtorũ pẽdere. Sẽſus deniq; uerſicu
li nõ erit multũ alienus ab illo Pauli, Stipẽdia peccati mors,gratia autẽ Dei,uita ęterna. *Rom. 6.*

F BONVS relinquet hæredes filios & nepotes,& cuſtoditur iuſto ſubſtãtia
» peccatoris. *In Heb.* Hæreditare faciet, uel hęreditatẽ relinquet filiis filiorum.

Oſtẽdit etiã hoc uerſiculo,q̃ diuerſus ſit exitus bonorũ & malorũ, quod ad poſteritatẽ
ſpectat,& nepotũ ac pronepotũ ſucceſsionẽ: in quibus quodãmodo immortales uidẽtur
eſſe pij homines. Bonis inquã ſpẽ præbet ſapiẽs,& ad pietatẽ ac probitatẽ uehemẽter hor-
tatur,cũ nõ ſibi ſolũ,ſed poſteris etiã p̃futura ſit. Vt quę hæreditatẽ ſtabilẽ & permanẽtẽ,
filiis eorũ nepotibuſq; relinquat. Nos nõ ut Hebræi, de ſola terrena ſubſtãtia, & huius
mũdi opibus putamus intelligẽdũ quod ſcribitur, ſed etiã de animi bonis & uirtutibus,
quę ob merita maiorũ,trãsfũdi ſolẽt in poſteros. O fœlicẽ hæreditatẽ,quã bon⁹ ille nobis *1. Petr. 1.*
reliquit ĩcorruptibilẽ & ĩcõtaminatã,cõſeruatã in cęlis,ut eſſem⁹ hęredes Dei,cohęredes *Rom. 8.*

autẽ Christi. Iuxta sensum historicũ, Bonus & probus uir quæcũq; fecerit prosperabuntur, opes quas relinquit suis, non hæredibus solũ, sed filiis & nepotibus proderũt. Cõtrà, opes peccatorum, quę per rapinam aut malas artes sunt acquisitæ, neque filiis neq; hæredibus prodesse solent, sed quicquid reconditum est, & in thesauris relictum à peccatore, in usus iustorũ seruatur. Aben Hezra legit, non ut nos וצפץ & absconditur, sed יצפץ abscondet, & subintelligit Deus, recõdet iusto opes peccatoris: & interpretatur per similem locum, Improbus præparabit, & iustus induet. Bedade terrena substantia intelligi non posse ostendit, cum mali frequenter rapiant bona iustorum, iuxta illud Pauli, Rapinam bonorum uestrorum cum gaudio suscepistis. Mystice, substantia cælestis, hoc est uinea domini & lex, cum cæteris bonis olim Iudæis reposita, ab eis tanquam malis agricolis ablata, Gentibus locantur in sanguine Christi iustificatis. G H

» MVLTI cibi in noualibus patrum, & aliis congregantur absque iudicio.
» Hebræum, Multus cibus in noualibus principum, & est qui perit cum non
» sit iudicium, uel sine facultate.

Iuxta ambiguitatem linguæ uerti potest, multus cibus in noualibus pauperum: ut Caldæus מסכינא pauperis. Commendatur labor rusticanus & agricultura, ut res summopere necessaria, & reliquæ artes laudabiles, quibus parantur opes hæredibus relinquendæ: de qua hæreditate superiore uersiculo disseruimus. Eadem metaphora usus est propheta Osee 10. Innouate uobis nouale, siue arate arationem, significãs assiduum laborem peccatoribus necessarium, si ex corde, tanquam ex agro, messem aliquam uirtutum facere uelint. Si uertatur nouale principum, siue ager pauperum profert multum annonæ, uersio reprehẽdi non potest. Quod sequitur, *Aliis congregantur absque iudicio*) iuxta ueritatẽ Hebræam defendi potest. Nam uerbum Hebræum ספה non solum perdere, sed addere siue congregare significat. Et bene quadrabit sensus, ut intelligamus, absque iudicio collecta, quæ à maioribus tradita sunt, quando (ut inquit Petrus) indocti & instabiles illa deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Priorem significationem posteriores secuti sunt interpretes, & etiam antiqui, ut testatur Beda: quam Caldæus quoque paraphrastes habet מתנגיד בלא דינא, & est uir deficiens sine iudicio, & potest referri ad agrum, siue nouale: quasi dicat, ager perit absque iudicio, quia rite non colitur, neque iuxta consuetudinem: sed melius iuxta Caldæum ad hominem refertur, qui perit & ad egestatem peruenit, eò quòd bono iudicio, siue facultate colendis agris sese non exerceat: sed optime ad cibum refertur, siue annonam, quæ frequenter agricolis perit, dum non legitimo tempore dispensatur, uel dum hæredibus parum frugi relinquitur. Doctorum denique & piorum hominum opuscula: imò scripturæ sacrę quoque quodammodo perire uidentur, dum ex illis fructus non accipiunt homines, aut dum deprauantur absque iudicio intellectæ. Videtur Salomon pro singulari sua sapientia, uoluisse utranque significationem huius uerbi comprehendere, perire & congregare, ut non sit opus extrinsecus aliquid supplere: sed est qui perit, nempe cibus collectus absque iudicio, siue reconditus præter æquum & bonum. Est enim uox ambigua ראשים principes significans: uel pauperes, qui solent magis uacare colendis agris, quàm principes. 2. Pet. 3. I K L M

» QVI parcit uirgæ, odit filium suum: qui autem diligit filium, illum instan-
» ter erudit. Aliter, qui prohibet uirgam.

Beda uult hunc uersiculum sic ex superiore dependere, quasi dicat, Re uera nullus cibus relinquitur posteris à maioribus, qui boni fuerunt agricolæ: sed filiis eorum non proderit, nisi recte instituantur, & castigentur etiamnum pueri. Neque dici potest charus & amans pater, qui filio hæreditatem relinquit locupletem, qui horrea plena pro liberis collegit: sed is tandem pater chare & unice filium diligit, qui castigatum & bonis moribus instructum relinquit filium. Bene uertit interpres, instanter erudit eum. Hebræa uox שחרן, ab aurora significationem habet: quasi dicat,

Singulis

A Singulis auroris erudiet eum,uel mane inſtillabit illi diſciplinam. Caldæus מקדם ליה מורדותא, præuenit eum diſciplina: quaſi dicat, ſingulis auroris prioris diei errores caſtigans,quod maximi amoris argumentum eſt,cum nullius rei maiorem curam, quàm filij recte inſtituēdi habeat.Hunc ſenſum de caſtigatione matutina ſequitur Aben Hezra.Alij ab inueſtigando, ſenſum loci deducūt.Significat enim שחר inueſtigare, & erit ſenſus,Qui amat.ſ.filium,quæſiuit illi diſciplinam:quaſi dicat,quęſiuit pro illo pręcepto rem,qui corrigat eum. Vel denique,quæſiuit modum corrigendi filium maxime idoneum.Prior expoſitio eſt melior. Cap. 13.

B IVSTVS comedit & replet animam ſuam,uenter autem impiorum inſaturabilis.Aliter,uenter impiorum deficiet.

Videtur etiam hic uerſiculus ad ſuperiorem ſpectare, ubi de multo cibo facta eſt mentio, quem iuſtis nunquam deeſſe, hoc loco oſtendit: imo ſemper eorum ſatisfieri uentri, præſertim cum iuſtus ſemper præſentibus ſit contentus. Delicias non quærat, ſed de pauperibus magis ſit ſolicitus quàm de ſuo uentre: qui cum Paulo didicit, & ſatiari & eſurire, abundare & penuriam pati. Non uidi iuſtum derelictum 2. Cor. 6.
C nec ſemen eius quęrens panem. Iuſtus omnem ſolicitudinem & curam ſuper Deum iacta, qui eū enutriet utroque pane, corporis uidelicet & animæ,qui cùm coruos paſcat, & per coruos prophetas, potius ex lapidibus panes faciet, quàm iuſtum fame perire ſinat, niſi fortaſsis per martyrij tolerantiam, quo immarceſsibilem coronam gloriæ percipiat: *Sed uenter impiorum inſatiabilis.)* Vt enim iuſtus iuxta naturæ modum pauciſsimis eſt contentus, ita impij nunquam ſaturantur deſiderio habendi: nam ad inſatiabilē theſaurizandi cupidinem, uerſiculum magis referunt Hebræi, quàm ad comeſtionem cibi. Verum cum dicat ſcriptura,uenter impiorum deficiet(ut eſt in Hebræo)ſenſum habebit,iuxta Paulum,Eſca uentri,& uenter eſcis:Deus autē,& hūc & illum deſtruet.quaſi dicat,Improbi uiri qui fiduciam & ſpem in Deo non collocant, pro præſenti uita uehe- 1. Cor. 6.
D menter ſunt ſolliciti. Simpliciſsimus ſenſus eſt huius loci, Iuſtos fere, qui moderate uiuunt, perpetua uentriculi ſanitate,animæ,hoc eſt naturali deſiderio, ſatisfacere in cibo: Improbos autem,qui uentri nimium indulgent,ſubinde langueſcente & deficiente ſtomacho etiam delicias faſtidire. Beda ad cibum ſpiritualem traducit locū: Cuius magna copia eſt in noualibus patrum,& opuſculis doctorum,quibus libenter fruitur iuſtus, & replet animum cęleſti cibo,& doctrina apoſtolica: quam cùm ſine iudicio colligant hæretici,ſaturari eccleſiaſtica ſcientia nolunt: utputa in qua digerenda eorum uenter defi- Matt. 9.
E cit.Non enim ſunt capaces Iudæi noui muſti,utres uidelicet ueteres.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SAPIENS mulier ædificat domum ſuam: Inſipiēs extructam quoque manibus deſtruet. *Hebr.* Sapientes mulieres ædificauit.

F Quaſi dicat,ex ſapientibus mulieribus unaquęque.Quanuis ſapientia potiſsimum ad uirum ſpectat,qui caput eſt mulieris, & qui in mulierē propter tranſgreſsionem, imperiū accepit à Deo, tamen mulieris ope in re domeſtica uir indiget plurimum, præſertim ſi filios recte educare, & caſtigare uelit,ſi filiis nepotibúſque hęreditatem copioſam relinquere.quibus de rebus ſuperius diſſeruimus.Sapiens metaphorice per ædificationem, & deſtructionem domus, rectam rei domeſticæ adminiſtrationem indicat.Ac ſi diceret,pręſtaret ædes non habere,familiam nō alere,quàm ſtultæ & uecordi mulieri illius curam committere: nam familia lignis & lapidibus non conſtruitur,ſed recta filiorum educatione, ac moderatione rei domeſticæ:quæ res ad uxorem maxime ſpectat, iuxta illud Pauli: Saluabitur autem per filiorum generationem,ſi permāſerit in fide & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate: nam 1. Timo. 2.

iuxta ſuas uirtutes filios inſtruet: quẽ ſenſum ex Paulo ſi capiamus,qui eſt ſenſus ſanus, G
non admodum refert,ſiue legamus,ſi permanſerit,ut ad matrem referatur, ſiue permãſerint,ut ad filios. Quod dicit,Manibus ſuis ſubuertit eam,indicat familiam non poſſe gubernari neque conſiſtere,quæ ſtultæ mulieri committitur, quæ dum neq; auget opes ſua induſtria, neque conſeruat, perinde facit ac ſi admotis manibus domum paulatim demoliretur. Si ad mẽtem referatur, cuius ſapiẽtia inferiores potentiæ refrenantur,ſiue ad eccleſiam quæ domus Dei eſt, cuius ſalus in prudenti moderatione paſtorum & doctorum conſiſtit,ſenſus erit ſublimior.

„ AMBVLANS recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui H
„ infami graditur uia. *Heb.* Ambulans in rectitudine ſua,timet dominum:
„ ſed peruerſus uiis ſuis,deſpicit eum.

Septuaginta interpretes, ὁ δὲ σκολιάζων ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ ἀτιμασθήσεται, At qui tortuo-
Prouer. 1. ſe incedit in uiis ſuis inhonorabitur. Cum alibi ſcribitur, Initium ſapientiæ timor domini: uerti poteſt uerſiculus ad hunc modum, Timens dominum ambulat in rectitudine ſua, hoc eſt in præceptis domini, non declinans neque ad dextram neque ad ſiniſtram, & huic ſenſui quadrabit ſecunda clauſula uerſiculi, ſic uerſa: Qui deſpicit dominum,peruerſus eſt in uiis eius, ut pronomina in rectitudine eius, & in uiis eius,ad dominũ referantur:& probatio dilectionis & timoris,erit oſtenſio operis. Quod ſi in rectitudine ſua,ad ambulantem referas, melius habet filum cõtextus ſequi, hoc eſt ordinem uerborum,& dicere,Si quis recte ambulat,hinc prouenit quòd timeat Deum: & contrà qui peruertit uias ſuas, & male uiuit, contemnit Deum, quaſi res mortalium non curaret: ac ſi dicat,Nemo ſe iactet, quòd Deum timeat,quòd in Deum credat,cùm uias rectas,quæ Dei ſunt mandata,non obſeruet,ne mendax reperiatur.Non obſtat Hebræum,quominus ſenſus eliciatur ille,quem reddit interpres noſter: ut intelligamus illum,qui per timorem Dei recte incedit,contemptum eſſe ab eo, qui peruertit uias ſuas: K
ea eſt enim improborum hominum peruerſitas,ut niſi omnes tales efficiant quales ipſi ſunt,non quieſcunt,neque in pretio habent alios,iuxta id quod ſequitur. I

„ IN ore ſtulti uirga ſuperbiæ,labia ſapientum cuſtodiunt eos.

Bene agitur,quòd ſtultis hominibus, qui recte gradientes contemnunt, uires nonnunquam deſint: nam alioqui,quos contemnunt,iniuria afficerent: ſed quanuis uires & authoritas nonnunquam deſint,peruerſam tamen linguam, qua ueluti uirga ſeu baculo, (ut eſt in Hebræo) uapulant optimi quique,ſemper geſtant in ore, & quanuis mali ſint, tamen ſeipſos lingua ueluti baculo defendunt, & alios infamia aſpergunt, quod longe L
eſt arrogantiſsimum.Metaphora uirgæ, ſiue baculi, indicat continuam nocendi facultatem & promptitudinem.Propter id quod ſequitur,intelligi poteſt,ſtultos & imprudẽtes homines baculum ſecum geſtare, nempe linguam ſuperbiæ, qua ſe iactant & laudant,alios contemnũt & uituperant:uerum nonnunquam ſua lingua ueluti baculo caſtigantur,& dant pœnas ſtultitiæ ſuæ: & dum damnum aliis inferre conantur, ipſi merito patiuntur. ita fere fit:nam loquacitas ſine prudentia,multa adfert incommoda. Contrà,*Labia ſapientum cuſtodiunt eos.*)Viri prudentes per ſermonẽ doctum ubique tuti ſunt, M
cum uerbis & lingua nemini damnum inferant,multo minus ſibiipſis: imò ſermone ſapientiæ,contra ſtultorum linguam ſeſe defendunt.

„ VBI non ſunt boues,præſepe uacuum eſt: Vbi autem plurimæ ſegetes,ibi
„ manifeſta fortitudo bouis.

Aliter: Multitudo,uel copia annonæ eſt in fortitudine bouis.Septua.οὗ μὴ εἰσὶ βόες, φάτναι καθαραί,Vbi nõ ſunt boues,præſepe mundum eſt.Haud ita multum refert:nam præſepe mundum dici poteſt uacuum.Verſiculus oſtẽdit,ut agricultura non poteſt eſſe abſque labore boum,ita neque armenta boum recte nutriri, niſi ubi fuerit copia annonæ: quaſi dicat,patribus familiarum qui agros bene colere uolunt,danda eſt opera, ut bene

boues

A boues nutriant. nam ex his duabus rebus, altera alterius eget ope. Qui amat uidere Cap. 14.
præsepe mundum, hoc est qui nutriendis bobus operam nolit dare, frustra ex agris copiosum prouentū expectabit. Si uox בר, quę triticū significat, in eo sensu capiatur, erit intelligentia paulo diuersa, nēpe huiusmodi, Vbi non sunt boues, non est in præsepe triticum uel segetes: hoc est, qui non alit boues, caret annona in ædibus. Nam per præsepe intelligit Leui Ben Gerson, apothecas frumēti siue granariū. Nō solum aratur terra, sed stercoratur quoq; dū boues in pręsepe pascūtur. In sensu sublimiore, doctissime interpretatur Beda de pastoribus, qui dum ecclesias uacuas esse non sinūt, sed doctis sermonibus
B populū ueluti in præsepe retinent, sua uirtute & labore copiosam uirtutū & bonorum operū messem colligunt: ex qua & ipsi cælestem capiunt alimoniam. Et in talibus locum habet quod modo lectum est, Labia sapientum custodient eos, dum in opere & uerbo sapienter subditum sibi populum gubernant. Sunt ex Hebræis, qui hunc uersiculum exempli causa proponi existimāt à Salomone, his qui sapientiæ & legis mosaicæ sunt studiosi, ut ab agricolis discant nullos recusare neque sumptus neque labores, sed pręceptores ueluti boues nutriant, & ipsi sudores ueluti agricolæ subeant.

» TESTIS fidelis non mentietur, profert autem mendacium dolosus testis.

C Simplex sermo uidetur nihil habere altioris sensus aut prouerbialis, nisi ad uaria referantur hæc duo uerba, uerum dicere & testificari, ut uersiculus doceat nullo modo esse mentiendum. Nam qui assuescunt mentiri, (quod leue putatur, si fiat citra iuiuriam & damnum alterius) tamen consuetudine mentiendi, eò malorum ueniunt aliquando, ut ad falsum testimonium ferendum accedant: quod cum ubique detestandum sit, tum maxime in re sacra. Et proinde cum omnes homines ueritatem loqui deceat, tum eos præcipue, qui sacris concionibus destinantur: in quibus tanto periculosius falsum profertur testimonium, quanto salus animorum quàm corporum, aut rerum temporalium
D dispendium, nobis charior esse debet. Non mentietur qui uult esse & haberi testis ueritatis: hoc est, qui sibi fidem haberi uult in rebus maioris momenti, ab omni mendacio pura labia seruet: nam qui frequenter loquitur mendacia, habebitur testis mendax. Verbis diuersis eandem rem bis expressit Salomon: & iuxta hunc sensum exponit Dauid Chimhi. Qui uult haberi testis fidelis, ab omni mendacio & dolo debet esse alienus. Vulgo enim dicimus, hoc solum lucrari mēdaces, ut cum uerū dicant, nemo illis credat.

» QVAERIT derisor sapientiam & non inuenit, doctrina prudentium facilis. *Hebræum*, Scientia intelligenti est leuis.

E Seriis rebus & honestis disciplinis statim ab ineunte ætate uacandum est, iis qui ad frugem peruenire uolunt: Nam ubi derisor euasit quis, non inueniet sapientiam. Qua in re parentes solent esse negligentes, qui cum permiserint liberis ad annos aliquot nugas agere, ad sanam mentem & studium bonarum artium reducere non possunt. Cæterum doctrina prudentium est facilis. Hebr. *Scientia intelligenti est facilis*. Cordati iuuenes qui ualent mente & intelligentia, hoc est quorum animi non sunt uitiis imbuti, facillime discunt scientias honestas & utiles, ad reliquam uitam transigendam. Potest intelligi, quasi
F admoneret omnes quotquot sapientiæ participes esse uolunt, ut relictis nugis, omnia cum moderatione & iudicio agant: Nam fieri non potest, ut quis in sapientię studio promoueat, nisi relictis omnibus uitiis, totus huic rei se dedat, Iuxta Septuag. qui sic uertunt hūc uersum, ζητήσεις σοφίαν παρὰ κακοῖς, καὶ οὐχ ἑυρήσεις· ἄισθησις δὲ, παρὰ φρονίμοις ἑυχερής. Quæres sapientiam apud malos, & non inuenies: sensus autem, apud prudentes facilis. Monemur ne quæramus sapientiam uel doctrinam ab illusoribus & malis hominibus, apud quos nō potest inueniri, sed à prudētibus & doctis qui bene uiuūt, & recte credūt, & facile inueniemus. Quod si per sapientiā Christū intelligamus, quę derisores Iudæi & Pagani nō possunt inuenire, quāuis sedulo suū messiā quærāt, & per intelligentē fideles quibus scientia euangelica facilis est, iuxta illud, Omnia possibilia sunt credenti, erit allegoria satis amœna.

» VADE contra uirum ſtultum,& neſcito labia prudentiæ. G

Quando ſtulti deriſores neque ſciunt,neque diſcere poſſunt ſapientiam, non eſt quòd quis eorum quærat conſuetudinem,quam Salomon fugiẽdam in hoc uerſiculo monet: & uocem מנגד, quam interpres reddit cõtra, procul & è longinquo exponũt Hebræi, & hunc ſenſum reddunt,Vade procul à uiro ſtulto,& ne acceſſeris ad eum,& procul ab omni homine,quem noueris non habere labia ſcientiæ: nam ab huiuſmodi nihil diſces niſi malum.Vel illud,*Neſcito labia ſcientiæ*,) hunc habet ſenſum,Contine & ſerua labia ſcientiæ,& abſconde ſcientiam,ſimula te ſciẽtiam non habere, & ſtatim cognoſces quis ſtultus ſit: nam alioqui non cognoſces niſi tuo ſilentio dederis illi facultatem loquendi. H Iuxta noſtrum interpretem,& aliquot ex Hebræis ſimplex eſt expoſitio,Si quis uadat è regione ſtulti,& frequenter illi occurrat, & ſeſe illius oblectet conſuetudine, ignorabit
Matt. 7. labia ſcientiæ, hoc eſt docte & prudenter loqui non poterit. Sicut de ſpinis non colligunt ficus: ita de ſtultis hominibus qui Deum ignorant, diſcere non poſſumus ſcientiam Dei,& bene uiuendi præcepta. Docet prouerbium, declinandam ſocietatem ſtultorum hominum,ut à quibus nullum fructum licet carpere.

» SAPIENTIA callidi eſt intelligere uiam ſuam,& imprudentia ſtul-
» torum errans. *Heb.* Stultitia ſtultorum dolus:uel ſcilicet intelligere dolum, I
» eſt ſtultitia ſtulti.

Quod omnes fere ſcripturæ ſonant,docet uerſiculus,nimirum,Sapientiam ueram conſiſtere in actione & praxi,non in ſcientia ſolum:nam ſcientia inflat. Via cõſuetudinem morum,& actiones ſtudioſas ſignificat, quas recte intelligere, ut cum omni debita circunſtantia fiant,præcipua pars eſt ſapientiæ.Cæterum,quemadmodum ſapiens oſtenditur,qui recte nouit uias ſuas & actiones moderari: ſic ſtultitia ſtultorum, hoc eſt infidelium & hæreticorum,maxime apparet dum dolos nectunt,& alios decipere ſtudẽt,dum K non ſatis habent ipſi ſtulte uiuere,à ueritate errare,ſed intelligere laborãt dolos & technas:quibus in errores ſimplices deducant, hæc ſumma ſtultitia & impietas eſt. Quæ diximus modo,bonis & malis doctoribus maxime quadrant,inter quos illi ſapientes habentur,& ualde callidi ſiue cauti,hoc eſt,prudentes, (nam in bonam partem uox ערום Hebræis accipitur) ſi præter hoc quod ſapienter docent, etiam ſuam uitam intelligant & corrigant.Cæterum malorum ſtultitia doctorum,non tam ex operibus eorum & externa uita, (quam per hypocriſim frequenter occultant) apparet, quàm quòd ſoli errare & ſtulteſcere nolunt,niſi aliorum fidem per fraudem ſubuertere moliantur. Non erit ſenſus abſurdus, ſi iuxta Hebræorum aliquos exponamus. Quemadmodum ſapientia L callidi iuuat eum ad intelligendam uiam ſuam,ſic ſtultitia ſtulti ad dolum adducit, ut ſeipſum maxime decipiat,& prouerbij ſpeciem habet magis concinnam.

» STVLTVS illudet peccatum, & inter iuſtos morabitur gratia. *Heb.*
» Inter rectos beneuolentia.

Duplex ſignificatio unius uerbi לוץ, quod deridere,& loqui ſiue interpretari ſignificat,duplicem ſenſum efficit huius prouerbij: priorem ſignificationem ſequutus eſt interpres,poſteriorem omnes Hebræi. Et per ſermonem diſtinguit ſcriptura inter bonos M & malos,ſiue ſtultos & rectos,hoc eſt iuſtos. Nam ex abundantia cordis os loquitur, & ſtulti libenter loquũtur uerba delicti & offenſionis. Aliter,apud ſtultos facile diſcet ali-
Epheſ.5. quis loqui de his peccatis,quæ ne nominari quidem decet inter ſanctos:& proinde ſocietatem malorũ fugere docemur, ne cogamur audire ſermones, qui ad delinquendũ prouocãt.Imo quãto ſatius eſt,uerſari cum rectis & piis hominibus,inter quos uerba audias beneuolentiæ,ſiue dilectionis?Iuxta noſtrum interpretẽ,latiſsimum diſcrimen oſtenditur inter iniquos, quos ſtultos uocat, & iuſtos quos rectos appellat: nam illi derident cum peccauerint,pro ludo habent delinquere, & Deum offendere: recti uero modis omnibus Dei uoluntatem quærunt. Poteſt gratia uel beneuolentia, ad homines referri,

ut ſit

A ut ſit ſenſus: Stulti derident cum deliquerint & offenderint homines, iuſti uero omnibus conantur ſatisfacere, iuxta illud Pauli, Cum omnibus hominibus pacem habentes quantum in uobis eſt. Cap. 14. *Rom.* 12.

„ COR quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcetur
„ extraneus. *Heb.* Cor cognoſcit amaritudinem animæ ſuæ, & in lætitia eius
„ non miſcebit ſeſe extraneus.

Relatiuum quod redundat, in Hebræo non habetur, nec in Septuag. ſed illi longe rece-
B dunt ab Hebræo, ſic uertentes, καρδία ἀνδρὸς αἰθητικὴ, λυπηρὰ ψυχὴ αὐτοῦ, cor uiri ſenſitiuum, mœſta anima eius. Verſiculus ad pœnitentiam inuitat ſtultos, de quibus in ſuperiore uerſiculo facta eſt mentio, ut non loquantur cum irriſione de peccatis, neque lætentur cum malefecerint, ſed magis ex animo doleant, quo poſsint aliquando ex animo gaudere: iuxta illud Pauli, Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſa- *2. Cor. 7.*
lutem ſtabilem operatur, ſeculi autem triſtitia mortem operatur. לב cor, pro ſuperiore portione animæ: נפש animã uero, pro ſenſitiua parte intelligũt Hebręi. Mens hominis cognoſcit libenter, & amat amaritudinem animæ, & triſtitiam de peccatis: uel, cor, hoc eſt intellectus & animus, cognoſcit, & particeps eſt triſtitiæ & amaritudinis ſuſceptę uo-
C luntariæ pro peccatis, per quam ſalutem aſſequitur & lætitiam, in qua non miſcebitur alienus. Lætitiã futuri ſeculi intelligunt etiam Hebręi, quæ pura eſt: nam in hoc mundo nullum eſt gaudium, cuius extremum non occupet luctus. Ad illud uero gaudium an- *Prou. 19.*
gelorum, per amaritudinem peruenitur, cuius participes ſunt duntaxat domeſtici fidei, non prophani cultus aut religionis ſectatores. Aliter, extraneus uel alienus ab amaritudine & triſtitia, quam cordatus homo de peccatis ſuis libenter concipit in animo, nõ miſcebitur (inquam) in gaudio illius, qui nunc non triſtatur de peccatis. In eos proprie quadrat uerſiculus, qui triſtitiam & contritionem in peccatoribus damnant, cuius cum par-
D ticipes eſſe nolunt, neque gaudiorum aliquando erunt participes, quæ præparantur his qui pœnitentiam agunt. Sic enim legimus, Maius gaudium erit angelis Dei de uno pec- *Luc. 15.*
catore pœnitentiam agente.

„ DOMVS impiorum delebitur, & tabernacula iuſtorum germinabunt.

Rectorum pro iuſtorum habet Hebræa ueritas. Impij ex ſpoliis pauperum & rapinis, ex opibus male partis ædificant ſplendidas ædes, & robuſtas, quæ durent quamdiutiſsime, uolentes perpetuo hoc mũdo frui: ſed tamen delebitur domus eorũ & familia, Nam niſi *Pſal. 137.*
E dominus ædificauerit domũ, in uanũ laborauerũt qui ædificant eam. Tentoriũ uero rectorum, ut eſt in Hebræo אהל ושרים quod ad tempus erigitur, dum cognoſcũt ſe non *Heb. 13.*
habere hic ciuitatem manentem, non ſolum non delebitur, non ueteraſcet aut corruet, ſed florebit ſiue germinabit, ſubinde ſtabilius & ſolidius collocatum. Et quanuis iuſti & recti non curant res mortales, neque in terris ædificare gaudent, tamen Deus faciet germinare tabernaculum rectorum, ut immortalitatem quandam in terris uideatur dare, in ſpem futuræ & ſolidæ immortalitatis. Nos ſub uerbis metaphoricis domus & tabernaculi, filios & nepotes intelligimus, quibus hæreditatem relinquet ſtabilem bonus uir, ut ſu-
F perius explicatum eſt. Quod uero peccatores coaceruant, non ſuis hæredibus, ſed iuſto reſeruatur. Allegorice tabernaculum iuſtorum, apoſtolorum eſt eccleſia, quæ germina- *Oſe. 14.*
bit ſicut lilium, domus uero impiorum & infidelium Iudæorum, deleta eſt ſecundum uerba euangelij, Relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. *Matt. 23.*

„ EST uia quæ uidetur homini iuſta, nouiſsima autem eius deducunt ad
„ mortem. *Heb.* Et nouiſsima eius eſt uiæ mortis.

Lyranus exponit hunc uerſiculum ſimpliciter de uia peccatorum, quæ recta uidetur, & iudicatur ab unoquoq; peccatore, pro affectione ſua, id quod locum habere poteſt potiſsimum in Iudæis & infidelibus, & quibuſdam hęreticis: nam uia ſcelerum uix cuique recta uidetur. Alij locum exponunt de his uitiis quę affinitatem cum uirtutibus habent,

quaſi uia huiuſmodi uitiorum uideatur recta: Nos ad hunc modum, Qui fœliciter & G
proſpere agit in hac uita, cui omnia ex animi ſententia ſuccedunt, putat ſe tenere
uiam rectam, putat ſuam uitam gratam eſſe Deo, dum omnia ex temporali proſpe-
ritate metitur: nouiſsima tamen ſuæ uitæ, ſunt ſemitæ mortis æternæ, ad quam fallaces
huius mundi diuitiæ & delicię cũ perduxerunt more diuitis euangelici qui audiuit, Re-
Luc.16. cepiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala: & proinde tu cruciaris merito, ille cõ-
ſolatur. Aliter, Quanuis recta & iucunda uideatur præſens uita hominibus, tamen
nouiſsima illius mors eſt, ne quis ſeſe nimium delectet hac uita præſente, quæ iucunda
eſſe non poteſt, neque ſimilis uiæ rectæ & planæ, ſed ſimilis uiæ aſperæ & abruptæ, ut H
quæ ad mortem tandem nos perducit. Aliter, Eſt uia mandatorum Dei ualde recta, &
ſic uidetur hominibus multis, qui eam libenter & alacriter ſequuntur, ſed dum bene in-
Mat.25. cipiunt non perſeuerant, & idcirco ad uitam non perueniunt. Nam qui perſeuerauerit
uſque ad finẽ ſaluus erit. & huic poſtremæ expoſitioni bene quadrat ſequens uerſiculus.

» RISVS dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. *In Heb. ſic,*
» Etiam in riſu dolebit cor, & extrema lætitiæ dolor.

Vel ut propius ad ſenſum ſuperioris uerſiculi accedat, Propter riſum & delicias quas ha-
bent homines, dum immodice fruuntur rebus temporariis, dolebunt corda illorum, & I
cum finem impoſuerint lætitiæ præſentis uitæ, & morte ſuperueniente, ueniet triſtitia,
quæ eſt finis mundanæ lætitiæ. Non eſt igitur ſpectandum quàm amœnam agas uitam,
ſed quàm piam & legi diuinæ conſentaneam, ne dum quæ nobis placita ſunt ſectamur,
finis uitæ principio non reſpondeat. Particulam Hebræam גם, id eſt etiam à noſtro in-
terprete omiſſam, otioſam eſſe non putamus, ſed duplicem prouerbij ſenſum indicare,
ut non ſolum in morte extrema gaudij temporalis occupare luctum intelligamus, ſed
etiam quod experientia quotidiana docet, in hac uita nullam eſſe lætitiam diuturnam:
neque eos, qui maxime quærunt in deliciis ſemper uiuere, aſſequi quod cupiunt, ſed
ſemper amœna huius uitæ miſcentur triſtibus. K

» VIIS ſuis replebitur ſtultus, & ſuper eum erit uir bonus. *Hebræum,* De uiis
» ſuis ſatiabitur retrocedens corde, ſed ab eo uir bonus, ſup. retrocedet.

Non eſt ſenſus alienus à ſuperioribus, indicans omnium rerum eſſe ſatietatem & faſti-
dium mũdanarum. Aliter, oſtendit uerſiculus mercedem debitam, tam bonis operibus,
quàm ſupplicium malis, aliquando eſſe dandum. Vir ſtultus, qui ædificat domum ſuam
Matt .7. ſuper arenam huius mundi, ſiue ut Hebræi legunt, Vir qui auertit cor ſuum à uia recta,
ad eam quæ ſibi uidetur recta, uiis ſuis ſatiabitur aliquando: ubi riſus uerſus eſt in triſti- L
tiam, & uir bonus ſatiabitur etiam uiis ſuis, cùm præmium acceperit, metens uidelicet
Galat.6. uterque, quæ ſeminauerit homo. Oportet enim omnes ſtare ante tribunal Chriſti, ut
Rom.14. accipiat unuſquiſque, prout geſsit in corpore, ſiue bonum ſiue malum. Aliter, uir bonus
2. Cor.5. recedit ab eo, qui auertit cor ſuum à uia recta. Poſſumus exponere de uiis huius uitæ,
quas ſequitur uir qui declinat & auertit cor ſuum à præceptis Dei, dum comparat ſibi di
uitias & honores, explet animum ſuum deliciis huius uitæ, recipiens bona in uita ſua,
à quibus declinat bonus ſpe melioris præmij.

» INNOCENS credit omni uerbo, aſtutus conſiderat greſſus ſuos, uel in- M
» telliget greſſum ſuũ. *Hebræum,* פתי ſimplex uel indoctus credit omni uerbo.

Septuaginta ἄκακος, quos ſecutus eſt interpres noſter. Dum narrat ſapiens quid ſoleat
fieri, admonet ſuum filium quid facere debeat, uidelicet non omnibus temere fidem ha
bere, iuxta illud: Nolite omni ſpiritui credere. Nam ut manifeſtę, probatæ & receptę ue-
ritati repugnare, obſtinati & contumacis eſt ingenij, ita ſimplicitatis nimiæ eſt & pueri-
1.Ioan.4. lis leuitatis, aurem præbere quibuslibet, etiam fabulis. Verum quod callidi & aſtuti, imò
prudentes uiri faciunt, danda eſt opera, bene intelligere quæ legimus, uel audimus,
antequam fidem adhibeamus. *Intelligere greſſum illius,)* ſup. ſermonis, intelligunt Hebr.

hoc

A hoc eſt, quorſum tẽdat, ad uirtutem uidelicet an ad uitium: ad uitã, an ad perditionem. Cap. 14.
Poteſt relatiuũ greſſum eius, referri ad callidũ, qui non temere perſuaſus omnia credit, ſed greſſum ſuum moderatur iuxta intelligentiam. Nam ex eo quod quis bene credit aut male, pendet totius uitæ prudens, aut imprudẽs moderatio. Erit ſermonis tenor perpetuus, & ex ſuperioribus pendebit, ſi ſubaudiamus cum Aben Hezra, ſimplex & indoctus facile credit omni uerbo, & perſuaſus ſupple recedit à uia recta, & proinde prudentis conſilio indiget, & doctorum uirorum, qui intelligũt quorſum tendant hæreticorum dicta quibus imperitis imponere ſolent.

B SAPIENS timet & declinat à malo, ſtultus tranſit & confidit. Aliter, Stul-
» tus iraſcitur & confidit.

Septuag. aliam huius uerbi עבר ſignificationem ſequentes, ſic uertũt, adiectis aliquot dictionibus: ὁ δὲ ἄφρων ἑαυτῷ πεποιθὼς μίγνυται ἀνόμῳ, at ſtultus ſibi confidens, miſcetur iniquo. Caldæus uidetur Septuag. ſubſcribere, Stultus implicatus in ſtultitia, confidit in ea. Quanuis uerbum Hebræum עבר tranſire ſignificat, tamen in poſtrema coniugatione, per iraſci interpretantur Hebræi, iuxta uerſionem Hieron. In hac uita fragili, quæ periculis & animæ & corporis obnoxia eſt, non ſolum ſapiẽtia & doctrina opus eſt,
C ſed etiam ſagacitate & timore. Nihil temere agendum, omnia etiam tuta timenda ſunt. Sub omni lapide latet ſcorpio, & iuxta id quod ſcriptum eſt, in medio laqueorum trãſis. *Eccleſ. 9.* Plurimũ timere, noſtris uiribus diffidere, Dei timore à malo recedere debemus: ſtultus uero confidens, temere quoduis negotium aggreditur, etiam cum ira (quæ impedit animum, ne poſsit cernere uerum) ægre ferens ſeſe impediri, ut utramque ſignificationẽ uerbi עבר intelligamus, nempe iraſcens tranſit, iraſcens uidelicet contra eos, qui timendam peccatoribus iram Dei admonent, tranſit & progreditur peccando, ſecurus abiecto timore. Timens Deum, uel timens mortem, declinat à malo ſapiẽs. Recordare, inquit, nouiſsima, & in æternum non peccabis. Stultus confiſus de uita ſua, neque iudicia *Eccleſ. 7.*
D Dei ueritus, uitam tranſigens multa mala committit.

» IMPATIENS operabitur ſtultitiam, & uir uerſutus odioſus. Aliter,
» uir cogitabundus odio habetur.

Si quid eſt ſapiẽtiæ in Ethnicorũ libris, in noſtris longe antea præceſsit. Qui non modera bitur iræ (inquit Flaccus) infectum uolet eſſe, dolor quod ſuaſerit & mẽs. Deus opt. max. frequenter in ſacris literis uocatur ארך אפים, hoc eſt lõganimis, patiens. Qualis Deus eſt per naturam, tales nos eſſe per imitationem hortatur ſapiens hoc in loco: & Iacobus in epiſtola, Sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquẽdum, & tardus
E ad irã. Nam ira impedit animum, ne poſsit cernere uerum & decorum. Et proinde quàm longiſsime recedit à ſapiẽtia, qui hanc perturbationem cohibere non nouit: nihil poteſt facere cum moderatione. Contrà, ſunt aliquot ualde uerſuti, (ſiue ut eſt in Hebræo איש מזמות, uir cogitationum) cogitationibus dediti, & ingenioſi ut malum faciant, quos odit dominus: nec immerito, cùm non ſolum ſenſibus & appetitu (quibus maxime trahimur ad uitia) ad male agendum abutuntur, ſed etiam ingenio & intellectu, uidelicet cogitando meditandóque, machinantur malum: & non ex infirmitate, neq; ex ignorantia ſolum peccant, ſed deſtinata quadam malitia, peccatorum funiculos trahũt. Hos
F præ cæteris peccatoribus merito odio habet dominus. Et hic ſenſus, ac expoſitio poſterioris clauſulæ, nempe ſubaudiendo dominum (ut ſit ſenſus, uir uerſutus ſiue cogitabũdus eſt odioſus domino) mihi magis placet, quàm ut iuxta quoſdã ſubaudiamus iracundus, ſiue (ut ſcriptura loquitur) breuis ira, uel cito iratus, odit uirũ cogitabundum, utputa ſui diſsimillimũ: uir uerſutus ſiue uir cogitationum, eſt odioſus. ſ. iracundo. Lyranus in genere dictum intelligit, odioſus erit omnibus. Nihil agendum neque per iram, neque per dolum malum, docet prouerbium.

» POSSIDEBVNT paruuli ſtultitiam, & expectabunt aſtuti ſcien-
» tiam. *Hebr.* Acceperunt per ſucceſsionem, uel hæreditario iure ignari ſtul-

» titiam, ſed aſtuti coronabunt ſcientiam, uel coronabunt alios ſcientia, uel G
» denique coronabuntur ſcientia.

פתאים paruuli, ignari ſiue ſimplices: aliquando innocentes reddit interpres. Hoc in loco in malam partem accipitur, pro ſtultis & malis. Paruuli ſiue decepti, qui omni uento circunferuntur, dum omnia facile credunt, ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam ueritatis peruenientes: poſt magnos labores & ſtudia, nihil aliud quàm ignorãtiam diſcentes, & ea quæ dediſcenda ſunt, meram ſtultitiam ex laboribus, ueluti hæreditatem aſſequuntur: nam à uera ſapientia (qui Chriſtus eſt) alieni, cùm alioqui uel ex diuitiis huius mundi, uel honoribus plurima aſſequuntur, ſtulti habentur: relinquent enim alienis di- H
uitias, & ſepulchra illorum, domus eorum in æternum. Et quod ſequitur quadrabit illis:
Pſal. 48. Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Aſtuti expectant ſcientiam & cognitionem Dei, tanquam laborum præmium: uel iuxta Hebræum, Aſtuti coronabuntur ſcientia. Non lauro aut mirto coronantur, quod poëtis & militibus magnificum uidebatur olim, ſed ſcientia Dei, & Chri-
Ioan. 17. ſti Ieſu, tanquam corona uitæ: Hæc eſt enim uita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. quaſi dicat, Vere ſapientibus in lege Dei, ſuus non poteſt deeſſe honor: ſed hoc nomine quod in lege Dei meditantur die ac nocte, immortalem gloriam aſſequũtur. Aliter exponitur poſterior uerſiculi clauſula, ſi iuxta Hebręum I
legatur uerbum coronare, nempe ad hũc modum, Aſtuti coronabunt ſcientiam, hoc eſt plurimos ad ſtudium ſapientiæ pertrahere ſolent, ut iam non deſtituta, ſed ſepta diſcipulorum turba uideatur ſcientia ſcripturarum, ſi prudens & doctus magiſter ſiue concionator cathedram poſsideat. Aliter, aſtuti coronant ſe doctrina & ſcientia, per quam honorem aſſequũtur apud homines. & hic ſenſus maxime genuinus uidebitur his, qui Hebraice norunt.

» IACEBVNT mali ante bonos, & impij ante portas iuſtorum. *Hebræum,*
» Incuruabunt ſe mali coram bonis, & impij ad portas iuſti. K

Non multum à ſenſu prioris uerſiculi recedit, nempe, Iuſtos ſiue bonos & ſapientes ſolidam laudem habere, malos uero & impios tandem cogi, ut agnoſcant ſuam miſeriam, & exhibeant honorem iis quibus debetur, tametſi ad tempus magnis fulgeant honoribus, & uel regiam dignitatem obtineãt. hoc inquam fiet olim, quando implebitur illud,
Sapien. 5. Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. Aliter, admonet uerſiculus malos & impios ut reſipiſcant: oſtendens quid facere debeant ad ſanam mentem reuertentes, nempe incuruare ſeſe coram bonis, quos iniuria affecerunt. Opprimũt
fere bonos uiri improbi per ſuperbiam: æquum eſt tamen, ut uerſa uice, mali bonorum L
agnoſcant authoritatem, & portas ac ædes eorum frequentent. Nam per metaphoram incuruationis & portarum, inſinuat ſcriptura honorem bonis & iuſtis uiris debitum: honor enim præmium eſt uirtutis, iuxta philoſophum.

» ETIAM proximo ſuo pauper odioſus erit, amici uero diuitum multi.
» *Hebræum,* Etiam ab amico uel ſocio ſuo ſolet odio haberi pauper.

Quàm graue ſit paupertatis onus, & quàm amœna ſit opulentia in hac uita, indicat hoc uerſiculo ſapiens: ſimul diuitum ingratitudinem, qui perituras opes magis honorant M
quàm naturam communem, reprehendit. Denique ad eleemoſynam & miſericordiam hortatur, quæ tanto gratior eſt, quanto ſit pauperum maior indigentia, qui non ſolum à ſuis deſeruntur, ſed odio habentur etiam à chariſsimis & domeſticis. Ab alienis igitur
Pſalm. 9. quid expectent? nimirum id quod ſcribitur, Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris
Matt. 8. adiutor: nam qui paupertatis nomine odioſus eſt hominibus, tanto charior & ſimilior
Pſal. 68. eſt illi, qui non habuit ubi caput ſuum reclinet: & qui dixit per prophetã, Ego ſum pauper & dolens à ſuis relictus. Verſiculus iſte oſtendit quid ſoleat facere ingratitudo humana, nempe pauperes & pauperiem odio habere, diuitias uero & diuites honorare:

Sequens

Cap. 14.

A Sequens uero uerſiculus quid facere ſapientes deceat.

» QVI deſpicit proximum ſuum peccat: qui autem miſeretur pauperi, bea-
» tus erit.

Vt alibi ſcriptum eſt, Vnicuique mandauit Deus de proximo. Impij Cain uox illa fuit, *Eccle.17.*
Nunquid cuſtos fratris mei ego ſum? Porro proximum ſiue amicum aut ſocium deniq; *Geneſ.4.*
(ſic enim uerti poteſt uox Hebræa רע) iuxta definitionẽ euangelicam poſſumus intel-
ligere, qui facit miſericordiam in illum. Mutuo ſe reſpiciunt proximus proximum, &
B amicus amicum: nam quicunque poteſt uel facere tibi, uel recipere à te miſericordiam
uel opem quancunque, ille tuus proximus eſt & amicus: & iam ſenſus erit prouerbij,
eum peccare in Deum, qui amicum pauperem contemnit. quaſi dicat: Non, quod uulgo
faciunt, ſunt per diuitias aut paupertatem æſtimandi homines, ut in ſuperiore uerſiculo
dictum eſt: nam longe aliter iudicat Deus, & pro grauiſsimo habet peccato, ſi quis ami-
cum contemnat ac deſpiciat quantumuis pauperem aut afflictum: ut omnes uoto, ſic
opere proximos potiſsimum iuuare debemus. Nam apud Deum beati ſunt, non di-
uitum amici, ſed qui miſericordiam in pauperes oſtendunt, ut alio loco dictum eſt,
Qui miſeretur pauperi, fœneratur Deo, à quo pro temporali ſubſidio æternam beatitu-
C dinem recipiet. *Qui miſeretur pauperi beatus erit:*) In Hebræo, beatitudines illius, ſupple,
ſunt multæ.

» ERRANT qui operantur malum, miſericordia & ueritas præparãt bona.

Sic interpres, iuxta quem non admodum prouerbialis uidetur uerſiculus. Hebræum
paulo aliter, nempe, *Nũquid non errabunt, uel errare ſolent, qui machinantur malum? ſed miſe-*
ricordia & ueritas cum his qui machinantur bonũ.) Interrogatione affirmat. חרש cogitare ſi-
gnificat, arare, uel cum cura aliquid facere, & etiam tacere: unde חורש uerti poteſt, Ima-
D ginatores, qui tacite machinantur, fabricant uel arant malum. Magna eſt fragilitas hu-
mana, per quam uix quiſquã poteſt eſſe immunis ab errore & malo: ſed omnium peſsi-
mi ſunt, qui prudentes ſunt ut faciant malum: hoc eſt, non ex infirmitate, ſed ſtudio ma-
chinantur malum, hi errant, uel errabunt: hoc eſt, quò uolunt, non perueniẽt, quod fre-
quenter fieri ſolet. Qui ſtudẽt malum inferre aliis, ipſi incidunt in malum: nam cęcitate
& errore merentur percuti, qui lumine intellectus abutuntur, neque incumbunt rectis
ſtudiis, aut inueſtigationi ueritatis, ſed artificioſe uel malum facere, uel aliis inferre,
hi ueritatem non cognoſcent, neque miſericordiam aſſequentur, quam non præſtãt. Cõ-
E trà, qui bonum ſtudent facere, maiora bona à Deo conſequentur, nempe ueritatem qua
intellectus illuminatur, & miſericordiam qua conſcientia purgatur à peccatis. Vehemen
ter errare, oſtendit prouerbiũ eos, qui ex induſtria peccant, quod proprie eſt hæreticorũ.

» IN OMNI opere bono erit abundantia, ubi autem uerba ſunt plurima,
» ibi frequenter egeſtas. Aliter, In omni labore erit abundantia, ſed uerba la-
» biorum etiam ad defectum.

Non uerba ſed facta laudantur: iuxta illud Euangelij, Non omnis qui dicit mihi Domi- *Matt.7.*
F ne Domine, intrabit in regnum cęlorum, ſed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cæ-
lis eſt. Honeſtus labor commendatur in hoc uerſiculo, ut qui ſuo fructu non caret: &
quanuis omnia Deo largitore habeamus, tamen noſtra induſtria accedat oportet, iuxta
parabolam Euangelij, Qui quinque talenta acceperat, operatus eſt in eis, & lucratus eſt *Matt.25.*
alia quinque, & omni habenti dabitur & abundabit, id quod ut in agricultura & corpo-
ris laboribus fieri uidemus, ita in ſtudio uirtutum uſu uenit. Cęterum qui uerbis labio-
rum delectatur, & de uirtute loqui non ex animo, ſed ore tenus, ad frugem non perue-
niet. Nam ut ad nihil egregium peruenitur abſque ſudore, ita uia uirtutis ardua eſt &
difficilis. עצב non laborem ſolum ſignificat, ſed etiam dolorem, quam ſignificationem
ſequentes aliqui ex Hebræis, longe alium ſenſum faciunt: nempe, In omni dolore & tri-
ſtitia, quam ſecum retinet homo, erit abundantia: & quotidie creſcit ſecreta mœſticia,

uerum per uerba labiorum diminuitur: hoc eſt, detectus dolor, & in ſinum fidelis amici G
transfuſus, mitigatur. Et iuxta hunc ſenſum, poteſt ad confeſsionem accommodari uerſiculus: nam re uera nihil magis mitigat triſtitiam quam quis concipit de peccatis ſuis, quàm ſyncera & libera confeſsio, facta in auricula pij ſacerdotis. Illa enim uerba labiorum, confitentis uidelicet, & abſoluentis, luctum de peccatis conceptum uehemẽter mitigant, & conſolationem adferunt. Prima expoſitio magis germana uidetur.

" CORONA ſapientum, diuitiæ eorum: fatuitas ſtultorum, imprudẽtia.
" Aliter, ſtultitia ſtultorum ſtultitia.

Magna laus ſapientiæ, quæ honeſtat & commendat, non ſolum reliqua corporis & ani- H
mæ bona, ſed etiam bona fortunæ & diuitias, quæ magnum ornamentum adferunt, & ueluti coronam capiti hominis imponunt, ſi cum ſapientia iungantur. Sunt enim diuitiæ ſapientibus inſtrumenta uirtutum, quarum cupidines cum ſuperauerint, & cõtemnendas res mundanas omnibus, ipſo diuitiarum bono uſu oſtenderint, maximum aſſequuntur honorem, & diademate digni æſtimantur, tanquam uictores uoluptatum & omnium malorum, quæ ſecum trahere ſolent opes & diuitię. Aliter, Sapientia & doctrina in homine paupere, ſolet contemni à uulgo: uerum quę in diuitibus eſt ſapientia, admirabilis habetur, & ſuſpicitur ab omnibus, ut iam ornamentum ſapientiæ uideãtur di- I
uitiæ. Aliter, diuitiæ metaphorice intelliguntur, pro plena ſapientia & perfecta, quæ perfecte exornat & ueluti coronat ſapientes. Prima expoſitio eſt optima. *Stultitia ſtultorum.*) quaſi dicat, alia ratio eſt ſtultorum, qui nullis opibus aut externis bonis ornari poſſunt: Sed ut ſimia ſemper ſimia, etiamſi purpura ueſtiatur: ſic ſtultitia quæ uſqueadeo magna eſt in aliquot ſtultis hominibus, ut nullo modo tegi poſsit aut honeſtari, ſed nonnunquam duplicatur ſtultitia ſtultorum ſi opes accedant: quaſi dicat, Tantũ abeſt, ut opes honeſtent ſtultos, ut maior fiat ſtultitia, ſi diuites fiant: tunc ſtultitia ſtultorum, erit ſtultitia inſignis, & palam omnibus fiet, quę per inopiam occultata fuerat, dum quod ſtulte cogitauerant, ſtulto opere implere non poterant. Vtriuſque rei exempla prudens lector ex ſa K
cra hiſtoria facile colliget: Nos ad reliqua properamus.

" LIBERAT animas teſtis fidelis, & profert mendacia uerſipellis. Ali-
" ter, loquetur mendacia doloſus.

Vtriuſque mos & conſuetudo ſuperius oſtenſa eſt, nempe teſtis fidelis & mendacis: quorum hic, ut aſſueuit mentiri quotidianis ſermonibus, ita publico iudicio non uerebitur dicere falſum teſtimonium: Ille uero qui ueritatis ubique amator & aſſertor eſt, & in priuato & in publico uerum profert. Hoc in loco, quàm ingens bonum ex teſtimonio ueritatis ſolet ſequi, & rurſum quàm grande malum per falſos teſtes in rep. ſoleat cõtin- L
gere, declarat: nam de periculo uitæ & mortis teſtes adhiberi ſolent, & innocentes nõnunquam in diſcrimen uitæ ueniũt, quorum aliquem cum fidelis teſtis liberat, non unã animam liberat, ſed nonnunquam multorum, & totius familię, quę unius hominis cura & opera ſuſtentatur. Simpliciſsimus ſenſus erit, ſi intelligamus multos perire innocentes, quos fidelis teſtis frequenter eripit, ut iam nihil ſit laudabilius quàm ueritatem defendere: & contrà, nihil magis odibile quàm falſus teſtis, qui non gladio, ſed lingua frequenter interficit innocentes. *Et profert mendacia uerſipellis,*) ſiue doloſus, ſubauditur teſtis: ut ſit ſenſus, Et loquetur mendacia teſtis doloſus: hoc eſt, dum loquitur mendacia in
iudicio animas interficit, quas uel hæreditate & ſuo iure ſpoliat, uel uita priuat. Id quod M
cùm coram iudice, qui ueritatem ignorat, fit nõnunquam, tum multo periculoſius, cùm doctor falſitatis in frequente concione falſum profert de ſcripturis teſtimonium, & errorem aſpergit in populum, quo infinitæ animæ deceptæ, penitus pereunt. O infœlicem hominem, cuius dolo & fraude fideles animæ pereunt: &, ô tẽrque quatẽrque beatum teſtem, qui ad ſalutem animarum, teſtimonia ex ſacris eloquiis profert, & ueritatem aſtruit, quæ uita eſt animi.

" IN timore domini erit fiducia fortitudinis, & filiis eius erit ſpes.

De diuitiis

A De diuitiis disseruit, quæ non proderunt absque sapientia: eadem ratio est de fortitudi- Cap. 14.
ne, quæ neminem liberare potest citra timorem domini, quod est initium sapiētiæ. Qui
uere fortis est, non in suis uiribus cōfidit, sed in timore domini, sciens scriptum esse, Ma- *Iere. 17.*
ledictus qui ponit carnem brachium suum. Fortitudinem more linguæ Hebraicæ, po-
nit pro forti. *Et filiis eius*, sup. Dei, *erit spes*:) uel filiis eius, cuius fortitudo est timor domi-
ni, qui propter meritum patris bene sperare possunt: uel quia exemplum patris solent se-
qui, & in timore domini, hoc est in eo quod timeāt offendere dominum Deum, & illius
clem entiam implorant cum fiducia, spē habent in omnibus huius mundi aduersis, spem
B inquam, quæ non confundit. Si igitur nō sit fiducia robustis nisi in timore domini, si for-
tes & potentes suos liberos non possunt tueri, sed sub timore domini; tanquā sub clypeo
confugere docentur: quid debent facere imbecilles? quid oues pascuæ eius? qua ratione
tutæ & saluę esse possunt ab aduersario, qui tanquam leo rugiens, circuit quærens quem
deuoret, & tendit laqueos mortis? contra quos præsentius remediū non habemus, quàm *1. Pet. 5.*
timorem domini, ut in sequenti uersiculo sequitur.

„ TIMOR domini fons uitæ, ut declinet à ruina mortis. Aliter, ad decli-
„ nandum à laqueis mortis.

C Hos duos uersiculos de timore domini, sic cōnectit Aben Hezra, ut in principio utriusque intelligatur litera בית Beth, quæ in priore scribitur, hoc est in, propter, uel per: & erit sensus prioris, Propter timorem suum, dominus erit fiducia fortitudinis, sup. ei qui timet & colit eum, ut eripiat eum in tēpore angustiæ: & erit spes fortitudinis filiis illius ob meritum paternum. Similiter propter timorem suū dominus erit timentibus se quasi fons uitæ, hoc est perpetuum refugium, quo suppeditabit illis uires ad declinandū, siue fugiendum à laqueis mortis, hoc est diaboli, quibus captiuos tenet infideles diuini timoris & cultus expertes.

D IN multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis, ignominia
„ principis. Aliter, Et cum non fuerit populus est diminutio principis.

Omnibus hominū ordinibus prȩcepta & documenta sapientiæ proponit Salomon, pauperibus, diuitibus, fortibus, & etiā regibus, quorū gloria nō est in magnis opibus, aut castellis & propugnaculis, sed in multitudine subditorum, qui illorum libenter parent imperio: in illis opes, in illis uires sunt regibus constituendæ. Nam alioqui habeat princeps quicquid in hac uita splendidum ac magnificum uideatur, quicquid ad tutelā & defen-
E sionem imperij, si fidis subditorum animis fuerit destitutus, non habet solida munimēta regni quibus fidat: reliqua enim potius confusionem, & contritionē (ut est in Hebræo) adferunt. Aliter, ad clemētiam principes inuitat & iustitiam, quibus uirtutibus ciuitates crescunt & locupletantur, in quibus libenter homines cōmorantur: id quod cum magna ex parte per principis prouidentiā contingat, celeberrimū nomen, & apud suos, & apud exteras nationes assequitur. quæ uirtutes ubi desunt, ubi seditione & dolis peccatur, status reip. corruit, populus delabitur, uires principis diminuuntur, fama perditur, & gloria in ignominiam uertitur.

F QVI patiens est, multā gubernat sapientiam: qui autem impatiens est, exal-
„ tat stultitiam. Aliter, Qui tardus est in ira, multus est in intelligentia, & ue-
„ lox spiritu exaltat stultitiam.

Interpres supplendo uerbum gubernat, recte ad præcedentem uersiculum cōnectit sensum. Nam cùm omnibus hominibus ira sit impedimento, quo minus possint cernere uerum, tum maximè regibus, qui iudices sunt, & qui si facile iracātur, maiorem stultitiam committunt, quo magis authoritate & uiribus pollent. Qui patiens est, uel lōgus in ira, ut est in Hebræo, siue tardus ad iram: qui diu deliberat & consultat antequam ad iram, hoc est ad punienda delicta deueniat, profecto prudens princeps, & magnæ sapiētiæ habetur. Possumus per iram, alias quoque animi perturbationes intelligere, quibus cū fa-

cile ſtatus animi concutitur, minus intelligentia ualemus. *Qui autem impatiens eſt,*) in He G
bræo. וקצר רוח anguſti ſpiritus, uel coarctatus ſpiritu, hoc eſt animo ligatus quodammodo per affectiones, ut non poſsit erigere mentem, & in omnes formas dilatare intelligentiam, ſed ſtatim erumpere in uerba quæ ſuppeditat ira, non quæ ratio inueſtigauit: hic *Exaltat ſtultitiam,*) ſiue eleuat ſtultitiam, quæ priusocculta fuerat, in propatulo ponit. aliter, ſtultitiam præponit ſapientiæ.

» VITA carnium ſanitas cordis, putredo oſsium inuidia. Aliter, uita carnis
» uel corporis cor leue. &c.

Tranquillus animi ſtatus, non ſolum plurimum iuuat ingeniũ & intelligentiam in con- H
templatione ueritatis, ſed etiam facit ad ſanitatem corporis. Eſt enim quaſi medicus ad tuendam ſanitatem corporalis uitæ, cor & animus ſanus, nullis peccatis pollutus. Prouen-
Ioan. 5. niunt enim frequenter corporis morbi, ex uitiis animi: iuxta illud euangelij, Vade, noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Et iuxta Hebr. poteſt eſſe ſenſus: Cor quod ſanat, & medetur affectibus & paſsionibus ſuis, eſt etiã uita carnis. hoc eſt tenerrimas partes corporis præſeruat. Alij לב מרפא exponunt, Cor bonum & lætum, alienum ab ira & inuidia, uitam præſtat corpori, facit ut & diutius & fœlicius uiuat caro: cõtrà, cor quod inuidia & magnis laborat peccatis, etiam oſſa, hoc eſt robuſtiſsimas par- I
tes inficit, & ueluti putredine corrũpit. Poſſumus uertere, Cor leue, ſiue leuitas cordis, eo quod alienum ſit ab ira, eſt uita carnis. Poſſunt denique caro & oſſa ad animi uirtutes referri: quæ quanuis debiles ſint & tenere, tamen ubi cor eſt ſanum, hoc eſt intelligentia & fides integra, ſeruatur animæ uita: ubi uero cor & mens inuidia laborat, hoc eſt excidit à charitate quæ eſt in Chriſto Ieſu, & ab unitate eccleſiaſtica, id quod per inuidiã fieri ſolet, contabeſcunt etiam oſſa, hoc eſt uirtutes maxime ſordeſcunt in conſpectu Dei:
1. Cor. 13. iuxta illud Pauli, Si linguis hominum loquar & angelorum, &c.

» QVI calumniatur egentem, exprobrat factori eius, honorat autem eum K
» qui miſeretur pauperis.

Pro calumniari, opprimere ac uim inferre, eſt in Hebræo, nempe עושק. Patrocinatur pauperibus, & coërcet principes & potentes ne uim inferãt, aut opprimant tenues, quorum Deus adiutor eſt, & quos in mundo uix quiſquam tuetur, cum etiam ab amico ſuo pauper odio habeatur, ut ſuperius lectum eſt. Quicquid enim pauperibus fit, maxime
Pſal. 10. pauperibus ſpiritu: de quibus ſcriptũ eſt, Tibi derelictus eſt pauper, ſibi ipſi quaſi factũ,
Matt. 25. acceptum fert Deus. Sic enim legimus, Quandiu uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Obſeruandus eſt loquendi modus. Exprobrat factori eius, uel iuxta Hebręũ probris L
afficit, deinde honorem impendit: quibus uerbis nihil grauius, nihil efficacius dici potuit, ſiue in defenſionem & patrocinium pauperum, ſiue ad coërcendam uim potentiũ, & excitandos piorum animos ad benefaciendum egentibus. Nam honore diuino nihil antiquius habere debemus: contrà, Deum contumeliis afficere & opprobrio, uel dictu horrendum eſt.

» IN malitia ſua repelletur impius, ſperat autem iuſtus in morte ſua. *Heb.* Per
» malitiam ſuam, uel in malitiam ſuam impellitur, uel impelli ſolet impius, M
» & fiduciam habet in morte ſua iuſtus.

Impio nihil ſuccedit ex animi ſententia, iuſto uerò omnia, ut quem ſua ſpes nunquã fallit: impius propter malitiam ſuam expelletur à ſpe cuiuſcunque boni poſt hanc uitam, uel in morte excidit omnis ſpes impij, ſub qua maximè ſperat iuſtus, cum in hac uita mercedem operum non acceperit. Aliter, Impius etiam in ipſo malo quod conatur facere, expelletur à ſuo conatu, & non perficiet telam quam apud ſe exorſus eſt: prius enim in mortem propelletur. *Iuſtus uero in morte ſua,*) hoc eſt antequam moriatur, compos uoti & ſpei ſuæ erit. Ambiguum eſt, in morte ſua, uel eius: & aliqui bene referunt ad impium, ad hunc modum: Iuſtus, qui per malitiam impij multa paſſus eſt,

conſolatur

A consolatur se, & bene sperat non diu uicturum impium, sed quòd breui expelletur ab hac uita. Quod etiam fit iuxta illud: Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies. Et iterum, Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui & non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Cap. 14. *Psal.* 37.

» IN CORDE prudente requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet.
» *Hebræum*, Et in medio stultorum cognoscetur.

Docet uersiculus non satis esse discere & intelligere ea quæ sunt Dei, sed corde bono &
B optimo retinere quod accepimus, & proferre fructum. Nam in medio stultorum quos peccatores intelligimus, solet cognosci Christus Dei sapientia, sed tamen non inhabitat, non quiescit inter illos: sed in corde intelligenti, hoc est in corde eorum, qui iuxta mentem & superiorem animæ portionem uiuunt. Qui uero sensus sequitur, & brutam portionem animæ, cum totum cor illius rebus sit mundanis occupatum, euanescunt in cogitationibus suis, qui cum Deum cognouerunt, non sicut Deũ glorificauerũt: dicentes, se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Atqui hic sensus erit huius loci, his qui uerbum תורע cognoscetur, interpretantur: nempe, ueritas à stultitia cognosci potest, sed locus & mansio
C sapientię & ueritatis est cor intelligens, quod nouit distinguere inter bonum & malum. In uariis scripturarum locis hoc uerbum רע confringere significat, quo sensu hoc in loco interpretantur aliquot ex Hebræis, ex quibus est Aben Hezra: & sensus erit, prudentes uiros seruare diligenter sapientiam, stultos uero si quid didicerint etiamnum iuuenes, si quid audiant, quod ad sapientiam spectat, facile obliuisci, & apud illos non quiescere, sed statim uiolentia quadam rumpi & euelli à cordibus eorum. Aliter, Laudatur modestia uiri prudentis, in cuius corde quiescit scientia siue iactantia. Stulti homines si quid nouerint, celare non possunt. *Roma.* 1.

» IVSTITIA eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum.
D *Heb.* Sed misericordia est populis peccatum.

Commendatur misericordia & opera charitatis in pauperes. Sic enim hodie uocant Hebræi eleemosynam צדקה iustitiam: cuius sensui bene quadrat euangelica doctrina, Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab illis: & statim sequitur, Cum facis eleemosynam, Cum oraueris. Sunt ex Hebræis qui dicũt populum fidelem ex eleemosyna magnum consequi honorem, infideles uero, qui in honorem falsorum deorum faciunt iustitiam, peccare. Aliter, eleemosyna ex rapina & sanguine pauperum est peccatum Gentibus. Alij malũt posteriorem clausulam exponere iuxta aliam
E significationem huius nominis חסר, quod Leui. 20. accipitur pro re nefaria, ut Hieron. exponit, uel opprobrio: ut sit sensus, Quemadmodum eleemosyna, preces & ieiunia, & alia id genus iustitiæ opera, multas uiles & contemptibiles gentes, nobiles & claras effecerunt: ita peccandi consuetudo populos præsertim Israëliticos, olim celeberrimos, extrema contumelia & opprobrio damnauit. Tertium denique sensum faciunt hi, qui חטאת peccatum hoc in loco more legis Mosaicæ, intelligunt sacrificium pro peccato: ut sit sensus, quasi prophetico spiritu à Salomone diceretur, Nõ in uictimis, quibus Deum
F colebant, Israëlitas olim habituros honorem, sed in iustitia: neque sacrificia crassa illa ex animalium sanguine, amplius acceptanda in remissionem peccatorum, sed opera misericordiæ esse acceptanda, tanquam hostia pro peccatis: ut scriptum est, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. *Matt.* 7. *Leui.* 22. *Luc.* 11.

» ACCEPTVS est regi minister intelligens, iracundiam eius inutilis sustinebit. *Heb.* Beneuolentia regis erga seruum intelligentem, sed indignatio eius erga eum qui pudore afficit.

Omnibus est necessaria sapientia, & quanuis uarię & diuersæ pro uarietate conditionis humanæ, omnibus tamen prudentia & intelligentia imprimis est necessaria: etiam ser-

uis & uilioris conditionis hominibus, qui heris ſuis non poſsunt placere niſi ſapiant, G
quantumuis alioquin fuerint obedientes, & omnia ad nutum faciant, tamē non niſi in-
Mat.24. telligens & prudens ſeruus Chriſto regi placere poteſt: dicente domino, Quis putas eſt
fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituat dominus ſuper familiam ſuam? Qui uero non
quærit honorem domini ſui, ſed incipit percutere conſeruos ſuos, manducare & bibere
cum ebrioſis, iratus dominus diuidet eum, partēmque eius ponet cum hypocritis. In ſe-
cunda particula uerſiculi, ſubauditur לעבד .i. ſeruo, & pendet ſenſus ex ſequenti uerſicu-
lo, iuxta Aben Hezra, qui eum prudentem uocat ſeruum, qui nouit reſponſione molli,
Regi ſatisfacere, & iram illius placare, erga quem erit uoluntas, & indignatio regis erit H
in illum ſeruū, qui contumelioſe reſpondens, indignationē regis prouocat, ut ſequitur.

CAPVT XV.

RESPONSIO mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. *In Heb.* Non frangit, ſed reducet, uel reuertere faciet, aut retrahet.

Quotidiana docet experientia, quantum momenti habeant in ſedan- I
da uel mouenda, non ſolum regis, ſed etiam cuiuslibet hominis ira-
cundia, uerba eorum qui ex aduerſo reſpondent. Reſponſionem
mollem uocat quæ fit uerbis benignis & placidis, non ſolum cum modeſtia prola-
tis, ſed etiam cum ratione & ea moderatione, & honoris præfatione, quæ hominem
deceat quem alloquimur. *Sermo durus:*) uel, ut eſt in Hebræo, ſermo doloris uel tri-
ſtitiæ, hoc eſt uerba quæ dolorem & moleſtiam inferunt audienti, faciunt aſcendere
furorem, uel iram, inquit: apta admodum metaphora indicans iram adinſtar flammæ
excitatam aſcendere, ſi quis uerbis durioribus & aſperis ueluti follibus ſufflet. *Mollis* K
reſponſio,) hoc eſt humilis confeſsio, iram & uindictam Dei auertit, iuxta ſenſum allego
ricum. Et uerbum triſtitiæ, uerbum fatigationis aut doloris, iuxta uaria ſignificata huius
uerbi עצב. Si uerbum triſtitiæ legas, ſermonem malum intellige, quo contriſtatur (ut in-
Epheſ.4. quit Paulus) ſpiritus ſanctus: Si uerbum doloris, uerbum dolore dignum & lachrymis
intelligimus, quo nomen domini blaſphematur. huiuſmodi excitabunt iram & uindi-
ctam Dei.

„ LINGVA ſapientum ornat ſcientiam, os fatuorum ebullit ſtultitiam, uel
„ emanare faciet ſtultitiam.

Iuxta amphibologiam Hębraicæ dictionis, poteſt uerti: Linguam ſapiētum exornat ſci- L
entia: conſentientibus Hebræorum aliquot Rabbinis: ſed prior interpretatio eſt me-
lior. Et linguarum donum commendatur, quo prophetiæ & ſcripturæ myſticæ explican
tur. Quod munus eſt docti concionatoris, ſic ſcripturas ſacras explicare, ut earum ſcien-
tia & intelligentia, quæ alioqui obſcura eſt, capi poſsit ab indoctis & illiteratis homini-
bus: quibus ſcientia ſcripturarū, quàm pulchra & bona ſit, non apparet, niſi per ſermonē
Mat.22. prudentis & fidelis ſerui, quem cōſtituit dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tē-
pore tritici menſuram. *Os fatuorum ebullit ſtultitiam.*) Indefeſsi ſunt pleriq; indocti homi- M
nes præſertim hæretici, qui nunquam deſinunt ſcribendo & prædicando populum ſe-
ducere, quod proh-dolor, hoc noſtro ſeculo (ſi quando aliàs) paſsim uiſum eſt. Quorum
os mirum in modum ebullit ſtultitiam, & omnium auribus ingerere ſuam impietatem
ſtudent, quæ latere potuerat, ſi tacere nouiſſent ipſi. Poſſumus intelligere eam à Salo-
mone laudatam eſſe eloquentiam, quæ cum ſapientia coniuncta eſt, & cognitione rerū:
loquacitatem uero quam indocti ſolent affectare homines, ſtultitiæ eſſe ſcaturiginem.

„ IN OMNI loco oculi domini contemplantur bonos & malos. *Heb.* Ma-
„ los & bonos.

Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius, ne quis putet ſe poſſe ullo eloquentiæ ſuæ fuco,

illius

A illius iudicium fallere,quemadmodum hominibus ſæpenumero imponunt hi,quorum os ebullit ſtultitiam. Nullus eſt locus uſqueadeò ſecretus uel obſcurus, quo non penetrent & clare proſpiciant oculi domini, ad conſolationem bonorum, & terrorem malorum. Damnat præterea prouerbium infidelium errorem,qui negant Dei prouidentiam & diſpenſationem:omnia enim nouit dominus,& gubernat omnia. Cap. 15.

» LINGVA placabilis,lignum uitæ:quæ autẽ immoderata eſt,conteret ſpi-
» ritum.*Hebræum*, Sanitas linguæ, lignum uitæ: & peruerſitas in ea, contritio
» in ſpiritu.

B Sanitati linguæ opponitur peruerſitas eius: & ſanitatem linguæ intelligimus, quam lingua ſapientum,quæ ornat ſcientiam,inducit in animas ægras.Nam nullus medicus tam neceſſarius eſt ægrotis corporibus,quàm docta & pia lingua concionatorum,his qui animo laborant: multos enim reuocat à morte,ut merito poſsit huiuſmodi lingua conferri cum ligno uitæ,cuius fructus immortalitatem largitur. Contrà,*quæ immoderata eſt*: ſiue, ut eſt in Hebræo,*peruerſitas quæ eſt in ea, contritio in ſpiritu*:)hoc eſt, ut illa placabilis ſiue pacifica ſanat,ita hæc peruerſa integros conterit & confringit.Hęreticorum lingua quæ à ſana doctrina ſemper eſt peruerſa, unitatem ſpiritus, quæ uiget inter fideles conterit,
C & ueluti in diuerſas partes rumpit.Quod ad linguã boni uel mali doctoris deflexímus, locum habet ubique,& in quauis hominum ſocietate.Vbique enim linguæ peruerſitas, ſpiritus & mentes amicorum diſrumpit & ſeparat: & ſapientum lingua ſanitas eſt, quẽadmodum cap. 12.diſſeruimus copioſius. Poteſt contritio ſpiritus & ſanitas referri ad loquentes, ſed melius ad auditores.

» STVLTVS irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpatio-
» nes,aſtutior fiet.

D Oſtendit hic uerſiculus qua ratione ſanitatem ex lingua ſapientum recipiant ægri,nempe per correctionem maiorum. Nihil crebrius inculcat in hoc libello, quàm ut moneat patres quò diligenter caſtigent uitia liberorum, & filios quo non recuſent maiorum diſciplinam, Quorum caſtigationem qui recuſat uel ſpernit, ſtultitiam ſuam manifeſtat: non aliter quàm ægrotus qui ſalubres potiones, quòd uideantur amaræ, non recipit. Cæterum qui diſciplinam & admonitiones parentum, præceptorum, ſiue patrum animorum, libenter admittunt, & caſtigationem, ſiquid deliquerint, æquo animo tolerant, facile prudentes euadunt. Obſerua ſapientiam, aut ſaltem primum gradum ad ſapientiam, in recta maiorum caſtigatione & morum integritate conſiſtere.Si cæleſtem
E patrem intelligamus, qui caſtigat omnem filium quem recipit, ſenſus erit ſublimior.

» DOMVS iuſti plurima fortitudo,& in fructibus impij conturbatio.*Heb.*
» Domus iuſti theſaurus multus,& in prouentu impij conturbatur.

Ad ſenſum perficiendum ſupplenda ſunt quædam uerba, ſic: Domus iuſti habet theſauros multos: uel,in domo iuſti eſt multus theſaurus: &,ſup.domus impij,per prouentum conturbatur.Si per theſaurum opes intelligamus iuſtis laboribus partas,quæ recondi & diu ſeruari in familia iuſti, & à patre ad filios & nepotes transferri ſolent, non erit abſurda interpretatio. Tamen prouentus & opes, quas per rapinam aut alioqui iniuſte
F colligit impius,non ſolum non proſunt illius nepotibus, ſed etiam nonnunquam familiam illius perturbant:dum de hæreditate litigant hæredes. Aliter,*In domo iuſti fortitudo*, ſiue *robur multum*,)nam utrunque ſignificat uox Hebræa חוסן: & ſenſus erit,Iuſtitiã non opes,dare uires ad tolerandas aduerſitates, quibus domus iuſtorum fortiter reſiſtit. *Familia uero impiorum ſtatim conturbatur.*) Senſus magis uniuerſalis erit, ſi de illis intelligamus theſauris,de quibus Chriſtus:Theſaurizate uobis theſauros in cœlo, ubi neque eru *Matt. 6.*
go,neque tinea demolitur.Nam eleemoſynis & bonis operibus plena ſunt pectora omnium domeſticorum in familia iuſti,ſed in familia impij eſt perturbatio.In Hebræo poteſt נעכרת conturbatur uel eradicatur, referri uel ad prouentum, uel ad domum:quaſi

dicat,Prouentus impij non durat,ſed ſtatim diſsipatur:uel domus impij turbatur, tantò magis quantò uberior proueniat illi annona,dũ liberius peccat quo magis diuitiis abundat. Prouerbiũ oſtendit opes iuſtis fore materiam uirtutis,impiis uerò uitiorũ fomenta. G

„ LABIA ſapientum diſſeminabunt ſapientiam, Cor ſtultorum diſsimile
„ erit. *Heb.* Cor ſtultorum non erit rectum.

Vel non ſic,ut cum noſtro interprete conueniat uerſio. Apoſtolorum tempora & hæreticorum reſpexiſſe uidetur Salomon, dum ex lingua ſapiẽtum & inſipientum tanta bona & mala prouenire oſtendit.Per uniuerſum orbem ſparſerunt euãgelicam doctrinam H
Pſal.19. apoſtoli,iuxta illud: In omnem terram exiuit ſonus eorũ. Sic in hoc loco diſpergere potius dicit quàm ſeminare, ut maiorem copiam ſignificet, & plenitudinem ſcientiæ undique defluentis è labiis ſapientum doctorum.Sed *Cor ſtultorum cum rectum non ſit,*)hoc eſt cum male credant ſtulti,non eſt quòd quiſquã ab eorum labiis ſanam doctrinam expectet.Aliter,Cum cor ſtultorum non ſic,uel diſsimile ſit,neq; reſpondeat animus ſtulti & affectus huic ſcientiæ,non ita uidetur ſtultis hominibus,ſup. quòd labia ſapientũ diſpergant ſcientiam.Aliter, labia ſapientum ſpargent ſcientiam, in corda ſup.hominum: ſed cor ſtultorum non ſic erit, ſup. promptum ad diſcendum ſcientiam.

I

„ VICTIMAE impiorum abominabiles domino,uota iuſtorum placabi-
„ lia. *Heb.* Oratio rectorum uoluntas eius.

Tit.1. Infidelibus, inquit Paulus, nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia.Prouerbium indicat Deum reſpicere cor, & conſcientias hominum, non externa opera ſolum.Deum præterea non placari uel ſumptu uel pompa,quæ ſolet fieri in ſacrificiis,& quæ hodie Iudæi libenter facerent ſi permitterentur:ſed pro omnibus illis uictimis,& ſacrificiis, unicum ſacrificium , & puras Chriſtianorum preces acceptare: uel K
per ſacrificia impiorum,eleemoſynas intelligimus,& quæcunque opera in ſpecie bona, quæ ex male partis rebus fieri ſolent.In ſecunda particula cõſolatur pauperes,& tenuioris conditionis homines: qui tametſi opera miſericordiæ præſtare egẽtibus non poſsint, nec eleemoſynis redimere peccata,tamen in puris ad Deum precibus & cõfeſsione,ueniam peccatorum conſequuntur,& uoluntatem Dei implent.

„ ABOMINATIO domini uia impij,qui ſequitur iuſtitiã diligitur ab eo.

Opponit amorẽ abominationi.Lubrica eſt uita carnis , & in multis offendimus omnes: neque dominus uult mortem peccatorum, ſed cum quis ad tantam improbitatem peruenerit,ut aſsiduus ſit in malo, & conſuetudinem peccandi contraxerit, eum execratur L
dominus,ut cuius uia & ſtudium,eſt impietas.Sed quorum ſtudium eſt ſectari iuſtitiã, & ueluti fugientem inſequi,is inquam qui & ipſe iuſtitiam facit,& ut alij faciant ſtudet, amabitur à domino: quo ſolo amore omnia bona quæ cogitari poſſunt,aſſequitur,iuxta
Ioan.15. illud: Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ præcepi uobis. Omnia inquam bona amor diuinus comprehendit,omnia uerò mala abominatio Dei: hæc improbis, ille uerò ſectãtibus iuſtitiam contingit,ut iam portentoſus ſit error eorum,qui negant humanos actus habere præmium aut ſupplicium.

„ DOCTRINA mala deſerẽtium uiam uitæ:qui increpationes odit,mo- M
„ rietur. *Heb.* Diſciplina uel caſtigatio mala deſerenti uiam : qui odio habet
„ increpationem,morietur.

Septuag.ſubaudiunt aliquid, οἱ δὲ μισοῦντες ἐλέγχους πλουτῶσιν αἰσχρῶς, qui odio habent reprehenſiones morientur turpiter.Caſtigationem uel correctionem potius quàm doctrinam ſignificat מוסר . Sunt qui recedunt à uiis præceptorum Dei tãquam grauibus, quærentes libertatem carnis,uel etiam à ſemitis uirtutum, quas patres cõtriuerunt, tanquam diſciplinam nimium auſteram continentibus: ſed hos durior manet diſciplina & correctio:

A correctio: Nam iugum domini ſuaue eſt, & onus leue. Secunda pars uerſiculi fere eun- Cap. 15.
dem exprimit ſenſum. Qui odit caſtigationem in hac uita, morietur: & poſt hanc uitam *Matt.* 11.
ad duram illam & intolerabilem ueniet correctionem, quæ meritò mala dicitur, quia *Luc.* 11.
neque finem habet, neque fructum diſciplinæ ſecum affert. Aliter, Qui odit caſtigatio-
nem & increpationem patris, poſt mortem caſtigatio mala erit illi, qui relinquit ſemi-
tam tutam. Heb. aliquot ſic: Morietur ante tempus ſuum, in pœnam quòd diſciplinã pa-
tris reliquerit. nam, Honora patrem ut ſis longæuus ſuper terram. Aliter, Qui relinquit *Ephe.* 6.
ſemitam bonam, fuit illi mala diſciplina, nõ fuit caſtigatus neque tempeſtiuè correptus
B à parentibus. Aliter, qui deſerit ſemitam bonam, uel mandatorum Dei, uel eccleſiaſti-
cæ regulæ, caſtigatio mala, hoc eſt dura, eſt neceſſaria illi, & grauiter corripiendus eſt:
quam correptionem ſiue reprehenſionem quicunque oderit, & admittere noluerit, mo-
rietur in peccato ſuo.

» INFERNVS & perditio coram domino, quanto magis corda filiorum
» hominum?

Aben Hezra hunc uerſiculum connectit cum ſuperiore ad hunc modum: Dominus, in
cuius conſpectu eſt infernus & perditio: hoc eſt, cui nihil eſt abſconditum, probat cogi-
C tationes & corda filiorum hominum, qui relinquunt uias diſciplinæ, & odio habent ca-
ſtigationem, & dabit mercedem illis ut moriantur ante diem ſuum, & deſcendant ad
infernum & perditionem. hæc ille. Sũt ex Hebræis qui שאול exponunt ſepulchrũ, אבדון
gehennã. Leui Ben Gerſon intelligit infernum per Scheól, quem dicit eſſe in centro ter-
ræ. Et uocatur, inquit שאול, quæ uox ſepulchrum ſignificat, quòd profundus & infimus
ſit locus. Timorem incutit Salomon his qui deſerunt uias rectas, quaſi poſsint latere &
fallere oculos Dei, qui etiam ſecretiſsima clare uident. Nam in omni loco oculi domini
contemplantur malos & bonos, ut modo lectum eſt.

» NON amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur. *Heb.*
D » Non amabit illuſor ſe corripientem, nec ad ſapientes ibit.

Superiore capite uocem Hebræam לץ uertit interpres deriſor, cum aliis interpretibus cõ
ſentiens: hoc in loco ſecutus eſt Septuaginta, qui peſtilentem uertunt, cum alibi, tum in
primo Pſalmo: Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit, tamen hoc in loco ἀπαίδευτος, indo-
ctus, à Septuaginta uertitur. Apud Hebræos duas ſignificationes habet לוץ, deridere &
interpretari. Quod ſi interpretari in malam partem accipiamus, uicina ſunt hæc duo ſi-
gnificata, nimirum deridere, & male interpretari ſiue eludere correptiones & admoni-
E tiones ſalubres. Et hic proprie illuſor eſt, & omnium peſsimus, ut qui neque ex ſe rectè
facit, neque bene monentibus auſcultare nouit, & ob id ad bonam frugem non perue-
niet. Ipſe *ad ſapientes non ibit,*) quatenus ab illis diſcat ſapientiam. Porrò ſi quis eum corri
piat, malam gratiam rependit, maligne interpretatur, & proinde facile non inueniet qui
curam illius agat. Huius rei quotidiana occurrunt exempla. Salubrem diſciplinam ante
omnia amplectendam eſſe docet Salomon in hoc paſſu.

» COR gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur ſpiritus. Cor
F ſapiens quærit doctrinam, os ſtultorum paſcitur imperitia. Omnes dies pau-
» peris mali, ſecura mens quaſi iuge conuiuium. *Hebræum,* Cor gaudens com-
» mendabit, uel bonum faciet uultum, ſed in dolore cordis ſpiritus frangitur.
» Cor ſapiens quęret ſcientiam, ſed uultus ſtultorum paſcet ſtultitiam. Omnes
» dies pauperis mali: cor bonum ſiue lętum, conuiuium iuge.

Hos tres ſic connectunt Hebræi: Cor eſt principium uitæ & potentiarum animæ: & pro-
inde habitus cordis paſsim in reliquo corpore ſeſe oſtentat, præſertim in uultu, qui ue-
hementer commendatur ex lætitia cordis: uerum in dolore, uel potius propter triſtitiam

cordis,ſpiritus uitalis eſt contritus & mœſtus,ut non poſsit homo uacare ſtudiis & inue- G
ſtigationi ſcientiæ:id quod cor prudens ſolet facere. Ad ſapiẽtem igitur ſpectat eſſe ani-
mo tranquillo, non corde mœſto ſed alacri, ut nullam habeat triſtitiam de rebus huius
mundi. Nam is tandem idoneus eſt ad inueſtigandam ſcientiam prudenti homine di-
gnam,ad quam ſtulti non attingunt, cum cor habent inſipiens, & rebus mundanis do-
lens: uerba ſtultitiæ habent in ore ſemper, quaſi huiuſmodi ſermonibus uiuerent,& pa-
ſcerentur.Et proinde miſeram agunt uitam pauperes, non diuitiis,ſed ſciẽtia pauperes,
qui ſunt per uniuerſam uitam in triſtitia & ſolicitudine:ſic Leui Ben Gerſon. Aliter, O-
mnes dies pauperis ſunt mali opinione uulgi, qui magnam partem fœlicitatis in diui- H
tiis collocat,ſed oculi domini qui omnia contemplantur,aliter iudicant:nempe fœlicio-
res eſſe pauperes diuitibus, eò quòd animo ſint magis tranquillo: ut ſequitur. *Securæ*
mens,)ſiue,ut eſt in Hebrẽo,Cor bonum,hoc eſt lætum,quod incumbit ſcientię diuinæ,
curam rerum mundanarum contemnens, eſt quaſi conuiuium continuũ: hoc eſt, quaſi
lætus recumberet in conuiuio comedens & bibens,& præguſtans illud conuiuium, de
Luc.22. quo loquitur Chriſtus,Et ego diſpono uobis,ſicut diſpoſuit mihi pater meus,regnum,ut
edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.

„ MELIVS eſt parum cum timore domini, quàm theſauri magni & inſa- I
„ tiabiles. *Heb.* Quàm theſaurus multus in quo eſt perturbatio.

Quod ſuperius dixerat,omnes dies pauperis mali, indicat non eſſe intelligendum ſim-
pliciter de tenuitate facultatum, ſed quemadmodum expoſuimus: Nam quod ad opes
ſpectat, melius eſt habere parum cum timore domini, quod intelligũt Hebræi de rebus
bene acquiſitis,quàm theſauros multos cum tumultu, ומהומה בו, & tumultus in eo,
ut eſt in Hebræo,hoc eſt,per rapinam & iniuriam congeſtos. Quanuis ſimpliciter recte
dixeris,iuxta præcedentia, fieri non poſſe, ut hi qui opibus quacunque ratione congre-
gandis ſtudent, animo ſint læto.Docet prouerbium fœlicitatem non eſſe in copia diui- K
tiarum,in quibus ſemper eſt turba & tumultus,in quibus fere deficit timor domini,qui
tranquillum reddit animum.

„ MELIVS eſt uocari ad olera cum charitate,quàm ad uitulum ſaginatum
„ cum odio. *In Heb.* Melius eſt conuiuium oleris.

Ne quis,quod dictum eſt ſuperius de conuiuio perpetuo, ſic accipiat, ac ſi laudaret ſa-
piens opiparas menſas,& compotationes crebras,quaſi gauderent in huiuſmodi ſapien-
tes,explicat quid potiſsimum ſpectandum ſit in conuiuiis celebrandis, nimirum chari-
tas & dilectio. In oleribus,frugalis menſa:in uitulo ſaginato, ſiue שור אבוס in boue L
præſepis,ut eſt in Hebræo,lautitiæ intelliguntur.Multi diuitum menſis uarietate ferculorum inſtructis,gaudent intereſſe, ubi magna ambitione & odio laboratur: dum certant inter ſe,quis diuiti principi potiſsimum placeat.Hoc uitiũ corrigere,& tales ad meliorem mentem reuocare conatur ſapiens,docens ſectandam eſſe charitatem, qua melius piæ pingueſcunt animæ,quàm corpus cibis lautioribus.Hebræi ſic intelligunt,quaſi admoneret ſapiens patresfamilias,ut primam dilectionis curam inter domeſticos habeant,& quanta concordia liberos educarent,non quàm lautã menſam inſtruant. Nam de uocatione ad conuiuium,in Hebræo nulla eſt mentio: ſed Septuag. ſecutus eſt interpres,apud quos Latinè ſic legitur, Melior eſt uocatio ad conuiuium olerum ad amicitiã M
& gratiam:Græce uero ſic, ξενισμὸς λαχάνων πρὸς φιλίαν.

„ VIR iracundus prouocat rixas,qui patiens eſt mitigat ſuſcitatos. *Heb.* Vir
„ iracundiæ miſcebit lites,ſed tardus ad iram ſedabit rixam.

Quod autem inter delicias frequenter naſcantur odia & lites, hominum uitio fit, non
rerum. Sunt enim aliqui impatientes & qui facile, & de re minima iraſcuntur, & alios
ad iram prouocant: & ſunt rurſus uſqueadeò alieni ab hac perturbatione, ut non ſolum
ipſi non iraſcantur,ſed etiã alios ad quietem reuocent,& lites ceſſare faciant.Huiuſmodi

conuiuas

A conuiuas uult ſapiens nos amare: reliquos uero, qui ſeminant diſcordias in conuiuiis, Cap. 15.
declinare. Continet prouerbium laudem longanimitatis, & damnat eos qui alienam
pacem perturbant.

ITER pigrorum quaſi ſepes ſpinarum, uia iuſtorum abſque offendiculo.
In Heb. Via rectorum ſtrata.

Piger ſemper accipitur pro improbo, inquit Aben Hezra, præſertim in hoc loco, ubi op-
ponitur rectis & iuſtis: qui magnam facilitatem inueniunt in uia uirtutum, in qua non
B poſſunt errare: ſed quaſi in uia ſtrata, & ſublimi incedunt, iam habitum (ut loquuntur
philoſophi) habentes. Mali autem maximam difficultatem inueniunt ad bene beatéque
uiuẽdum, quibus facilis & amœna uidetur uia uitiorum: uia uero uirtutum aſperrima,
in qua ueluti inter ſpinas incedere uidentur. Vide, ut omnia non natura rerum, ſed ſuo
deſiderio metiuntur improbi. Aben Hezra ſic exponit: Pigro apparet quòd ſua uia &
conſuetudo circundata ſit ſpinis, ut ab ea recedere non poſsit. prior expoſitio eſt melior.
Prouerbium ſignificat pigrum eſſe inutilem ad omnes res gerendas, ſiue quæ ad animi,
ſiue quæ ad corporis ſalutem ſpectant.

C FILIVS ſapiens lætificat patrem, & ſtultus homo deſpicit matrem ſuam.

Expoſuimus hunc uerſiculum in principio decimi capitis, qui eiſdem fere uerbis illic
occurrit. De filio ſapiente & ſtudioſo maior lætitia redit ad patrem, qui non ſolum no-
uit melius, ſed etiam melius æſtimare poteſt, ea quæ cum laude geruntur à filio: quan-
uis mater non eſt expers lætitiæ, qua pater gaudet de probitate filij, ſicut nec pater immu
nis triſtitię quam concepit mater de filio ſtulto, pręſertim cum ætatem uirilem attingens
perſeuerat in ſtultitia ſua: maior tamen ignominia ſequitur matrem, ad quam potiſsi-
mum ſpectat teneram formare ætatulam. Aliter, qui ſine diſciplina educatur à matre in
deliciis, ubi ad ætatem peruenerit uirilem, matri non obtemperabit, ſed illius uerba de-
D ſpiciet, ut puta male inſtitutus in infantia.

STVLTITIA gaudium ſtulto, & uir prudens dirigit greſſus ſuos. Heb.
Stultitia lætitia deficienti corde, & uir intelligentiæ diriget ad ambulãdum,
uel ambulando, ſubauditur ſeipſum, uel cor ſuum, aut greſſus ſuos.

Deſpicere matrẽ ut ſuperiore dictum eſt uerſiculo, inſignis eſt ſtultitia, cùm magna pars
ſapientiæ, & legis recte uiuendi, à matre ſtatim infantibus inſtillari ſoleat. Et hinc ſapiẽs,
Nõ dimittas legẽ matris tuæ: & tamen ſtulti homines nõnunquã in hoc ſibi placẽt, quod
E matrẽ deſpiciãt, & hęc ſtultitia illis pro gaudio, ſiue ioco habetur: ſed his cor deficit, ut eſt
in Hebræo, uel carent corde: hoc eſt non ſolum ſapientia carent, uerumetiam uia & mo
do, quibus ad ſapientiam peruenitur. Aliter, qui gaudet ſtultitia, & lætatur cum male fe-
cerit, alienus eſt à ſapientia, ut puta cui cor deficit, præcipuum receptaculum ſapientiæ.
Is ualde diſsimilis eſt uiro intelligenti, qui parentibus obediens, intelligentiam per bo-
nam diſciplinam nactus, ſeipſum dirigere nouit, ad ambulandum & progrediendum in
uia uirtutis. Prouerbium docet alieniſsimos eſſe à ſapientia qui gaudent male facere,
neque unquam eò peruenturos, ut uitam ſuam recte moderentur.

F DISSIPANTVR cogitationes, ubi non eſt conſilium, ubi uero ſunt plu
res conſiliarij, confirmantur.

Senſus eſt, neminem ſatis ſapere, ſed unumquenque, quantumuis prudens ſit, egere cõ-
ſilio. Vir intelligens diriget ſe ad ambulandum, ut dictum eſt, ſed tamen prudens non
eſt, qui ſibi nimium fidit. Variæ ſuboriuntur cogitationes, quæ niſi bono conſilio, tan-
quam fundamento innitantur, aliis ſuperuenientibus euaneſcunt. Aben Hezra conne-
ctit cum ſequente uerſiculo. Dictio Hebræa סוד. i. fundamentum, quandoque pro con-
ſilio accipitur, ut ab interprete: quandoque pro ſecreto. Et erit ſenſus, Cogitationes diſsi-
pantur, cum non ſit ſecretum, quaſi moneret ſapiens, Ne ſtatim palam facias quibuslibet

quicquid deſtinaueris:nam ita fiet ut cogitationes tuæ diſsipentur, ſed conſiliariis fide- G
libus ſecretas cogitationes tuas debes exponere, & mature de ſingulis deliberare.

» LAETATVR homo in ſententia oris ſui, & ſermo opportunus eſt opti-
» mus,uel uerbum dictum in tempore ſuo quàm bonum?

סוד Fundamentum & conſilium ſignificat,ut diximus, quòd conſilium ueluti rei bene gerendæ fundamentum ſit:ut iam non multum referat,ſiue fundamentum, ſiue conſilium reddatur,& ſenſus erit prioris uerſiculi,quòd ab aliis facile diſsipantur cogitationes quas concipimus,ſi non ſit ſolidum conſilium cui innitamur.Sed per cõſiliarios ſtabilietur cogitatio illius,qui conſilium accipit,& erit lætitia uiro (ut in hoc uerſiculo ha- H
bemus) qui dedit conſilium,ubi uenerit reſponſio oris illius:& uerbum cõſilij quod ueniet in tempore ſuo quàm bonum? his qui conſilium acceperunt,hoc eſt utriq; ualde gratum eſt opportunum conſilium,ut malum conſilium conſultori peſsimum.

» SEMITA uitæ ſupra eruditum, ut declinet de inferno nouiſsimo. *In Heb.*
» Semita uitæ ad aſcenſionem,ſiue gradum ſuperiorem intelligenti, ut decli-
» net de inferno inferiore.

Duplex eſt ſenſus,uel quòd uia uitæ ſurſum ducat, ad cæleſtem uitam angelorum, uel I
quòd tendat ad honorem,& ducat prudentem ad dignitates inter homines.Prior intelligentia quæ melior eſt,pendet à præcedẽti loco,ubi de duplici uia dictum eſt, pigri uidelicet & rectorum,quarum hæc ſtrata & complanata eſt,ut facilis ſit inambulatio in illa, quantumuis difficilis uideatur pigris:utriuſque exitum hoc in loco deſcribit, interim innuens uiam illam rectorum non carere ſua fatigatione,præſertim infirmis, iuxta illud
Matt. 6. euangel. Arcta eſt uia quæ ducit ad uitam: altera decliuis eſt & facilis quæ tendit ad inferos, & omnibus obuia. Sed ſemita uitæ non omnes ducit ad gradum ſuperiorem, ut eſt in Hebræo,ſed prudentes ſolum. Alij ſuam iactent ſeu ſapientiam ſeu intelligẽtiam, K
noſtro Salomoni ſapientiſsimo ſumma & rara prudentia eſt, tenere ſemitam uitæ, quæ tendit ſurſum, & declinare facit ab inferis. Alij, ut dixi per uiam uirtutum uolunt prudentes uiros facilius ad honorem peruenire,& ad longæuam uitam, hoc eſt declinare à ſepulchro,facilius inquam cæteris,& hoc eſſe præmium prudentiæ.

» DOMVM ſuperborum demolietur dominus, & firmos faciet terminos
» uiduæ.

Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.Vidua deſolata & derelicta nihil eſt humilius,& proinde peculiariter uiduarum iudex & uindex eſt Deus,quarum nõ ſolum re- L
liqua bona ſeruat,ſed etiam extremos agrorũ terminos tuetur.Si dominus ædes ſuperborum deſtruat,quid integrum illis relinquit? ad terrorem ſuperborum & potẽtium,ad conſolationem uero humilium ſcriptum eſt à ſapiente.Et bene reſpondet priori uerſiculo,ut poſsimus diſtinguere inter gradum ſuperiorem ſapientis uiri,& elationem ſiue faſtum ſuperborum.Pro demolietur,uerti poteſt, extirpare ſolet dominus domum: ut ſit ſenſus,Nullum relinquet ex familia ſuperborum: ex familia uero uiduarum,hoc eſt humilium,ſtabiliet etiam infimos & poſtremos.& hæc eſt melior expoſitio.

» ABOMINATIO domini cogitationes malę,& purus ſermo pulcherri- M
» mus firmabitur ab eo. Aliter, Abominationes domini cogitationes malæ,
» & mundorum ſermones iucundi,pulchri,uel puri ſunt ſermones decoris.

Quid eſt quod execratur & abominatur dominus cogitationes mali hominis, ex quibus omnia mala proueniunt? & quid eſt iucundum & pulchrum in oculis domini? ſermones caſti & nitidi,qui optimarum cogitationum ſunt indicia. quaſi dicat: Vbi malæ ſunt cogitationes,neque uerba pulchra,neque facta honeſta poſſunt eſſe. Cæterũ ſi uer-
Ephe. 4. ba ſunt pura,hoc eſt, ubi tantum abſunt à uitiis, ut ne nominentur quidem, ſicut decet ſanctos,

A ſanctos,ibi puritas magna eſt & decus: hoc enim נועם ſignificat, quæ uox pulcherri- Cap. 15.
mus redditur ab interprete. Poteſt ad bonos & malos doctores referri, quorum hi cum
cogitationes & ſtudia referunt ad malam doctrinam, execrabiles ſunt: illorum uero ſer-
mo purus ab omni ſcoria, decorus eſt, iuxta illud, Quàm ſpecioſi pedes euangelizãtium
bona, annuntiantium pacem. Prouerbium ſignificat, nõ ſolum factorum, ſed uerborum *Eſa. 52.*
& cogitationum reddendam eſſe rationem.

„ CONTVRBAT domum ſuam qui ſectatur auaritiam, qui autem odit
B munera uiuet. *In Heb.* qui auarè ſectatur auaritiam.

Hebræi eos qui ex rapina uiuunt, intelligunt: qui aliquando deprehenſi pœnas luunt &
multantur cum confuſione domeſticorum, & ſubuerſione totius familiæ. Id enim fre-
quenter uſu uenit iudicibus, per auaritiam corruptis, & rectum iudicium ſubuertenti-
bus, in ruinam multarum domorum, quibus aliquãdo remetietur eadem menſura. Cæ-
terum iudex qui odit munera, neque ullum pretio innocẽtem perdit, dignus eſt qui diu-
tiſsime uiuat. Mihi uidetur ex ſuperiore uerſiculo pendere, & contra malos paſtores uel *Ierem. 6.*
concionatores proferri, qui à maiori ad minorem omnes auaritiæ ſtudentes, ſuas ſub-
C uertunt eccleſias. Cæterùm qui odit munera, hoc eſt non temporalis lucri cauſa, gregem
Chriſti paſcunt, ſemitã uitæ ſequuntur, & ut uita digni ſunt, ita multos ad uitã ædificant.
Aliter, perpetua fama uiuet in his, quos per bonam doctrinam uiuere docuit: ut uita fa-
miliæ reſpõdeat perturbationi familiæ. Mira diſpenſatio, apud imperitum uulgus, nihil
magis ſtabilire poteſt domum & familiam quàm opes & diuitiæ, ſed longe alia eſt ſen-
tentia ſapientis.

„ MENS iuſti meditabitur obedientiam, os impiorum redundat malis. Ali-
„ ter, Cor iuſti meditabitur ad reſpondendum, ſed os impiorum loquetur, uel
„ abundabit malis.

D Varia ſignificatio huius uerbi ענה reddit ambiguam uerſionem: ſignificat enim re-
ſpondere, humiliare & negotiari. Iuxta primam ſignificationem cordatum ſermonem
commendat iuſtorum, loquacitatem uero malorum reprehendit, qui modum ponere
neſciunt: metaphora tracta à fluminibus aut fontibus, qui nunquam deſinunt ſcaturire.
Duplici nomine ſuam ſtultitiam oſtendunt, cùm neque bene loqui, neque tacere queãt.
Iuſtorum uero præmeditata ſunt uerba, & manſuetudinem ſiue humilitatem ſonant,
iuxta ſecundam uerbi ſignificationem. Iuxta tertiam uero, quam cum ſuo patre ſequi-
tur Dauid Kimhi, erit ſenſus: Cor iuſti meditabitur loqui cũ negotio, & rerum pondere,
E non ſine fructu uerba effutire, ut reſpondeat priori uerſiculo, ubi dictum eſt, Verba re-
ctorum cum decoro & amœnitate rerum, ut aliquid utile proferãt: Nam de omni uerbo *Matt. 12.*
otioſo reddent rationem homines.

„ LONGE eſt dominus ab impiis, & orationes iuſtorum exaudiet.

Duos priores uerſiculos de iudicibus bonis & malis, ſiue iuriſcõſultis, qui iudicia bona
uel ſtatuunt, uel ſubuertunt, bene intelligit Aben Hezra: atqui illis hunc tertium quaſi
coronidem ſubnectit, utrorumque dignam mercedem continentem: Iuſti iudices qui ad
F querelas oppreſſorum aures præbere ſolent, ſimilem gratiam à domino uiciſsim conſe-
quentur: ab auxilio uero impiorum, & ab oratione eorum, longe recedit dominus: iuxta
illud, Qui obturat aurem ne audiat legẽ, oratio illius erit execrabilis. Aliter, Quàm lon-
giſsime eſt Deus à cordibus impiorum, quorum ora malis defluunt & ſcaturiunt ſermo- *Prou. 28.*
nibus: & benigne exaudit orationes iuſtorum qui meditantur omnibus modis corda ha
bere humilia. Aliter, Longe eſt dominus ab oratione impiorum, quaſi præ diſtantia non
poſsit audire, ſed orationem iuſtorum audit, nam prope eſt dominus omnibus inuocan-
tibus eum in ueritate. Aliter, Prouerbium ſignificat bonos habere prẽmium in hac uita,
& improbos ſupplicium: grauiſsimum eſt enim Dei præſentia carere. Cæterum, Deũ ſic
habere benignum, ut quicquid petieris ſtatim impetres, fœlicitatis eſt infinitæ.

» LVX oculorum lætificat animam, fama bona impinguat oſſa. G

Si externis rebus quæ ſenſus oblectant, animæ quoque uires recreantur, & ſi quæ oculis lux percipitur, ad præcordia deſcēdit, & bona fama quæ per auriculas ingreditur, medullam oſsium & ſanitatem corporis augeat, quod etiam phyſica ratione uerum eſſe cōſtat, quanto magis Chriſtus lux & ſol huius mundi, qui tandem poſt ſecula multa exortus eſt, ſedentibus in tenebris & umbra mortis, & qui uiſus & conuerſatus eſt cum hominibus, tandem credentium corda læta effecit: & optima fama quæ de illo per orbem ſeminata fuit, impinguauit oſſa humiliata, hoc eſt uires collapſas inſtaurauit, penetrans ad intima cordis & animæ. Sed hæc ſecundū allegoriam. Tropicās per lumen oculorum H fidem intelligimus, qua corda purgata læta efficiuntur: per oſſa, uirtutis conſtantiam. Iuxta ſenſum hiſtoricum, Prouerbium ſignificat imprimis referre quid uideamus, uel quid audiamus: nam ea quæ per hos duos ſenſus percipiuntur, maximum habere momentū ad uirtutes & uitia.

Eſa. 9.

» AVRIS quæ audit increpationes uitæ, in medio ſapientum cōmorabitur.

Poſt acceptam lucem quæ illuminat omnes homines, & fide purificat corda credentium per bonum auditum, hōc eſt euangelium: Cum accepiſſetis, inquit Paulus, à nobis uer- I
1. Theſſ. 2. bum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut uerbum hominum. Supereſt ut auris quoque audiat increpationes uitæ, quibus uita caſtigatur, uel quibus ad uitam facilius peruenitur euangelicam: is tandem dignus eſt qui inter ſapientes, qui domum ſupra petram
Matt. 7. ædificauerunt, commoretur. Aliter, de eo qui audit increpationes uitæ, merito dicetur, quòd inter ſapientes commoratus eſt, & ex illis ſapientiam didicerit. Quod nos ad euangelicam ſapientiā deflectimus, Hebræi ad legalem trahunt: alioqui ſimpliciter ad quodcunque tempus referri poteſt, ſicut id quod ſequitur.

» QVI abiicit diſciplinam deſpicit animam ſuam, qui autem acquieſcit in- K
» crepationibus poſſeſſor eſt cordis. Timor domini diſciplina ſapientiæ, &
» gloriam præcedit humilitas.

Quàm adamuſsim refellit ſapiens hoc in loco eos, qui caſtigationem & diſciplinam recte uiuendo nolunt eſſe neceſſariam in euangelico ſapiente: nam qui uitam caſtigare nolunt, ſed lucem euangelicam & uerbum Dei ſufficere clamant, non ſolum ſalutē animæ ſpernunt, cuius uita in caſtigatione conſiſtit, ſed etiam quàm alieniſsimi à ſapientia eſſe monſtrantur, cum nihil cordis aut intelligentiæ poſsideant: & à timore domini ſunt alieni, quod eſt principium ſapientię. Eſt etiam timor domini diſciplina illa, quæ à ſapiē-
Eccleſ. 1. tia procedit. Vbicunque timor domini regnat, iuxta præceptum ſapientiæ, mores caſti- L
Philip. 2. gantur: nam timor domini expellit peccatum, quod dum agnoſcimus humiliamur pœnitentes. Et omnis qui ſe humiliat exaltabitur, & Chriſtus humiliauit ſemetipſum uſque ad mortem, & propterea exaltauit eum Deus.

CAPVT XVI.

HOMINIS eſt animam præparare, & domini gubernare linguam. Aliter, hominis ordinationes aut præparationes cor- M
dis, & à domino reſponſio linguæ.

ערך diſponere, ordinare, & aciem inſtruere ſignificat. Sunt qui putant prouerbiū indicare, quòd uulgò dicitur, Homo proponit, Deus diſponit. Sapiens hoc in loco gratiā Dei, cum libero hominis arbitrio coniū-
De gratia & libero arbitrio. git. Nam hominis eſt, hoc eſt uires ſunt homini: ſiue, à Deo accepit uires homo, ordinan
Iaco. 1. di & diſponēdi apud ſe cogitationes ſuas, quid dicturus ſit, ſed bene proferendi facultas,
2. Cor. 3. & loquēdi aliquid ad laudem Dei, uel utilitatē proximi, à domino eſt, à quo Omne datum optimū, & omne donum perfectū deſcendit: Sed cum Paulus dicat: Non ſufficientes

ſumus

A ſumus cogitare aliquid à nobis,tanquã à nobis,obſeruandũ eſt ſapientẽ non dicere,ho- Cap. 16.
minis eſt dignè cogitare,ſed diſpoſitiones quædã qualeſcunq; cordis,ad hominẽ ſpectãt,
ne dicamus cum hæreticis, Deum non aliter abuti humana uoluntate, q̃ opifex aliquis
inſtrumento ferreo aut ligneo ſolet. Aliter, Significat prouerbiũ difficilius eſſe doctam
habere orationem, & proferre cum gratia auditorum, quod Demoſthenes primũ, ſecũ-
dum, & tertium dixit eſſe in oratore, quàm excogitare cum ingenio, quæ ſunt dicenda.
Aliter, ad concionatores refertur,quorum eſt animũ præparare per orationem,& domi-
ni gubernare linguam, per quam ſanam doctrinam adminiſtrent.Beda uidetur per in-
B terrogationem legere,& contrarium elicere ſenſum. quaſi dicat,Cum domini ſit linguã
& reſponſionem gubernare, quanto magis eſt non hominis,ſed domini gubernare co-
gitationes?Sunt qui putant Salomonem loqui in prima clauſula iuxta opinionem homi
num.q.d. Homo putat ſe poſſe bene diſponere cogitationes ſuas,ſed tãtum abeſt ut hoc
faciat,ut ne linguam quidem poſsit gubernare,neque reſpondere ſine domino. Et huic
poſtremæ expoſitioni quæ & optima eſt, bene quadrat quod ſequitur·

» OMNES uiæ hominũ patent oculis eius: ſpirituũ põderator eſt dominus.
» Aliter,Omnes uiæ uiri mundæ in oculis ſuis.

C Ambiguum facit ſenſum relatiuum in oculis ſuis aut eius: nam uel ad hominem poteſt
referri,in oculis ſuis.q.d.Fere ſibi blandiuntur homines in oculis ſuis, cum non ſint uiæ
eorum mundæ apud dominũ.uel,Omnes uiæ uiri mundi & innocentis,ſunt acceptæ in
oculis eius,qui præparat ſiue diſponit ſpiritus. Quãuis hominis ſint diſpoſitiones cordis
ut dictũ eſt,tamẽ domini eſt ſpiritus & cogitationes bene dirigere,ut omnes uię uiri ſint *Vir non*
mundę in conſpectu domini:alioqui enim non uiri, ſed ſues aut canes ſunt in interiore *eſt, cuius*
homine.Pẽdet à ſuperiore uerſiculo.Monemur ſic diſponere cogitationes,ut illius ocu- *uia eſt im*
lis non ſint odioſæ,& ne putemus ne cogitationes quidem latere Deum,quẽ nihil latet, *pura.*
imò omnes uiæ uiri mundi ſunt in oculis eius,qui dirigit ſpiritus & cogitationes ut pu-
D ræ ſint.Ab aliis uerò auertit oculos,aliorum uias non dignatur intueri.

» REVELA domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.

Iuxta noſtrum interpretem hortatur ſapiens,ne uelimus aliquid ex noſtris operibus do-
minum latere, ſed talia facere quæ illius conſpectum non erubeſcant, uel interim in-
genuè confiteri,ſi quod peccatum committimus, ut in multis offendimus omnes. גלל
uoluere uel reuoluere apud Hebr.ſignificat, & notum fac ab aliquibus exponitur. Vol-
uere ad dominum opera, eſt domino acceptum referre, ſi quid rectè fiat à nobis, ut no- *Reuelare*
uam mereamur gratiam,qua cogitationes utcũque diſpoſitę confirmentur,& ſtabilian- *uel reuol-*
E tur in bono,ut in dies prõptiores ſimus ad bona opera. Aliter, Volue ad dominũ omnia *uere ope-*
opera tua.q.d.ad honorem domini omnia refer, illi agẽdo gratias de omnibus bonis & *ra ad do-*
malis:Si bona de manu domini accepimus,mala autem quare non ſuſtineamus?& cogi- *minum.*
tationes,hoc eſt, poſtulata & deſideria tua confirmabit:impetrabis quæ poſtulas. *Iob.2.*

» VNIVERSA propter ſemetipſum operatus eſt dominus, impium quo-
» que ad diem malum.

Quãuis in Heb. non ſit pronomen reciprocum ſeipſum, ſed propter ipſum:tamẽ melius
F eſt referre propter ſe,ad dominum.q.d.propter bonitatem ſuam fecit omnia,iuxta illud
Auguſtini de doctrina Chriſtiana:Quia bonus eſt Deus, ſumus :& inquantum ſumus,
boni ſumus. Alioqui ſunt qui ſic uertunt,uniuerſa propter ipſum operatus eſt Deus: &
referunt ad uirũ innocẽtem & mundũ.q.d. propter iuſtos fecit omnia: ut cõfirmet quod *Impius*
dictũ eſt,Deum confirmare cogitationes eorũ,qui omnia opera ſua reuoluunt ad eũ. Et *propter iu-*
etiam impiũ.ſ.adducet ad diem malum propter iuſtos,ne noceat illis.Aliter,propter glo- *ſtos.*
riam ſuam fecit omnia,etiam impium ad diem malum adducet propter gloriã ſuã,iuxta *Rom.9.*
illud:Quòd ſi Deus uolẽs oſtẽdere iram & notam facere potentiã ſuã,ſuſtinuit in multa *Impius*
patientia uaſa iræ,apta in interitum,&c. Aliter,impium ad diem malum,hoc eſt diẽ affli *propter*
ctionis populi ſui,ut per impium, ſuum populũ caſtiget & puniat Deus, unde ſcribitur: *Deum.*

Væ Aſſur uirga furoris mei, & baculus ipſe in manu eorum indignatio mea, omnia igitur propter electos. Vtraque expoſitio eſt bona, prior eſt melior. G

» ABOMINATIO domini eſt omnis arrogans: etiam ſi manus ad manũ
» fuerit, non erit innocens. Aliter, Abominatio domini omnis ſuperbus, mox
» non erit innocens.

Cum dominus omnia fecerit propter hominem, illius non agnoſcere bonitatem, ſed per ſuperbiam aliquem honorem Deo debitum, tãquam authori omnium, ſibi arrogare, intolerabilis eſt arrogantia, quam dominus uſqueadeò execratur, ut diu non poſſit eſſe impunita: quanuis innocentes uideantur hominibus aliquando, qui contra Deum ſuperbiunt, non exteriore habitu, ſed corde & opinione: iuxta illud, Eritis tanquam Dij: Aſcendam in Aquilonem, & ero ſimilis altiſsimo. *Manus ad manum,*) hoc eſt ſubito, uel facile: nihil enim facilius aut celerius facimus, quàm manum plicamus manui. Aliter, Cum manus domini iuncta fuerit manui impij, qui ſuperbit contra dominum, inuenietur reus: uel, ſi opus domini conferatur cum operibus impij, ſtatim apparebit illius impietas & arrogantia.

Arrogantia intolerabilis. *Gene. 3.* *Eſa. 14.* H

» MISERICORDIA & ueritate redimitur iniquitas, & in timore domi-
» ni declinatur à malo. *Heb.* Per miſericordiam & ueritatem expiabitur ini- I
» quitas, & per timorem domini declinare à malo.

Per miſericordiam & ueritatem, opera charitatis intelligimus, quæ in ueritate ſunt facta: hoc eſt in fide & religione uera: uel, in fide, hoc eſt in pura conſcientia. nam quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Qui miſericordiam exercet, miſericordiam aſſequetur. Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur: & non uenient ad diem malũ cum impio, cuius timor potiſsima ratio eſt declinandi à malo, memoria uidelicet illius diei: Recordare nouiſsima, & in æternum non peccabis. Aliter, Propter miſericordiam & ueritatem, quam faciet homo, & propter timorem Dei, qui eſt in corde illius, & cũ declinauerit ab omni malo, erit ei remiſsio iniquitatum priorum: quaſi dicat, Si es peccator, cõmiſiſti iniquitatem, exerce opera pietatis in ueritate, & remittetur tibi: ſi non commiſiſti iniquitatem, time Deum, quò poſsis declinare à malo. Docet prouerbium, non eſſe deſperandum, ne arroganti quidem, qui eſt abominatio domini. Et opera miſericordiæ commendantur.

Rom. 14. *Matt. 5.* *Timor domini bonis & malis neceſſarius.* *Remiſsio iniquitatis quomodo acquiritur* K

» CVM placuerint domino uiæ hominis, inimicos quoque eius conuertet
» ad pacem.

Additur, cum illo, in Hebræo. Inimicitias & odia inter ſeſe exercẽt homines, quòd Deũ nõ quærant amorem. quaſi dicat, Fieri non poteſt ut fideles inter ſeſe ſint amici, qui Deũ ut oportet non amant. Si Deũ amamus, inter nos amicitia facile coibit. Aliter, Quia nõ eſt noſtræ poteſtatis quid alij faciãt, ſi Deo uitam noſtram commendare ſtudeamus, hoſtes non poterunt nobis nocere, ſed pacem nobiſcũ libenter amplectentur: cum uideant ſe non poſſe præualere contra eos, qui Deum amãt. Docet prouerbium quod apoſtolorum temporibus & martyrum impletum eſt in eccleſia, cuius hoſtes & perſecutores tandem pacem amplexi ſunt. Si per hoſtes potentias animæ ſenſitiuas intelligamus, quæ nobis facile conſentient & amicitiam cum ratione iungent, ubi conſuetudines honeſtas & Deo dignas amplexi ſumus, erit moralis ſenſus paulo abſtruſior, & aliquid ex euãgelio referre uidebitur, nempe, Eſto conſentiens cum aduerſario tuo, &c.

Amicitiã inter homines amor Dei confirmat. *Mat. 5.* L M

» MELIVS eſt parum cum iuſtitia, quàm multi fructus cum iniquitate.
» *Heb.* Abſque iudicio.

Pendet ex præcedente, oſtẽdens unde potiſsimum proueniat quod uiæ hominum non placeant Deo, neque pacem inter ſeſe alant, nempe quòd auaritiæ ſtudent, & pluris faciunt lucrum quàm Deum: ſed præſtat modico eſſe contentos, & ſeruare iuſtitiam, hoc eſt, præ-

A est,prestat uiuere cum eo quod iustè acquirimus. Aliter,Melius est modicum cum iusti- Cap.16.
tia,hoc est,cum piis operibus & eleemosynis,quàm multitudo fructus,siue (ut est in He
bræo)prouentuum,absque iudicio,hoc est iniquitate & rapina,collectorum: non enim
proderũt diuitiæ in die iræ,nisi ex illis fiat iustitia, & opera misericordiæ,quibus iniqui-
tas redimitur: ut modo lectum est.

„ COR hominis disponit uiam, sed domini est dirigere gressus eius. *Hebr.*
„ Cor hominis cogitabit uiam suam.

Voluntatem hominis liberam astruit,& gratiæ necessitatem ad bonum opus absoluen-
B dum ostendit.Nõ est sensus alienus à primo huius capitis uersiculo: uel ab eo quod dicit
Paulus, Velle adiacet mihi,perficere autem bonum non inuenio. *Roma. 7.*

„ DIVINATIO in labiis regis,in iudicio non errabit os eius, uel non præ-
„ uaricabitur os eius.

Quod à rege decretum est, tanquam diuinatio uel fatum solet esse, hoc est non minus
æquum ut fiat,uel non minus certum,præsertim in iudicio ueritatis, in quo non errabit
os eius,uel in iudicio.s.quando nõ præuaricatur os eius.Regibus & iudicibus obtempe
C randum,& eorum sententiis obediendum esse monet, & candidè interpretari quicquid
decreuerint, imo tãquam oraculum habendum:nam in iudiciis publicis, quæ non sine
graui consilio celebrant reges,non solet esse error,uel præuaricatio.Quod si de Christo
rege intelligamus iuxta allegoriam, uere diuina oracula labiis suis protulit, & nũquam
errauit os eius in iudicio.

„ PONDVS & statera iudicia domini sunt,& opera eius omnes lapides sac-
„ culi. Aliter,statera & bilances iudicij domino,opus illius omnes lapides uel
„ pondera crumenæ.

Quemadmodum à regibus exigit Deus,ut in iudicio non præuaricentur, nec errẽt uer-
bis oris,imò ut tanquam oracula diuina, quæ sunt æquissima, sententias proferant: ita à
D priuatis hominibus singulis,in sua arte quod ęquum & iustum est exigit,maxime ab iis
qui ponderibus & mensuris utuntur,in quibus fraus & dolus facile cõmittitur.Et proin-
de statera & bilances,in quibus maiora & minora põderantur,sunt iudicij domini, hoc
est domino reddẽda est ratio de his.Qui legitime his utitur,Dei iudicium & æquitatem
facit:Qui uero ad fraudẽ proximi ponderibus abutitur,Dei iudicium peruertit.Hebræi
tamen referunt iudicium ad stateram.quasi dicat,Bilances iudicij,hoc est iustę,sunt à do
E mino,qui præcepit æqua fieri pondera,& opus eius,nempe stateræ (quod opus cõsistit in
lapidibus sacculi)est etiam à domino.Aliter, Pondus & statera iudicij domino, hoc est
domino debemus ferre acceptum, quod inuentum est ab hominibus, ad iudicium & iu
stitiam exercendam inter homines,& opus eius omnes lapides sacculi, quibus antiqui-
tus uti solent pro ponderibus.

„ ABOMINABILES regi qui agunt impie, quoniam iustitia fir-
„ mabitur solium.

F Non solum in Deum peccant,qui quacunque fraude utuntur,sed in rempub.Idcirco re-
gibus,quorum os non errat in iudicio,sunt abominationi,qui uel põderibus abutuntur,
uel quamcunq; iniquitatem exercent.Nam quantum in illis est,quietem reip.perturbãt,
& subuertunt iustitiam,ob quam seruandam reges & principes sunt instituti & ordinati
à Deo.Iustitia sublata, maiestas & tribunal regis non poterit permanere. Solium etiam
supremi regis,solium inquam & imperium quod in sanctos,qui libenter illi obtẽperant,
iustitia firmatur,ejecto iniquo principe huius mundi, qui regnat in filiis diffidentiæ: &
proinde nihil magis execratur rex regum,quàm impietatem,siue infidelitatem quæ po-
tissimum impedit,quo minus solidetur in nobis regnum illud,quod petimus in oratio-
ne dominica:Adueniat regnum tuum.

» VOLVNTAS regum labia iuſta,qui recta loquitur dirigetur. *Hebræum,* G
» Beneuolentia regũ labia iuſtitiæ,& loquentes recte diliget. Indignatio re-
» gis nuncij mortis,& uir ſapiens placabit eum.*Hebræum,* Placabit eã. In hi-
» laritate uultus regis uita,& clemẽtia eius quaſi imber ſerotinus. Aliter,In lu-
» ce faciei regis uita, & beneuolentia eius tanquam nubes pluuiæ ſerotinæ.
» Poſside ſapientiam,quia auro melior eſt:& acquire prudentiam,quia pretio-
» ſior eſt argento. *In Heb.* quàm aurum pretioſum & electum argentum.

H

Principibus placuiſſe uiris non infima laus eſt, eleganter ſcripſit Naſo: & Salomõ in his uerſiculis , quanti debeamus æſtimare uoluntatem regis & beneuolentiam oſtendit,ad quam obtinendam, imprimis debemus cauere omnem improbitatem , & iniquitatem, ut dictum eſt.Secundum locum obtinent labia iuſtitiæ,& loqui quod æquum & rectum eſt. Qui ueri reges ſunt,magna beneuolentia amplectuntur eos, quorum labia ſunt labia iuſta:quod ad iudices & eos qui remp.tractant maximè ſpectat,quorum æquitate ſolium regis firmatur. *Qui recta loquitur dirigetur:*) In Heb. loquẽtẽ recta amabit,ſup.unuſquiſque ex regibus:uel loquẽs recta diligetur.ſ. à rege ut neutraliter accipiatur uerbum יאהב. Apud regem dominum, ex uerbis tuis iuſtificaberis,& ex uerbis tuis condemnaberis, in cuius manu eſt mors & uita. Et proinde modis omnibus ſtudendum eſt,illius regis beneuolentiam aſſequi , cuius indignatio eſt tanquam angelus mortis ſiue exterminator,qui primogenita Aegyptiorum interfecit ſubito . q.d.furori regis nemo poteſt reſiſtere,neque nunciis eius,non minus quàm angelis miſsis à Deo: & proinde uirtutibus prædictis placanda eſt & ſedanda ira principis. Scriptura ſeruat metaphoram,dicẽs, expiabit eam,quaſi uictimis quibuſdam eſſet litandum , & placanda principis ira,quam contulit iræ Dei,per angelum exterminatorem deſtinatæ inter homines. באור ,in hilaritate,in lumine uerti poteſt,uel in lucem. Fauorem regis luci & pluuiæ ſerotinæ meritò contulit:Nam luce quam in principio creauit deus,nihil eſt humanis oculis charius,nec opportuna pluuia (quam Hebr. מלקוש uocãt) agricolis quicquam utilius: ſine quibus, uel non uiuimus,uel non iucundè uiuimus. His rebus lętiſsimis ſimilis eſt ſerena facies regis.Vel uita eſt,quòd tales poſsint uiuere,quos blande intuetur princeps,uel quòd res ſit optanda æquè ut uita:nam ex beneuolentia regis,quæ fœcunda eſt, ueluti pluuiæ ſerotinæ, multa beneficia accipiũt homines.Ego uero dico à rege Chriſto, qui lux eſt mundi,& ros uel pluuia,iuxta illud:Rorate cæli deſuper,& nubes pluant iuſtum.Et bene pluuiæ ſerotinæ confertur Chriſtus , hoc eſt pluuiæ quæ ſerius deſcendit , uidelicet in uere quo ueniente regiones albæ erant ad meſſem , Ex his magnis rebus , quas accipimus dum regis beneuolentiam aſſequimur, infert Salomon ſapientiam multo melius quàm aurum pretioſum , & poſsidere intelligentiam res eſt potius eligenda , quàm poſsidere argentum quantũuis electum. Quod ſuperius dictum eſt pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur , non ualent huic comparari , ut per quam in hoc mundo uiuimus,placando iram regis, & in futuro cæleſti lumine illuſtrati.

I

K

L

Ioan.4.

Prouer.3.

» SEMITA iuſtorum declinat mala, cuſtos animæ ſuæ ſeruat uitam ſuam.
» *Hebræum,* Semita rectorum declinare à malo,cuſtodit animam ſuam qui ſer- M
» uat uiam ſuam.

מסלת non ſimpliciter uiam ſignificat,ſed uiam altam & ſtratam ac quaſi congeſtam ex aggere.Talis eſt uia rectorum, per quam declinant à malo , trita & complanata uia per cõſuetudinem morum.quaſi diceret,Rectis qui apud ſe recta & æqua in animo proponunt,qui præparant animum ad bene beatéque uiuendum,facile eſt illis,inquam,declinare à malo,quod eſt principium iuſtitiæ (Declina à malo) Porrò qui ſeruat hanc uiam cuſtodiet animam ſuam ab indignatione regis,& ab angelo mortis, nam principes non ſunt timori boni operis,ſed mali.

Pſal.37.

Rom.13.

CONTRI-

ACONTRITIONEM præcedit ſuperbia,& ante ruinam exaltabitur ſpi- Cap.16.
„ ritus. Melius eſt humiliari cum mitibus,quàm diuidere ſpolia cum ſuper-
„ bis. *In Heb.* Humiliari ſpiritu cum humilibus.

שבר Contritio, uel fractura pro ruina & perditione accipitur: ut hoc in loco inſinuat ſapiēs, pro contritione ruinā ſubſtituens in ſecunda parte, cū ſenſus ſit idē diuerſis uerbis. Oſtēdit ſuperbiā ut in primo homine, ita in omnib⁹ eſſe cauſam ruinæ & perditionis,& Deum non punire quenquam ante peccatum, neque peccare aliquem, niſi ex ſuperbia quadam, quòd coram Deo humiliari nolit. Nunquam enim contemptim & mortaliter
B tranſgredimur Dei præcepta, niſi pluris facientes noſtram uel uoluntatem, uel uoluptatem,quàm imperium Dei: & proinde ſemita illa ſublimis & munita rectorū, quam ſeruantes cuſtodiūt animas ſuas,eſt uia humilitatis, quam Chriſtus imprimis ſuis commendauit,hinc concionem ſuam exorſus dicendo: Beati pauperes ſpiritu: cuius etiam *Matth. 5.*
ſeipſum propoſuit exemplum,Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.Sed cum hi *Matt. 11.*
qui ſeipſos nihili æſtimant, & ſeipſos contemnunt, ab aliis fere contemnuntur quoque & opprimuntur,ac ſua nonnunquam perdunt: conſolatur nos ſapiens addendo, *Melius eſt humiliari cum mitibus.*) quaſi dicat, Superbi homines humilibus nonnunquā inferunt
C iniuriam,bona diripiunt,ſpolia diuidunt:tamen uirtus animi eſt melior quàm bona externa quamlibet bene comparata.Si cum humilibus & manſuetis ambulaueris, ſi fueris etiam ipſe humilis, cæleſtem quandam uitam in terris agis, in pace & tranquillitate animæ.Inter ſuperbos uero ſemper ſunt iurgia:noli igitur uulgi iudicio,ſed ſapientum, res æſtimare:uirtutem uitio,animæ quietem externis bonis præponere.

„ ERVDITVS uerbo,reperiet bona: & qui ſperat in domino, beatus eſt.
„ *In Heb.* Intelligens rem uel uerbum,inueniet bonum.

D Rem ſiue uerbum de quo modo dictum eſt in ſuperiori uerſiculo intelligimus.quaſi dicat,Cum hæc res longe abſit ab opinione uulgi,qui externa bona magis quærunt,quàm animæ, tamen qui rem ut decet intelligit & æſtimat,inueniet bonum, ut ſcriptum eſt: Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram. Ad prudentiam igitur hominis ſpectat, *Matth.5.*
res iuxta ſuam naturam æſtimare.Putare,ut diximus,Melius eſſe humiliari cum māſuetis uiuendo,quàm cum ſuperbis diuidere ſpolia.Quod ad reliquum ſpectat,tota fiducia collocāda eſt in domino,qui nos tuebitur,ne conculcemur à ſuperbis hominibus: nam ille tandem beatus eſt, qui & recte de rebus iudicat, & cum fiducia in dominum, quod rectum iudicat,aggreditur & proſequitur. Sunt qui in genere dictū intelligunt de quo-
E cunque negotio:ut ſit ſenſus,Prudens qui præuidere poterit in re qualibet quid euenturum ſit, bonum inueniet, prudenter aget multa. *Sed beatus qui ſperat in domino.*) quaſi dicat,Præſtat in domino collocare fiduciam,quàm in propria prudentia: uel, beatus eſt qui præter hoc quòd multa cum prudētia res ſingulas adminiſtrat,nihilominus omnem fiduciam in domino collocat.

„ QVI ſapiens eſt corde,appellabitur prudens: & qui dulcis eloquio,maiora
„ reperiet. *Heb.* Sapientis cor uocabitur prudens,& dulcedo labiorum auge-
„ bit doctrinam.

F Aliter,ſapiens corde uocabitur intelligens,ſed tum ſi dulcedini labiorum addat doctrinam,ut unicam clauſulam contineat uerſiculus, qua docetur inter homines habēdum pro ſapiente,qui eloquentia præditus auget ſcientiam docendo.Sunt ex Hebræis qui ſapientiam uolunt eſſe in lege diuina, prudentiam uero in ſcientiis humanitus inuentis. quaſi dicat, Nemo poteſt eſſe ſapiens & ſcripturas ſatis intelligere, qui ſit ſecularium literarum ignarus,ut ſcribit Hiero.alicubi, nempe in epiſtola ad Demetriaden uirginem. Poteſt ſapiens intelligi in cognitione,prudens in actione: quarū altera alterius eget ope: & ob id quicunque uere ſapiens eſt,non in uerbis aut ſermone uel opinione hominum, ſed in corde ſuo ſapientiam Dei reconditam habet: hic etiam uere dici poteſt prudens,

hoc eſt ſtudioſe uiuet. Nemo ſuam iactet ſapiẽtiam uerbis, factis & operibus externis ſa- G
Iacob.3. pientiam oſtendat, ſi corde lateat, ut inquit Iaco. Quis ſapiens & diſciplinatus inter uos? oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuã in manſuetudine ſapientiæ. Sed quãuis præcipua ſapientia ſit illa, quæ in corde latens per prudentiam foris oſtenditur: eſt tamen & in ſermone & in labiis egregia ſapientiæ ſignificatio. Nam ſuauitas ſermonis & uenuſtas, uehementer commendat ſapientiam & auget: dum alios per eruditã linguam docet, ipſe ſuam auget ſapiẽtiam, ne quis contemnat donum linguarum uſqueadeò neceſſarium ad ſapientiam ſeminandam.

» FONS uitæ eruditio poſſidentis, doctrina ſtultorum fatuitas. *Hebr.* Fons H
» uitæ intellectus poſſeſſoris illius, & diſciplina ſtultorum ſtultitia.

שכל intellectus eſt, quaſi ſcaturigo unde uita defluit, cùm cor ſit principium uitæ, cerebrum principium ſentiendi, iuxta philoſophos. Quod cùm fonti perenni comparet ſapiens, inconſtantiam huius uitæ ſignificat, quæ perpetuo fluit, & nunquam in eodẽ ſtatu permanet, tendens ſemper ad interitum. Similis ratio eſt uitę ſpiritualis (quæ à ſapiente intellectu procedit) quod ad ſcaturiginem ſpectat, non autem quod ad defectum attinet: Intellectus, inquit, illius qui poſſidet eum, ſignificans non omnium eſſe huiuſmodi intellectum. uel ab intellectu illius, qui eſt dominus eius (iuxta proprietatem ſermonis Hebraici) fluit aqua uiua ſaliẽs in uitam æternam, ut iam qui habet intellectum ornatum ſapientia perennis uitæ, haud ita multum curare debet ea quæ ſunt huius uitæ uanæ & momentaneæ. *Doctrina ſtultorum ſtultitia,*) uel diſciplina ſtultorum, ſtultitia. Si qui curioſius uelint ſine uera ſapientia, per propriam doctrinam, ſuam uitam gubernare, nihil aliud quàm ſtultitiam ſuam commonſtrant. Nam nulla eſt doctrina, uel (ut eſt in Hebræo) caſtigatio morum, niſi illa quæ à ſapientia procedit. I

» COR ſapientis erudiet os eius, & labiis illius addet gratiam. *Hebr.* Cor ſa- K
» piens intelliget, uel faciet intelligere os ſuum, & labiis ſuis addet doctrinam.
» Fauus mellis uerba compoſita, dulcedo animæ ſanitas oſsium. *Heb.* Verba
» dulcia, uel amœna, dulcedo animæ, & ſanitas corporis.

Proſequitur laudes cordis eruditi, & ſapientis intellectus, qui & eloquentiam ſuppeditat & doctrinam multiplicat, quaſi dicat, Si quis in animo ſit ſolide doctus, & ſcripturarum intelligentiam teneat rectam, faciet os ſuum intelligere, hoc eſt eruditum ſermonẽ & uerba pia proferet iuxta reconditam in animo ſapientiam, & in dies maiorem docen- L
do ſcientiam acquiret, uel potius in animis audientium doctrinam maiorem quotidie ingeret, quanto maiore deſiderio docentem audiũt populi. Audiunt autem lubentiſsime elegantem orationem, ex pio & ſapiente pectore manantem: quod ſimilitudine faui mellis oſtendit. Verba dulcia ſiue amœna comparat fauo mellis, quod ut animæ, hoc eſt uentriculo, ſuaue eſt, ita corpori eſt ſalubre: ſic uerba pij cõcionatoris & cordati, magno cum deſiderio audiuntur, & ſanitatem conferunt uel corpori uel oſsibus, hoc eſt robuſtiſsimis quibuſque & maximis animæ uirtutibus.

» EST uia quæ uidetur recta homini, & nouiſsima eius ducunt ad mortem. M

Hic uerſiculus ſuperius cap. 14. legitur, ſed hoc in loco in alium finem repetitur, nempe ut hortetur ſuum filium quò uelit libenter auſcultare his qui bene docent, qui ex ſapiente intellectu ſapientem ſermonem proferunt, & ne innitatur proprio iudicio, relicta recta & publica uia: quod hæretici ſolent, ſequẽtes doctrinam quæ recta uidetur illis, ſed tandem ad mortem multarum animarum deducit eorum doctrina. Iuueni ſua uoluptas nonnunquam uia recta & expedita uidetur, auaro cumulandi diuitias ſitis, & aliis eodẽ modo ſua cuique ſtultitia, quibus ſermo ſapientiæ non dulceſcit, dum ſuam ſequuntur opinionem, & per illud quod rectum & expeditum illis uidetur, recta ad mortem frequenter tendunt temporalem, ſemper uero ad mortem animæ.

ANIMA

A ANIMA laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. *Heb.* Incur- Cap. 16.
» uauit ſe ad eum, os ſuum.

Diuerſa ſignificatio huius uerbi עמל, laborare uidelicet, & inique agere, duplicē ſenſum prouerbij nobis porrigit: iuxta priorem ſignificationem, neceſsitatem corporalis laboris hominibus imponit ſapiens, ut ſcriptum eſt, In ſudore uultus tui comedes panem *Gene. 3.*
tuum. Porro anima pro homine accipitur, cuius os & uentriculus ſupplex incuruat ſeſe quodammodo, petens cibum neceſſarium ad uitam ſuſtentandam, quæ in anima conſiſtit. Senſus prouerbij nō eſt alienus ab illo loco Pauli: Si quis nō uult operari, nō mandu *2. Theſſ. 3.*
B cet. Sic Salomon monet honeſtis incumbendum eſſe laboribus, maxime cum unuſquiſque manducandi neceſsitatem habeat. & ſenſus refertur ad præcedentem uerſiculum, quaſi diceret, Iſta uia pro uictu neceſſario laborare, recta eſt, & ducit ad uitam, neque dubitandum eſt de illa, nam eſt à Deo comprobata. Si reliquam ſignificationē huius uerbi עמל, id eſt, inique egit, ſequamur, erit ſenſus: Vnuſquiſque onus ſuum portabit, hoc eſt *Gala. 6.*
ſibi ipſi agit iniquè, quicunque male agit, uel quicunque male agendo laborat, ut utrūque ſignificatum comprehēdamus: dum incuruat ſe ſibi os ſuum, hoc eſt dum obſequio oris ſui, & labiorum abutitur ad agendum iniquè, ut ad ſuperiora referatur. In quibus quanta bona & quanta mala proueniant ex lingua, perſecutus eſt Salomon, & ſic expo-
C nit doctiſſ. Aben Hezra, interpretatus אבף non incuruauit, ſed in cauſa fuit illi os eius ut inique ageret, quia nō didicit uerba decora. Prior expoſitio eſt melior, quam Caldęus quoque ſequitur interpres.

» VIR inſipiens fodit malum, & in labiis eius ignis exardeſcit, uel uir impius.

Belial uox frequens in ſcripturis, & relinquitur nonnunquā non uerſa, frequenter etiam impietas uertitur. Hieron. alicubi etymologiam reddens, nempe Epheſ. 4. à בלי ſine, uel non, & עול iugum, uocem deducit: quaſi dicat, uir ſine iugo. Alioqui à בלי & עלה
D deducunt Heb. quaſi dicas, uir qui non aſcendit, id eſt, ſine honore: uir impius uel impietatis uertitur ab Hebræis, & à Caldæo גברא טלומא uir iniquitatis, qui non ſolum obiter quaſi ex ignorantia, uel infirmitate facit malum, ſed magno ſtudio & induſtria fodit malum, hoc eſt, nullum laborem recuſat, quo malum & damnum hominibus inferat. Fodere uel ad corporis fatigationem, uel potius ad cogitationes mentis crebras & nō intermiſſas, poteſt referri, ex quibus tandem ſermones tali ſtudio dignos profert, ſicut ex corde ſapientis os prudens efficitur, ad proferenda uerba decora, ut ſuperius lectum eſt. *Et in labiis eius ignis exardeſcit*) & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, hoc eſt odium & iram inter homines accendit lingua. Ignis eſt uniuerſitas iniquitatis quaſi ignis ardens, *Iacobi 3.*
E ſed non illuminans. Virum Belial, ſine iugo, uel ſine honore, qui fodit malū, uirum apoſtatam & hæreticum intelligimus, qui in agro ſcripturarum plurimum laborat, ut labiis ſuis ignem diſcordiarū ſuccendat, ſiue ignem libidinis: ut fere impudici ſemper fuerunt hæretici, & defenſores intemperantiæ.

» HOMO peruerſus ſuſcitat lites, & uerboſus ſeparat principes. *In Heb.* Vir
» peruerſitatum mittet lites, & ſuſurro deridet principes.

F Videtur hoc uerſiculo ſuperiorem exponere: nam uir Belial, eſt uir peruerſus, ſiue uir peruerſitatum (ut eſt in Hebræo) qui rectitudini fidei & morum probitati contrarius eſt, & aduerſarius: uel qui ſua uerba & promiſſa non ſeruat, uir eſt peruerſus. Denique qui peruertit aliorum uerba, uel ſenſum ſermonis ſubuertit, lites & inimicitias mittet inter amicum & amicum, in illius labiis eſt ignis ardens: uerboſus uel ſuſurro ſeparabit principem unum ab alio. Suſurro eſt uir peruerſus, qui nō ſolum lites ſuſcitat inter priuatos, ſed etiam principes ad bella concitat. Qui peruerſe interpretantur ſcripturas, & qui ſuſurrando inſtillāt peruerſa dogmata, ſuſcitant diſcordias, bellorum & inimicitiarum inter principes ſunt authores. uox Hebræa אלוף principem ſignificat & maritum: ſeparat enim nonnunquam & coniuges uir peruerſus, hoc eſt chariſsimos quoſque ſeiungit

amicos: ut quanta mala ex mala lingua oriantur intelligamus, præsertim ex ea quæ ma- G
lis moribus coniuncta est.

» VIR iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per uiam non bonã. *Heb.*
» Vir iniquus imponet amico suo.

Persuadẽdo uidelicet ut sequatur iniquitatẽ. Similis suo simili gaudet. quasi dicat, Noli cum uiro qui inique agit amicitiam iungere, ne te pertrahat ad malum, iuxta illud: Fili
Prouer. 1. mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas. In utroque loco, lactare posuit interpres pro persuadere, uel potius persuadendo seducere, dum uerbis facta non respondent, sed H
promittendo pulchra quibus imperiti facile capiuntur, ad maximos perducat errores. Id quod non uerbis solum, sed corporis gestibus & oculorum nutu solet fieri, ut sequitur.

» QVI attonitus oculis cogitat praua, mordens labia sua perficiet mala. *Heb.*
» Qui claudit oculos ad cogitandum peruersitates, qui annuit labiis suis per-
» ficiet malum.

Quanuis secũdum faciem & exteriorem corporis habitum, iudicare nec possumus, nec debemus, tamen indicia quædam interioris hominis licet exterius cernere, & quod in I
rebus grauissimis agendis & tractandis animo fieri solet, nempe claudere oculos, labia comprimere, aut (ut est in Hebræo) קרט שפתיו innuens labiis suis, in his qui uehemẽter sunt mali, uidere est. Tãtum est quorundam malefaciendi desideriũ, ut manibus pedibúsq;, & omnibus omnino corporis sensibus eò tendere uideantur. Id quod ut in multis malorum generibus locum habet, in nullo tamen efficacius, quàm in peruersis doctoribus, qui tandiu persuadendo decipere moliuntur, donec malum quod ad subuersionem cogitauerant, tandem perficiant. Simplex sensus Prouerbij docet, nihil agẽdum per fucum aut fraudem, omnia synceriter agenda cum amicis: & fere qui fucati sunt & dolosi, signis produntur exterioribus. K

» CORONA dignitatis senectus, quæ in uiis iustitiæ reperietur.

Quod fere solet fieri, nõ quod nõ potest aliter euenire, proponit Salomon, iustã uirtutis laudem prosequens, quę in senectute solet esse maior & cõstantior. Non semper numero annorum computatur senectus, ut alibi scriptum est: Sed quandoque puer centũ an-
Sap. 4. norum moritur, iuxta Esaiam: Et cani sunt sensus hominis. Canities igitur homini est ue-
Esa. 65. luti corona gloriæ, quia in uia iustitiæ inuenietur. Hoc est non solent mali & peccatores
Sap. 9. ad extremam peruenire senectutem, sed fere ante diem suum moriuntur. Aliter, In uia L
iustitię inuenietur canities, quòd qualemcunque uitam agant iuuenes, aut adultę ætatis homines: tamẽ iã cani solẽt iustitiæ uacare operibus, & pœnitere si quid inique gesserint.

» MELIOR est patiens uiro forti, & qui dominatur animo suo expugna-
» tore urbium. Sortes mittuntur in sinum, sed à domino temperantur, uel à
» domino iudicium.

Ex omnibus uirtutibus corporis, Fortitudo maximã habet laudem inter homines: nulli enim magis celebrantur, quàm in bello præclari duces, qui hostes uicerũt, urbes & prouincias subiugarũt: & tamen iudicio sapientis, præstantior est qui unicam ex animæ suæ M
concupiscentiis, nempe iram, uincit, & impetum spiritus sui ratione moderatur, quã qui urbes aut prouincias superat, qua laude canities prudens non carebit, etiam si corporis uiribus sit destitutus, cum difficilius sit proprium animum, siue (ut est in Hebræo) spiritum uincere, quàm armatam aciem rumpere. Ciuitates subiugauit plurimas, totã propemodum Asiam uicit & Africam Alexander cognomento Magnus, & tamen iræ & furoris belluam in se suffocare nõ potuit: sed iracundia uictus, charissimos amicos Permenonem, Philotan, Clitum & Calisthenẽ trucidauit, ut alios taceam urbium domitores, qui suos domare non potuerunt affectus. Qui dominatur animo suo, etiã si nullas euertat urbes, tamen melior est quàm is qui subuersis ciuitatibus ab effrenata domatur perturbatione.

A turbatione:& tamen utrunque donũ Dei eſt,& hoſtes ſuperare,& ſeipſum uincere, imo Cap. 17.
nihil in humanis rebus geritur ſine nutu & diſpẽſatione diuina, ne ſortes quidem aliter cadunt,quã pro moderatione diuina. Quanuis uideatur nulla ratio reddenda huius rei, ſed cæcam fortunam huic bonam, huic malam mittere ſortem: tamen ſors non cadit niſi Dei iudicio,& nos putabimus humanis duntaxat uiribus,regna de gente in gentem transferri citra nutum aut arbitrium æterni numinis?

CAPVT XVII.

B MELIOR eſt buccella ſicca cum gaudio,quàm domus plena uictimis cum iurgio. *Heb.* Cum tranquillitate uel pace.

Sic enim legitur Hebraice: Melior eſt buccella ſicca & tranquillitas cũ ea, quàm domus plena uictimis contentionis. Septuag. pro uoce Hebræa שלוה, tranquillitas,duas reddiderũt,μετ' ἡδονῆς ἢ εἰρωνῆς.Ex præ-
" cedentibus pendet iuxta ſententiam Aben Hezra ad hunc modũ: So-
C lent uiri fortes,& urbium dominatores deliciis affluere,omnium rerum copia gaudere, & hoc nomine ſaltem meliores pauperibus uideri.Reſpondet ſapiens,Buccella ſicca eſt melior,hoc eſt præſtat pax & trãquillitas animæ (quam ira maxime uexat & perturbat) cum tenuiſsima uictus ratione: cum pane & aqua uiuere præſtat, quieto animo & ſedata conſcientia,quàm ex inimicitiis & iurgiis,quæ in bello exercẽtur,lautiſsimam parare menſam,domos replere deliciis. Victimæ, lautiores & pinguiores dapes ſignificant.Ma ctatis primo uictimis cùm apud Iudæos,tum apud infideles,in honorem Dei, poſtea ſimul epulari ſolent.Alioqui ſimpliciter pacem commendat ſapiens,& cõcordiam,ut ſuperius ca.15. Melius eſt uocari ad olera cum charitate,&c.Secretior erit ſenſus,ſi ad animæ dotes referatur, ut per buccellam ſiccam intelligamus Dei ſapientiam in ſacris li-
D teris reconditã,de qua Paulus, Loquimur ſapientiam inter perfectos.Et quanuis ſapientia huius mundi ſeculari eloquentia ſuffarcinata, plenior & delicatior appareat hominibus: tamen qui uarietate ſcientiarum ſunt inflati,ſuperbire & litigare ſolent,Nam in- *Prouer. 13*
ter ſuperbos ſemper ſunt iurgia. Melior eſt igitur buccella ſacræ paginæ cum tranquillitate animi.

" SERVVS ſapiens dominatur filiis ſtultis, & inter fratres hæreditatem di-
" uidet. *In Heb.* Filio pudore afficienti, qui uel ſeipſum, uel parentes ſuffun-
E dit rubore & ignominia.

Quemadmodum ſapientiam cõtulit cum uictoria & fortitudine,ſic hoc in loco cum libertate,aſſerens ſapientiam poſſe in libertatem à ſeruitute homines aſſerere,& non ſolũ reſtituere in libertatem,ſed etiam ingenuis imperium dare.Dum pater parum prudẽtis filij tutelam ſeruo committit. Aliter,Dum prudens ſeruus hæreditatem accipit ab hero ſuo,ubi ſtultum filium procul ablegauit: hoc ut aliquando factum eſt, ita ſemper fieri æquum eſt. *Inter fratres hæreditatem diuidet.*) Vbi plures ſunt filij, familiæ totius moderator relictus ſeruus,poſt mortem heri,patris quodammodo fungitur munere, filiis hæ-
F reditatem diſtribuit,uel tanquam unus è numero filiorum,hęreditatis partem cum illis accipit ſeruus ſapiens,ut iam cum libertate & hæreditate collata ſapientia, omnibus ſit anteponẽda. Seruus, hoc eſt populus gentilis ſapiens,qui Chriſti iugo collum ſubmiſit, dominabitur Iudæis,ſtultis uidelicet filiis,& quod in illis eſt, Abraham patrem pudore ſuffundentes,qui de libertate ſeſe iactantes dixerunt,Nos filij Abrahã ſumus,& nemini *Ioan. 8.*
ſeruiuimus unquam.In medio fratrum,hoc eſt inter prophetas & apoſtolos partem accipit ſeruilis populus nationum,ſed in fide Chriſti prudens:partem inquã accepit in terra promiſsionis, hæreditatem Iudæis tanquam filiis debitam. Iuxta illud, Venient ab *Matth. 8.*
oriente & occidente, & recumbent cum Abraham Iſaac & Iacob, filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.

» SICVT igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat do- G
» minus. *recte quædam suppleuit interpres sequutus Septuaginta, qui sic uertunt:*
» ὥσπερ δοκιμάζεται ἐν καμίνῳ ἄργυρος. *Hebræum*, Conflatorium argento, & cami-
» nus auro: probat corda dominus. Malus obedit linguę iniquæ, & fallax ob-
» temperat labiis mendacibus. *Heb.* Qui male agit auscultat labium iniquita-
» tis, uir mendacij attẽdit super linguam prauitatis. Qui despicit pauperem,
» exprobrat factori eius: & qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.
» *Heb.* Qui subsannat pauperem, probro afficit factorem eius: qui lætatur in H
» calamitate, non habebitur innocens.

Hos tres sic connectit Aben Hezra. Est argento conflatoriũ, & auro est caminus ad fundendum, & probãdum an sint pura: sic intelliget corda dominus, & sciet quis sit malus, & cogitans detractiones, quæ per labia iniquitatis & linguam prauitatum egrediuntur. neque erit innocens qui lętatur in contritione alterius, quia dominus probat corda, & dat unicuique mercedem suam: sic ille. Et iuxta hunc sensum oportuerat uertere, Malum attendit, sup. dominus, loquentem super labia iniquitatis: & mendacem auscultat, sup. dominus, loquentem per linguam prauitatis. q.d. Nihil latet dominum, neque dicta I neque cogitata, & supplicium sumit non solum de eo qui subsannat pauperem, quòd pauper sit, sed etiam de eo qui lætatur in ruina & perditione alterius. Alius erit sensus si referatur ad hominem: Malus homo qui attendit super labia iniqua, qui libenter audit calumniantes, & eos qui inique criminantur alios, mendacium frequenter audit, per linguam prauitatis. Prior expositio est melior. Tertia denique erit, si intelligamus hoc in loco Salomonem recitare quædam crimina apud Deum, qui corda probat, quæ tamẽ apud homines pro criminibus non habentur, cum uideantur absque cuiusquam iniuria fieri: nempe labiis iniquitatis auscultare, linguæ mendacij & prauitatis aurem accom- K modare. q.d. Non solum peccat, qui loquitur male, sed qui audit patienter maledicum: non peccant solum, qui per iniuriam homines ad paupertatem redigunt, sed qui uerbis subsannant, non solum qui in ruinam & perditionem alios trahunt, sed qui lætantur in ruina aliena: & hi innocentes non erunt apud Deum qui probat corda, etiam si apud homines, uel sibi uideantur innocentes.

» CORONA senum filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum.

Hortatur patres ut studiosè curent educare filios, & filios monet, quò parentes debito prosequantur honore. Nam quod seruus sapiens aliquando dominatur filiis stultis, hoc L uel patris culpa prouenit, qui filium non erudiuit, uel filij culpa qui patri bene monenti non obtemperauit. Et proinde qui bene & studiosè educati fuerint, senes patres amabunt & colent, tanto diligentius, quanto melius in tenera ætate fuerant instructi: quæ res in laudes senum maxime cedet, dum non solum à filiis, sed à nepotibus constipãtur & honestantur. Addidit filios filiorum quos libentissime uident senes, quasi tum tandẽ securi de potesteritate, per quam immortales quodammodo sunt futuri, & de qua non nihil dubitant, dum filios absque liberis uident. *Et gloria filiorum patres eorum.*) Nihil est penitus in hac uita quod magis deceat, nihil quod apud omnes magis commendet, ma M iorem laudem afferat hominibus, quàm colere parentes. Quod de carnali parente dicitur, facile ad spiritualem transferre poterit quiuis.

» NON decent stultum uerba composita, nec principem labium mentiens.
» *Hebræum*, Non est decorum in stulto labium excellentiæ, quanto minus in
» principe labium mendacij?

1. *Reg.* 25. נבל non stultum, sed auarum interpretantur Hebr. Erat enim stultus & auarus Nabal. Et quòd potius uerti debeat auarus quàm stultus, ex eo confirmatur, quòd in secunda clausula

A clauſula reſpondeat נדיב, quæ uox liberalẽ ſignificat.pro uerba compoſita, labium excellens, ſiue labium dignitatis eſt in Hebræo. Oſtendit prouerbium conditioni & dignitati perſonæ ſermonem eſſe accommodandum, & facta debere uerba & promiſſa ſequi. Stultos & imperitos de rebus grauibus,quæ ad ſalutem reipub. ſpectant,tractare non decet: ſed principes & potentes uiros,quorum eſt opem ferre laboranti reipu. Sed ad principis dignitatem ſpectat,ne quem fallat, nam illius uerbis omnes adhibent fidẽ, & proinde facile poterit quamplurimis imponere. Qui ad malam & ſtultam doctrinã à ueritate deflectunt, lucri & auaritiæ cauſa, quod hæretici fere ſolent facere, maiore
B nonnunquam ſermonis pompa & faſtu utuntur,è ſacra ſcriptura teſtimonia proferunt, quod tamen illos minime decet, cum ipſi ex animo ſcripturis non credunt: Nec principem,hoc eſt epiſcopum,iuxta illud Pſalm.Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues principes ſuper omnem terram, decet labium mentiens: dũm uita prædicationi illius non reſpondet,ſermo mendax dici poteſt. Cap. 17. *Pſal.45.*

» GEMMA gratiſsima expectatio præſtolantis, quocunque ſe uertit pru-
» denter intelliget. *Hebræum*, Lapis gratiæ munus in oculis poſsidentis illud,
C quocunque ſe uerterit,faciet eum intelligere uel proſpere agere.

Pendet ex præcedenti uerſiculo,Non decet principem labium mendax:ſed miram gratiam conciliat præſtare beneficia quæ pollicetur,imò munera omnibus fauorem & gratiam pariunt. Nam ut gemma uel lapis precioſus eſt gratus omnibus ſpectantibus, ſic eſt munus in oculis præſtolantis, ſiue(ut eſt in Hebræo) domini ſui,hoc eſt illius qui recipit illud. Et quocunque ſe uerterit, ſiue ad quencunque locum reſpexerit ille qui munera largitur,proſpere aget,& quod molitur aſſequetur. Quod ſi aliam ſequamur ſignificationem uerbi שכל nempe intellexit,erit alius ſenſus, Munus ſup.quocunque reſpexerit,faciet accipientem ſapere, ſiue intelligere id quod dator uelit:hoc eſt mutant frequenter munera ſententiam iudicis, & longe aliter ſentire facit, quàm alioqui uel de-
D beat,uel uelit:Nam munera excæcant oculos ſapientum. *Deut. 16.*

» QVI celat delictum,quærit amicitiam:qui altero ſermone repetit,ſeparat
» fœderatos.*Hebræum*,Qui mutat uerbum,ſeparat ducem.

Non omnium eſt munera largiri, ſunt aliæ uiæ & modi conciliandi uel retinendi amicos,nempe *Qui celat alterius delictum,quærit amicitiam illius:*)uel contrà,quicunque quærit amicitiam alterius,debet imprimis illius celare delictum:uerùm qui mutat & auget narE rando,uel qui repetit alterius delictum,illud frequenter inculcans, ſeparabit & alienabit à ſe,uel chariſsimum ſocium & amicum:ſic diuus Hieronymus Septua. ſecutus, qui ſic habent, Διίστησι φίλας οἰκείους. Nam dum ſæpius illius repetit trãſgreſsionem,loco amici,pro hoſte habebitur.In Hebræo habetur מפריד אלוף, ſeparat ducẽ,à duce ſupple,& totam perturbat rempub.uel ſeparat à ſe ducem & rectorem mũdi: nam qui à charitate eſt alienus,à Deo diuiſus eſt.Prouerbium charitatis maximum officium oſtendit, nẽpe celare delicta,& cãdide interpretari,iuxta illud, Charitas operit multitudinẽ peccatorũ. *Prou.10.*

» PLVS proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtul-
F tum,uel magis franget increpatio.

Septuaginta ſic, σωτρίβει ἀπειλὴ καρδίαν φρονίμου, conterunt minæ cor prudentis. Verbũ Hebr.תחת per uerbum ירד uerſum reperio apud Heb. & reddi poteſt,dominabitur increpatio,uel conteret ut Septuag. habent. Et ſenſus uerſiculi pendet à præcedente: Non eſt amici munus amicorum tranſgreſsiones frequenter repetere ac promulgare, ſed caſtigare monitione & exhortatione amica, quam libenter admittet quiſquis cordatus & intelligens eſt: & facilius uerbis,quàm uerberibus caſtigantur multi: quod maximum eſt argumentum prudentiæ.Contra ſtulti ſiue mali,ex eo maxime patet amentia, quòd nullis plagis corrigi poſsit, nec ulla quanlibet amica reprehenſione ad ſanam mentem

reduci: uel erit ſenſus, Ex eo quòd ſapiens & intelligens uiderit ſtultos multas plagas pa- G
ti, ſola increpatione frangitur, iuxta illud: Fœlix quem faciunt aliena pericula cautũ. Pla-
gas intellige, non tam ab hominibus, quàm manu Dei infligtas peccatoribus & ſtultis
hominibus, quò cautiores fiant fideles: quos duntaxat ſapientes eſſe, apud hunc ſa-
pientem putamus.

» SEMPER iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur cõtra eũ.
» *Heb.* Rebellis etiam quærit malum, & nuntius crudelis mittetur cõtra eum.
Aben Hezra refert uerba, quæret & mittetur, ad Deum: ut ſit ſenſus, Si quis fuerit rebel
lis & contumax contra increpationem, & uſqueadeò ſtultus, ut non ſolum non admittat H
increpationem, ſed etiam amarulentior & aſperior euadat admonitus, Deus quęret ma-
lum contra eum, hoc eſt, uult eum crudeliter punire, & mittere angelum crudelem con-
tra eum: & erit ſenſus, Satius eſſe temporalem ſuſtinere caſtigationem, quàm ſuppliciis
reſeruari per malos angelos infligendis. Sunt qui non iungant has duas uoces מלאך
אכזרי, Angelus crudelis, ſed ſupplent aliquid ad hũc modum: Angelum, qui plaga cru-
deli percutiet, mittet contra eum Deus. Stulti nec admonitione nec plagis caſtigantur,
imò nonnunquam rebelles & obſtinati tam ſedulo tendunt ad ſuum malum, ut diceres
eos quærere ſuam perditionem. Id quod cum de aliis, tum de Pharaone, qui neque uer-
bis Moyſi, neque plagis Dei ad ſaniorem mentem potuit reuocari, locum habet: ſuum I
malum quęrere non ceſſauit, donec tandem miſſus ſit contra eum angelus crudelis. Ta-
lis ſententia manet eos, qui nec increpatione nec uerberibus, ad ſanam mentem redire
uolunt. Dei patientiam & longanimitatem docet prouerbium, & finem obſtinatorum.

» EXPEDIT magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti
» ſibi in ſtultitia ſua.
Hebr. Supplenda quædam omittit, ad hunc modum: Occurrere urſæ orbatæ, (ſup. ſimile
eſt, uel melius,) q̃ uiro ſtulto in ſtultitia ſua: uel ſic ad uerbum, (ſup. bonũ eſt homini) ut K
occurrat urſę orbatę, & nõ occurrat ſtulto in ſtultitia ſua. Perdidiſſe catulos duplicat fero
citatẽ huius animalis, alioqui crudeliſsimi ac ferociſsimi, nihilominus tamẽ humano in-
genio & induſtria ſæpe ſuperatur hoc animal, aut cauetur. Cæterũ ſtultũ in ſtultitia ſua
cõfidẽtem, nulla neque arte neque uiribus poſſumus domare. Pendet ex pręcedentibus,
& ad eos refertur, qui nullam increpationem admittũt: ſed rebelles, ut phreneticus me-
dicum adoritur, ſic hi peſsime uolunt his, qui recte conſulunt & hortantur. Crudeliores
urſis, cùm illi iniuriam allatam, & catulos ſublatos ulciſcantur, iſti in beneuolos maxi-
me ſęuiunt. Id quod cum de aliis malorum generibus recte poteſt intelligi, tum uerò de
his maxime, qui prauis dogmatibus rebelles & incorrigibiles effecti, maiorem in modũ
ſęuire ſolent in eos, qui ad ſanam mẽtem huiuſmodi ſtultos homines reuocare conãtur. L

» QVI reddit malum pro bono, non recedet malum de domo eius. *Heb.*
» Eſt qui reddit malum pro bono, non recedet, uel non ſolet recedere, malum
» de domo illius.
Ingratus eſt, qui non reddit bonum pro bono, ſi modò uires ſufficiãt, cum iuxta doctri-
nam euangelicam debeamus bonum pro malo rependere, & orare pro perſecutoribus:
qui uero malum pro bono reddit, etiam ſi per humanas leges nulla pœna pro huiuſmo-
di crimine ſit obnoxius, Deus tamen qui ſumme bonus eſt, tam inſignem ingratitudinẽ M
non ſinet eſſe impunitam, non ſinet malum & afflictionem ab ædibus & familia ingra-
torum recedere. Allegoricè à domo populi Iudaici malum non recedit, qui maximis à
Eſa. 5. domino acceptis beneficiis, ingratiſsimi fuerunt. Iuxta parabolam qua uſus eſt Eſaias,
Quid eſt quod ultra debui facere uineæ meæ & non feci? Ipſi tamen non ſolum ſeruos,
Matt. 27. ſed filium interfecerunt. Et proinde iuxta id quod clamãdo optabant illis uſuuenit, San-
guis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.

» QVI dimittit aquam caput eſt iurgiorum, & antequam patiatur contume-
liam,

A liam,iudicium deſerit. *Heb.* Aperiens aquam,principium eſt contentionis: Cap. 17.
» antequam miſceatur lis,dimitte,ſup.eam.

Sicut ille qui aperit aquas,& foſſam ſcindit,magnæ inundationis cauſam præſtat, quam poſtea non poteſt cohibere,neque reuocare:ſic contentioni & iurgio facile eſt dare principium,litem uero componere difficillimum:uel ſenſus erit,Qui principium dat cõtentioni,totius litis eſt habendus author, ſicut ille qui aperit & dimittit aquas inundare ſuper terram,quæ prius alueo defluebant. Et proinde ut in cæteris affectibus moderandis
B principiis obſtandum eſt, ita in litibus & contentionibus: nam ut aqua,rupta foſſa, non poteſt reuocari,ita nec ira:& cõtentio ubi ſemel cœperit,uires acquirit.Prouerbium hæreſiarchas & ſectarum magiſtros maxime condemnat,iuxta ſenſum allegoricum.

» QVI iuſtificat impium,& qui condẽnat iuſtum, abominabilis eſt uterque
» apud Deum. Condemnans iuſtum,*uerti poteſt*,& impium faciens iuſtum.

Senſus non eſt diſsimilis uerbis Eſaiæ:Væ qui dicitis malum bonum,& bonum malum. *Eſa.* 5.
Impio tribuere laudem iuſtitiæ,coram domino eſt abominatio: nam ita fiet,ut neq; ipſe reſipiſcat & uitam corrigat,neque tanquam ſummum malum improbitatem execrẽtur
C homines:quod in uita humana imprimis eſt utile, nempe,ut iuſtitia & æquitas apud omnes bene audiat,iniquitas autem digno uituperio afficiatur:& erit ſenſus,Qui uerbis & quotidiano ſermone iuſtum dicit impium, & cõtrà qui iuſtum pro impio habet,præter hoc quod citra æquum & bonum famam hominis denigrat, etiam obſtat quo minus & alij iuſtitiam ſectentur:uel potius ſenſus eſt prouerbij, iuxta alia prophetæ uerba, Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus,& iuſtitiam iuſti aufertis ab eo:ut ad iudices ſpectet,qui cauſam iniquam prolata ſententia corroborant,& iuſtam oſtendunt:& contrà, cauſam iuſtam iniquam faciunt iudicis authoritate. Hoc prouerbio ueluti ſpiritu prophetico condemnauit Salomon Iudæos, qui clamabant coram Pilato, Non hunc ſed
D Barrabam:& quotquot in Chriſtum non credunt,iuſtum condemnant.

» QVID prodeſt ſtulto habẽre diuitias, cùm ſapientiam emere non poſsit?
» Aliter, Quorſum hoc, pretium in manu ſtulti, ut emat ſapientiam, cùm
» cor non ſit illi?

Qui philoſophiæ & ſapientiæ mundanæ ſtudioſi ſunt, multas coguntur impenſas facere,dum libros,dum præceptores ſibi comparant.Verum ad cæleſtem hanc ſapientiam à Salomone traditã,ſtudioſo magis opus eſt animo,quàm opibus.Cui eſt cor, hoc eſt,qui
E ex animo ſtudioſus eſt, hic ſapientiã facile ſibi comparabit abſq; munere,iuxta illud, Et *Eſa.* 55.
qui non habetis argentum,properate,emite,& comedite.Cæterũ qui ſtultus eſt,cui animus deeſt & fides,quanuis in promptu habeat opes & munera,non poterit ſibi comparare ſapientiam.Non igitur opibus congerendis ſtudendum eſt, ſed prima ſapiẽtiæ cura habenda eſt,iuxta illud, Primum quærite regnum Dei. Docet prouerbium præcipuum *Matt.* 6.
pecuniarum & diuitiarum uſum eſſe, ut opera miſericordiæ fiant, quibus remiſsio peccatorum comparatur,quæ eſt prima pars ſapientiæ.

» OMNI tempore diligit qui amicus eſt,& frater in anguſtiis comprobatur.
F Aliter,Et frater ad anguſtiam naſcetur.

Ad ſapientem ſpectat diſtinguere inter amicum uerum, & fucatum, qua de re libellos integros ſcripſere huius mundi ſapientes,ſed fortaſsis non tam ſapienter,ut Salomon in uno hoc uerſiculo.Fidus & uerus amicus omni tempore,ſiue proſperitatis,ſiue aduerſitatis diligit & iuuat amicũ. Cæterum ſi quis naſcatur amicus ſub ipſa aduerſitate & anguſtia,non tam amicus quàm frater habendus eſt:hoc eſt,longe fideliſsimus amicus eſt, qui accedit quaſi naſceretur in tẽpore anguſtiæ. Aliter, Amicus eſt qui amicitiæ præſtat officia, uerùm qui perſeuerat in amicitia,in anguſtia perinde eſt fidendũ ei,ac ſi tibi frater naſceretur. Videtur ad tempora fidei Chriſtianæ referendum:quaſi dicat,Semper ab

exordio mundi ſolet amicus diligere amicum: uerùm tempore prædicationis euange- G
lij,quod tempus perſecutionis eſt & anguſtiæ, non tam amici quàm fratres ſunt, mutuo ſe amantes,qui etiam ſub ipſa anguſtia naſcuntur amici,cuius rei plurimæ extant hiſtoriæ. Sunt qui ſic locum intelligant, quaſi oſtenderet diſtinctionem inter amicum & fratrem,qui fere ingratus eſt: neq; colit amicitiam præterquam in tempore anguſtiæ, cum de fratris ſummo diſcrimine agitur, fidam oſtendit amicitiam, ac ſi tunc primo naſceretur frater.

» STVLTVS homo plaudit manibus cum ſpopondit pro amico ſuo.
» Aliter,homo deficiens corde, ſtipulatur manu, uel figit manum, ſpondens H
» ſponſionem coram amico.

Quàm periculoſa res ſit, ſponſionem facere, & ſtipulari pro fide aliena, oſtenſum eſt à Salomo.cap.6. Fili mi,ſi ſpoponderis pro amico tuo. Merito igitur homo deficiens corde dicitur, qui in re tanti momenti & tam periculoſa ludit & iocatur, plaudens manu, ut Hieronymus uertit,ſecutus Septua.potius quàm Hebræam ueritatem, nam תוקע כף percutiens uel figens manum ſignificat. Septuaginta uero ἐπαιχροτεῖ καὶ ἐπαιχαίρει. Quàm grauis res ſit de fide aliena ſpondere, nouerũt hi qui fideiuſsionibus ad inopiã peruenerunt & miſeriam. Hi corde deficiunt, propter defectum cordis, hoc eſt prudentiæ,non I
præuident,quantæ lites,quanta iactura rerum & amicorum,poſsint hinc euenire. Nam ut ſunt boni amici qui bene diligunt, ita ſunt fraudulenti, qui captant occaſionem fallendi,per fideiuſsionem:quos cauere monemur hoc uerſiculo,ne ex numero eorum habeamur, quibus deficit cor, iuxta illud quod ſequitur·

» QVI meditatur diſcordias,diligit rixas:qui exaltat os ſuum,quęrit ruinam.
» *Hebræum*,Diligit præuaricationem qui diligit litem:qui exaltat oſtium ſuũ,
» quærit rupturam. K

Non eſt ſatis tutum fideiubere pro amico, nam ſunt quos iuuat lites ſectari, quod inde conſtat,quia amant ruinam, ſiue (ut eſt in Hebræo) præuaricationem, hoc eſt non ſtare promiſsis. Et quemadmodum qui ædificando eleuat portam ſuam,hoc eſt ædes ſuas (totum à parte) confractionem & rupturam ædium quærit, dum altitudini robur ædificij non reſpondet (quanuis hoc non animaduertat ille) ſic qui exaltat & eleuat oſtium oris ſui,maiora pollicendo quàm præſtare poterit: & pro ſuis promiſsis, amicum uult fideiubere, contritionem & ruinam quærit amici, quo cum litigare amat, poſtea quàm præuaricatus eſt, promiſſa non præſtans. Iuxta ſenſum myſticum, prouerbium eſt contra eos qui manum mittunt ad aratrum, & retro reſpiciunt: qui cum plura pollicentur L
quàm præſtant,exaltatione oris propriam ruinam quærunt.

» QVI peruerſi cordis eſt, non inueniet bonum: & qui uertit linguam,inci-
» dit in malum.ſ.quod cogitauit facere aliis.

Ex præcedente pendet uerſiculo:nempe,Qui amat præuaricationem,& eleuat linguam ſuam, eſt peruerſus corde: iſte non inueniet bonum, hoc eſt Deum non cognoſcet, uel ſapientiam non poteſt comparare ſibi, non magis quàm ille qui cor non habet: præſertim ſi linguam etiam inuertat,& incipiat docere peruerſe, tunc cadet in malum. Aliter, M
Cadit in malum, dum reddit pro bono malum, peruerſitate cordis & inuerſa lingua, creditorem ſuum & fideiuſſorem,à quibus beneficia accipit, fraudulenter decipere molitus, ut ad ſuperiora referatur: uel in genere dictum poteſt intelligi de quocunque peruerſo corde, & inuerſa lingua,quæ maxime aliena ſunt à ſapientia omni fuco carente,
1.*Pet.*2. & cordis & linguæ,Qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius.

» NATVS eſt ſtultus in ignominiam ſuam,ſed nec pater in fatuo lętabitur.
» *Heb*. qui generat fatuum ad triſtitiam ſuam, & non lætabitur pater ſtulti.

Iamdudum

A Iamdudum aſſeruit ſapiens,magnũ honorem habere patres ſenes ex filiis & nepotibus, Cap.17.
non tamen ex quibuſlibet,ſed ex probis & ſapientibus: nam præſtat non procreare, nec
habere liberos,quàm improbos,quos pater ſine triſtitia nõ poteſt intueri,cùm ſuam ne-
gligentiam, qui non caſtigauit adhuc infantes,tum illorum qui improbi euaſere condi-
tionem dolens.*Et non lætabitur in fatuo.*) Geminat eandem ſententiam,uolens ingentem
patris triſtitiam ſignificare: uel ſenſus erit, Dolet pater ſe ſtultũ genuiſſe, de quo in uita
lætari non poteſt. Hoc prouerbio monentur homines, ne temere ad procreãdos liberos
properent,ſed legitimo modo,& omni debita diſpoſitione ſeſe præparent,à Deo peten-
tes liberos,quos in cultu unius Dei,& probitatis ſtudio,nutriant, ſic demum de illis ſo-
B lidam lætitiam habituri.

» ANIMVS gaudens ætatem floridam facit,ſpiritus triſtis exiccat oſſa. *Sen-*
» *ſum reddidit interpres. Heb.* Cor lætum bonam facit medicinam, uel bene fa-
» cit ut medecina, ſpiritus triſtis exiccabit oſſa.

De triſtitia dictum eſt,quam habet pater de filio ſtulto,quæ quantum mali afferat ſene-
ctuti patris,hoc uerſiculo oſtendit.quaſi dicat: Filius malus qui ſapiẽtiam & diſciplinam
capere recuſat,patri tam in animo quàm in corpore affert iniuriam, nam ex triſtitia na-
ſcuntur morbi corporis,ex lætitia uero ſanitas. Cor lætum cõfert ad ſanitatem tanquam
C medicina.optima eſt expoſitio. Alioqui ſenſus eſſe poteſt,lætitiam cordis commendare
medicinam,& efficacem reddere:quaſi dicat, Medicina non proderit niſi animo ſit læto
qui recipit. Sunt ex Rabbinis qui deducunt uocem גהה à uerbo נגה quod ſplendeſcere
ſignificat: ut ſit ſenſus,Cor lætum iuuat, ſiue bonam facit aciem oculorũ,quæ in ſenibus
deficere ſolet maxime : & ſpiritus triſtis exiccat oſſa, in quibus uires corporis maximè
conſiſtunt. Equidem ſeculi triſtitiam intelligo, quæ ſecundum Paulum mortem opera- 1. *Cor.7.*
tur: & gaudium ſpiritus,de quo Chriſtus,Triſtitia ueſtra uertetur in gaudium:& Paulus, *Ioan.16.*
D Gaudete in domino ſemper: hoc eſt, ſemper in animo eſſe ſanum,etiam ſine medicina *Philipp.4*
pœnitentiæ.

» MVNERA de ſinu impius accipit, ut peruertat ſemitas iudicij. *Poteſt eſſe*
» *ſenſus* :Munus accipiet de ſinu impij.ſup. iudex: uel,iniquus accipiet munus
» de ſinu,ut impertiat iudici.

Ambiguo ſermone uoluit Salomon intelligere, iniquum eſſe & qui accipit munus, &
qui largitur,quantumuis ſecrete, ut peruertatur iudicium. Sũt ſemitæ iudicij leges,quas
qui peruertit nõ unum hominem afficit iniuria, ſed in remp. multis nominibus iniquus
eſt, dum ſuum priuatum commodum cum alieno incommodo & legum uiolatione ſe-
E quitur:neque minus malum quia ſecretum, hoc enim ſignificat è ſinu. Quod ſi impius
eſt,qui pro munere peruertit uias iudicij,ubi de caducis agitur rebus,quanto magis qui
foro conſcientiæ præſidens epiſcopus , aut ſacerdos , cum iactura animarum pecunias
accipit,ut iudicium peruertat.

» IN facie prudentis lucet ſapientia,oculi ſtultorum in finibus terræ: uel, co-
» ram prudente erit ſapientia.

Sæpe diximus Salomonem per ſapientem & prudentem bonos, ſtudioſos, & fideles in-
F telligere:per ſtultos,improbos & iniquos. Coram prudente,uel potius cum facie prudẽ-
tis eſt ſapientia, quòd præſens ſit, & familiare uiro probo bene agere, uel quòd ſemper
Dei uoluntatem reſpiciat,& quid lex Dei(in qua eſt ſumma ſapientia)præſcribat,ſolum
attendat,ſapientiam præferat omnibus muneribus, ut referatur ad ſuperiorem uerſum.
Sed oculi ſtultorum,qui terrena ſapiunt, & quorum Deus uenter eſt,non habent ſapien
tiam in quam reſpiciant,idcirco reſpiciunt in extremum terræ , hoc eſt ad infima quæq;
ex his rebus terrenis,uel ad extrema terræ, quòd inſatiabiles ſint oculi illorum in rebus
mundanis,neque præſentibus ſint contenti, ſed aliena quæ procul ſunt, animo comple-
ctantur, uel orbis dominium ambiẽtes. Sunt qui referunt fines terrę ad ſapientiam,non

ad oculos ſtulti:& erit ſenſus, Quàm lõgiſimè abeſt ſapientia ab oculis ſtulti, ut qui ni- G
Matt.6. hil minus quàm de ſapientia cogitat:uir prudens ob oculos habet ſapientiam, ut locum habeat illud euang. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.

» IRA patris filius ſtultus,& dolor matris qui genuit eum.*Hebræum*, Amari-
» tudo genitricis illius.

Sæpe repetit hanc ſententiam Salomon,ſub diuerſa uerborum forma, non ſolum quòd frequentiſsime uſuueniat,ut grauiſsimam ſeu iram ſeu triſtitiam ob filiorum ſtultitiam ſuſtineant patres, ſed quòd ſit prima & præcipua pars ſapientiæ in iuuenibus (quos Sa- H
Epheſ.6. lomon inſtruit)parentibus obtemperare,ut inquit Paulus:Honora patrem tuum & matrem tuam,quod eſt mandatum primum in promiſsione, ut bene ſit tibi:neque enim ui ta dignus eſt,qui ingratus eſt illis per quos uitam accepit.

» NON eſt bonum damnum inferre iuſto, nec percutere principem qui re-
» cta iudicat.

Quanuis ſunt iniqui iudices qui munera accipiunt ſecreto, ut modò dictum eſt, tamen non oportet putare omnes eſſe tales: ſunt enim iuſti iudices,quos non eſt bonum con- I
demnare,hoc eſt de quibus male ſentire iniquum eſt:& ſunt principes liberales,qui munera contemnũt, de quibus male loqui,cùm quod æquum eſt iudicent,non eſt bonum: ut referatur ad tertium præcedentem uerſiculum. Alij referunt ad uerſiculum proxime præcedentem:ut ſit ſenſus, Etiam damnare patrem iuſtum cum filio ſtulto, non eſt bonum:ſunt enim multi patres ualde ſoliciti,ut filios ad bonã frugẽ deducant, quod nulla ratione facere queũt. Aliter גם.i.etiã,refertur ad munus.q.d.munus accipere è ſinu ad iu diciũ peruertendũ malũ eſt,etiam iuſtũ condẽnare ſine munere malũ eſt. q.d. bis peccãt iudices qui munera accipiunt,& quòd munera accipiunt,& quòd innocentẽ condẽnant.

» QVI moderatur ſermones ſuos doctus & prudens eſt, & pretioſi ſpiritus K
» uir eruditus. *Heb.* Continet eloquia ſua qui ſcit ſcientiam, pretioſus ſpiritu
» eſt uir intelligentiæ.Stultus quoque ſi tacuerit,ſapiens reputabitur:& ſi com
» preſſerit labia ſua,intelligens.*Hebræum*,Stultus quoque qui ſibi imponit ipſi
» ſilentium,ſapiens æſtimabitur:comprimens labia ſua, intelligens.

Hos duos uerſiculos ſic connectit Aben Hezra.Multa dicta ſunt de laudibus linguæ ſapientis,& in reprehenſionem ſtultorũ labiorum.Silentium quoque in homine prudente nõ caret ſua laude,imò quo quis doctior & prudentior,hoc nouit melius loquẽdi tacen- L
diq́ue uices:& pretioſus ſpiritu,hoc eſt,præditus rara quadam mentis intelligentia, contemplatione & meditatione ſolitaria magis gaudet, quàm cum aliis ſermones cõferere: neque ſolum doctis hominibus magna uirtus eſt taciturnitas,ſed etiam in indoctis & in ſtultis nihil magis laude dignũ inuenias, quã ſi tacere nouerint. Reputabitur enim pro ſapiente ſtultus taciturnus,& reputabitur intelligẽs qui obturat labia ſua. Alij ad laudẽ ſapientis putãt referendum, quòd non ſolum ipſe nouerit tacere,& prohibere ſuam linguam à malo,ſed etiam nouit ſtultis hominibus ſilentium imponere.prior expoſitio eſt melior.Sunt qui uocem Hebræam וקר legentes,& interpretantes ut ſcribitur (Hebræi enim legunt ויקר)uertunt non pretioſus ſpiritu uel raro ſpiritu, ſed frigidus ſpiritu, qui M
nouit ſpiritum & iram cohibere.

CAPVT XVIII.

OCCASIONES quærit qui uult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis.*Hebr.* Qui pro deſiderio quærit ſeparatus, in omni ſapientia miſcebit ſe. Non recipiet ſtultus uerba prudẽtiæ,niſi ea dixeris quæ uerſantur in corde ſuo. *Heb.* Nõ uolet ſtul-

tus

A tus intelligentiam, niſi ob reuelationem cordis ſui.

In his duobus uerſiculis uertendis & exponendis, magna uarietas eſt noſtri interpretis ab Hebræa ueritate, & ab Hebraicis interpretibus: quædam neceſſario ſunt ſupplenda ad ſenſum perfectum: noſter interpres ſuppleuit hæc duo, occaſiones, & ab amico, ſecutus Septuaginta qui ſic legunt, προφάσεις ζητεῖ ἀνὴρ βελόμενος χωρίζεσθαι φίλων, ἐν παντὶ δὲ καιρῷ ἐπιτιθέμενος ἔσται. Porrò תושיה uertit omni tempore: quam uocem ſuperius monuimus ab eſſendo dictam eſſe, neque ſapientiam ſolum ſignificare, ſed firmam & ſtabilem ſapientiam, & quæ perpetuo manet. Iuxta uerſionem quam habemus à diuo Hieronymo, ſenſus eſt ſatis manifeſtus, contra ingratitudinem eorum, qui citra iuſtam cauſam amicitiam cupiunt diſſoluere. Verùm cùm ſecunda clauſula de ſeparatione à ſapientia loquatur, quadrabit melius etiam primam partem uerſiculi ad inueſtigationem ſapientiæ referre: nam cœpit in ſuperiore uerſiculo dicere de fucata quadam ſapientia, quę ſtultis hominibus adeſſe uidetur, cuius prima pars in taciturnitate conſiſtit, de qua dictum eſt. Sunt etiam, inquit Salomon, qui præ ſe ferunt magnum deſiderium in ſapientia inueſtiganda, iuxta id quod in Hebræo legimus, Secundum deſiderium ſuum quærit ſapientiam ſeparatus. Qui per deſiderium quoddam magis quàm ex animo, & bono iudicio quærit. ſ. ſapientiam, cum ſit ſeparatus à ſapientia: uel, qui quærit uerbum aliquod ſeparatum, uel ſcientiam ſeparatam, à uera ſapientia. Apud Hebræos utranq; expoſitionem lego. In omni ſapientia miſcebit ſe, hoc eſt inter omnes ſapientes cum oſtentatione quadam ſeſe ingeret, deſtitutus uidelicet ea uirtute ueri ſapientis: qua uerba ſua cohibeat, humiliter de ſeipſo ſentiens. Sic enim diſtinguuntur uera ſapientia & falſa, iuxta diuum Iacobum, Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica, *Iacobi 4.* deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens. Sed terrena, animalis, diabolica, ubi eſt zelus & contentio, quod Salomon uocat ſeſe miſcere cum his qui ſapientes ſunt. Sunt ex Heb. qui in contrario ſenſu accipiunt uerbũ יתגלע, & per metatheſim pro נעלג, ſeparare, uel reprobare: ut ſit ſenſus, Qui per deſiderium quoddam uanum, aut iuuenile inueſtigat de rebus ſeparatis, & quæ ab hominibus intelligi non poſſunt, ab omni uera ſapientia ſeipſum ſeparat: ut contra uanitatem eorum, qui toti in nugis uerſantur, dicatur prouerbium. Prior expoſitio eſt melior, & magis quadrat cum ſequenti uerſiculo, qui aſſerit huiuſmodi non quærere ſapientiam ob amorem ſapientiæ, ſed duntaxat ad oſtentationem, ut cor ſuum manifeſtet, & ut doctus habeatur, alia de cauſa non uolet ſtultus ſapientiam. Sic enim in Hebræo legitur, niſi ob reuelationem cordis ſui.

" IMPIVS cum in profundum uenerit peccatorum contemnet, ſed ſequi-
" tur eum ignominia & opprobrium. *ſic Septuaginta,* ὅταν ἔλθῃ ἀσεβὴς εἰς βάθος κα-
" κῶν καταφρονεῖ, *quos ſecutus eſt diuus Hierony.* Heb. Cum uenerit impius, uenit
" etiam contemptus, & cum ignominia opprobrium.

Vt maxima pars ſapientiæ conſiſtit in amore & mutua charitate inter homines, ſic improbus eò maximè deprehenditur, quòd alios contemnat, & communem naturam contumeliis afficiat. Cum uenerit in hunc mundum, cum naſcitur, non ſolus naſcitur, ſed una cum eo contemptus, iuxta expoſitionem Hebræorum: melius, cùm acceſſerit, ut miſceat ſe cum aliis ſapientibus, ut dictum eſt, non uenit ut diſcat ſapientiam ueram, ſed ut præ ſe contemnat bonos doctores, quod hæreticorum peculiare eſt: & cum ignominia, hoc eſt cum ignominioſo homine, qui ignominia alios afficit, uenit opprobrium: quaſi dicat, ſi quis huiuſmodi receperit, non honorem ſed probrum habebit.

" AQVA profunda uerba ex ore uiri, & torrens redundans fons ſapientiæ.

Fucata illa ſapientia procax eſt, & oſtentatrix ſuiipſius: ſed uera ſapientia in imo cordis, & in profundo pectoris conſiſtit, ut aquæ aliæ ſtagnantes, id quod uerba quæ defluunt ex ore uiri ſapientis indicant, ut puta quæ nunquam deficiunt, ſed ſubinde noua & noua pari moderatione & intelligentia erumpunt, ad inſtar fluminis ſcaturientis, quod

nunquam ceſſat. Ex ore uiri Chriſti Ieſu fluxerunt uerba inexhauſtam doctrinam continentia, & aquæ profundæ ſimilia: uerùm fons & uena ipſa ſapientiæ qui Chriſtus eſt, uelut torrens redundãs, in Hebræo נובע ſcaturiens per orbem, & ſaliens in uitam æternã. G

Ioan. 4.

Aliter, Verba ſapientum ſunt duplicia: quędam profunda ſunt, & non poſſunt intelligi à quouis: quædam ſic facile fluunt, ut quiuis illa poſsit intelligere.

» ACCIPERE perſonam impij in iudicio non eſt bonum, ut declines à ue-
» ritate iudicij. *Heb.* Ad ſubuertendum iuſtum in iudicio. Labia ſtulti miſcent
» ſe rixis, & os eius iurgia prouocat. *Heb.* Labia ſtulti uenient cum lite, & os H
» eius ad percuſsiones uocabit. Os ſtulti cõtritio eius, & labia ipſius ruina ani-
» mæ eius. *Heb.* Laqueus animæ ſuæ.

In eodem ſenſu impium & ſtultum intelligunt Hebræi, qui libenter & facile rixas & lites perſequitur, ut puta cum quo uenit contumelia ut dictum eſt. Et proinde faciem illius ſuſcipere, hoc eſt fauere cauſæ illius iniquæ, contra æquum & bonum, non eſt bonum (inquit Salomon) quaſi non poſsit dici, quàm magnum malum ſit, accipere perſonam impij, præſertim cum damno iuſtorum, qui non ſunt ſic parati & inſtructi ad defen ſionem, ut ſunt improbi ad calumniam inferendam. Sunt enim iuſti ignari rixarum, nec aſſueti litibus, ut puta quorum ſtudium eſt, & cura circa ſapientiam. Impiorum uerò (qui ſunt ſtulti in rebus diuinis) labia non uacant aliis rebus, niſi ut negotium faceſſant probis hominibus: nam os & ſermo eorum ad contritiones & confoſsiones ſiue percuſſiones ſolet prouocare. Atqui hæc quàm adamuſsim quadrent in hæreticos noſtri temporis, optime norunt, qui cum illis aliquando conuerſati fuerunt. Sed non proficient, nã quicquid moliuntur in fideles catholicos, in proprium malum moliuntur. Alios conterere uolunt & laqueos tendere ſimplicibus, ſed conterentur ipſi, ipſi incident in foueam quam fecerunt: uerbis enim oris ſui illaqueatus eſt ſtultus. I K

» VERBA bilinguis, quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt uſque ad interiora
» uentris. *Hebr.* Verba ſuſurronis ſunt uelut percuſsiones, & ipſa deſcẽdunt ad
» interiora uentris. Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt opera
» ſua diſsipantis. *Heb.* Etiam qui ſe remiſſum efficit in opere ſuo, frater eſt uiri,
» qui ſponte ſua diſsipat.

Multa mala proueniunt ex improborum labiis, ſiue in iudiciis ſubuertendis, ſiue in rixis excitandis, ut dictum eſt: Cæterum his multo maiora atque crebriora ex ſuſurronum ſermonibus, qui plagas infligunt, non humanis corporibus, quæ ſunt alioqui obnoxia morti: ſed animabus hominum immortalibus non leuia infligunt uulnera, ſed quæ ad penetralia uentris, hoc eſt cordis deſcendunt, dum immortale odium inter fratres diſſeminant. Aliter, deſcendunt ad cameras ſiue cubicula uentris, hoc eſt inferni, qui eſt in uẽtre terræ ſiue medio, ut plurimi ſentiunt. Aliter, ut plagæ ſiue uulnera, quæ ad intimas partes corporis penetrant, & ad ipſa uiſcera proueniunt, hoc eſt omnino mortifera ſunt, ſic uerba ſecreta ſuſurronum, homines ſeſe mutuo confodere nonnunquam adigunt: ſed non ſolum aliis maxima damna inferunt ſuſurrones, qui ſecreto detrahunt proximis, ſed ſibiipſis quoque, dum ocio uacant, & remiſsi ſunt in opere neceſſario. *Et frater eſt uiri perdentis uel diſsipantis,*) hoc eſt quàm ſimillimus his qui rem confectam perdunt. Hebræi ſubaudiunt mundum, nam qui nullo uacant honeſto ſtudio, ſed deuorant & liguriunt, quod in ipſis eſt, mundum demoliri & deſtruere conantur. L M

» TVRRIS fortiſsima nomen domini, ad ipſam currit iuſtus & exaltabitur.
» Subſtantia diuitis, urbs roboris eius, & quaſi murus ualidus circundãs eum.
» *Heb.* Et quaſi murus præaltus in imaginatione eius.

A tantis malis ſtultorum hominum aliter tutus eſſe non poteſt iuſtus, niſi per nomen domini,

A domini, ad quod ueluti ad tutiſsimam arcem ſolent confugere, humanis uiribus deſtituti & opibus: quibus diuites aduerſus iniurias importunorum hominum ſeſe tueri ſolent, tanquam mœnibus fortiſsimæ ciuitatis. Poteſt ſimilitudo aliò deflecti, nempe, Nomen domini iuſto qui in anguſtia ad dominum confugit, nõ eſt tanquam turris aut propugnaculum, quo ſolent homines ſeſe tueri, includentes ſeſe ueluti in carcere, unde nõ poſſunt exire: ſed in Dei nomine non ſolum tuti, ſed eleuati & honore ſunt affecti, qui eò confugiunt. Sunt ex Hebræis, qui uerbum ירוץ non curret hoc in loco, ſed confringet interpretantur, (utrunque enim ſignificat) & erit ſenſus, Per hoc propugnaculum nominis domini iuſtus erit tutus, & etiam hoſtes conteret. Diuites in opibus ſuis ſperant, & B ſeſe non minus tutos eſſe putant copia diuitiarum: ſed ſua duntaxat imaginatione ſiue cogitatione, ueluti in urbe murata proteguntur. Aliter in bonam partem intelligitur, uidelicet, Diuitiæ in eleemoſynas diſtributæ, ſunt ueluti ciuitas optimè munita diuitibus, qui in Deo magis quàm in mundo diuites eſſe elegerunt, hoc eſt quod in contextu dicitur, cogitatione ſua. Cap. 18.

„ ANTEQVAM conteratur exaltatur cor hominis, & antequam glorifi-
„ cetur humiliatur. *Hebræum*, Ante fracturam eleuabitur cor uiri, & ante glo-
„ riam humilitas.

C Sunt aliquot uerſiculi ſæpius repetiti, uel tanquam ſententiæ inſigniores, uel tanquam loci communes, qui uariis inſtitutis ſubſeruiant. Superius cap. 16. eandem ſententiam legimus, quæ argumento illius loci ſubſeruiebat, ut expoſuimus. Cæterum hoc in loco, poſt ea, quæ de exaltatione iuſtorum per nomen domini, & exaltatione diuitis per diuitias, dicta ſunt, commode ſubiecit: Ante contritionem exaltabitur cor uiri. q.d. nomen domini refugium & eleuatio iuſtorum eſt, quam humilitas neceſſario præcedit. Et contrà, qui ſperant in diuitiis conteruntur, propterea quòd per ſuperbiam eleuantur: quod diuitum peculiare uitium eſt, iuxta illud Pauli: Diuitibus huius ſeculi præcipe, non al- *1. Timo. 6.*
D tum ſapere.

„ QVI prius reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat & confuſio-
„ ne dignum. *Hebræum*, Stultitia eſt ei & ignominia.

Magna pars prudentiæ in uerbis oſtenditur, & ſermonem cum decoro & iuſtitia moderari ſapientis eſt, ut uidelicet nuſquam de rebus ignotis ſententiam proferat: mera enim ſtultitia eſt, & res à ſapiente alieniſsima, imò ſummam confuſionem affert, ſi iudex ſententiam proferat incognita cauſa. Si quis de rebus ſacris reſpondere & differere
E præſumat, ignarus legis diuinæ, ſi quis in re philoſophica aut aliis artibus, quarum ſecreta non didicerit, uerboſitate quadam ſe peritum oſtendere uelit, nullam laudem, ſed pudorem acquirit: palàm oſtendens ſtultitiam ſuam, quam taciturnitate poterat utcunque celare, ut modo legimus, Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiẽs reputabitur. In colloquiis denique priuatis, ſtultitiæ quædam ſpecies eſt, ſi quis loquendi & tacendi uices ſeruare non nouerit: ſed reſpondere priuſquam ſodalis ſui uerba intellexerit, quædam linguæ eſt intemperantia. Prouerbij ſenſus eſt, Non docere antequam diſcas.

„ SPIRITVS uiri ſuſtentat imbecillitatem ſuam: ſpiritum uerò ad iraſcen-
F „ dum facilem, quis poterit ſuſtinere? *Hebræum*, Spiritus uiri feret morbum
„ eius: ſpiritum uerò percuſſum quis leuabit? Cor prudentis poſsidebit ſci-
„ entiam, & auris ſapientum quærit doctrinam.

In tolerandis rebus aduerſis eſt magna quoque pars ſapientiæ, præſertim in tolerandis his malis, quibus obnoxia ſunt omnium hominum corpora, cuiuſmodi ſunt morbi & ægritudines, quas æquo animo tolerabit ſpiritus uiri ſapientis. Nam ſapientiæ comes eſt fortitudo animæ, etiam ſi corpus infirmitate aliqua laboret. Spiritus enim uiri, ut molem corporis portat & circunfert undique, ita quoſcunque morbos corporis. Verùm ſi

ſpiritus concuſſus ſiue contritus, hoc eſt ægritudine aliqua ſit affectus, quis ſuſtinebit eũ? G
q.d.longè grauior eſt morbus animæ quàm corporis, & intolerabilior. *Verùm ſpiritum ad iraſcendum facilem, quis poterit ſuſtinere?*).q.d.difficilius eſt iram continere, quàm morbos corporis æquo animo ferre. Aliter, ut referatur ad iracundiam alterius,& erit ſenſus:ſatius eſſe cum morbo corporali conflictare,quàm cum iracundia alterius hominis:& hęc iuxta uerſionem noſtri interpretis. Hebr. *ſpiritum concuſſum quis feret?*) uerti poteſt, quis portabitur à ſpiritu contrito? q.d.neque corpus bene, morbi uero corporis nullo modo ſuſtentabuntur à ſpiritu contrito. Sanitas igitur animi imprimis eſt neceſſaria ad hanc ſapientiam acquirendam. Nam cor intelligens, & ſpiritus integer acquiret ſcientiam, & H
auricula ſapientum, quorum animus immunis eſt ab omni perturbatione & ægritudine,quęret ſcientiam. Quòd ſcientia bis ponatur,aliqui referunt ad ſcientiam internam & externam, alij ad ſcientiam rerum humanarum,& ſcientiam ſacroſanctam diuinæ legis,aut denique ad ſcientiam quam ipſe poſsidet,& ſcientiam quam tradet aliis. ſic Hebræi. Mihi ſimpliciter uidetur intelligendum de ſummo ſtudio & deſiderio quod habent ſapientes ad legem Dei, in qua & ipſi libenter meditantur,& alios de rebus ſacris diſſerentes libenter auſcultant.

» DONVM hominis dilatat uiam eius, & ante principes ſpacium ei facit. I
» *Heb.* Donum hominis faciet latum ei, uel dilatabit illi uiam uel locum, ſup.
» & ad conſpectum magnatum ducet eum. Iuſtus prior accuſator ſui, uenit
» inimicus eius,& inueſtigabit eum. *Heb.* Iuſtus primus in cauſa ſua,ueniet
» proximus eius,& ſcrutabitur eum.

Per donum munera intelligit Aben Hezra, quæ delectabunt, hoc eſt ab anguſtiis eripient,& ante magnates adducent,gratum principibus facient,qui acceperunt munera il
lius,& in conſpectu illorum erit iuſtus,primus uel imprimis in lite ſua & cauſa.Sed & ſi K
uenerit proximus illius, cui notior eſt quàm magnatibus,& ſcrutatus fuerit eum, nihilominus erit iuſtus apud eos,qui munera illius acceperunt. Alij ſic exponunt, ut nulla ſit cohærentia in ſenſu iſtorum uerſuum, intelligentes per donum liberalitatem & beneficentiam,quę ſolet dilatare & amplificare hominem,hoc eſt ad honorem perducere, & gratiam principum:poſtea quàm totius populi fauorem & laudẽ nactus fuerit.Quod in contextu legitur iuſtus primus uel iuſtus primo, ad æquitatem & iuſtitiam referunt interpretes,quæ non minus hominem commendat, quàm liberalitas quæ non eſt omnium. In lite & controuerſia hominum, qui æquus & iuſtus eſt ſtatim in principio litis L
oſtendet ſe nihil uelle, niſi quod iuſtum eſt, dum ſeſe in lite defendit. Et cum uenerit proximus illius, qui cum eo litigat, & ſcrutatus fuerit,non poterit eum accuſare aut condemnare. Poteſt accipi in contrario ſenſu, & iuſtus,non qui uere eſt,ſed qui in lite ſeſe iuſtum oſtendit in principio: poſtea uerò inueſtigatus à proximo, qualis ſit conſtabit. Prima expoſitio eſt melior, iuxta contextum quem habemus ex diuo Hieronymo qui Septuaginta ſecutus eſt, δίκαιος ἑαυτῷ κατήγορος ἐν πρωτολογίᾳ. Senſus uerſiculi conuenit
Matt.7. cum illo quod in euangelio legitur, Eiice primum trabem de oculo tuo, & uidebis eiicere feſtucam de oculo fratris tui: uel monet prouerbium, ut quiſque ſit ſeuerus iudex ſuiipſius,ne inimici ſubiiciatur ſententiæ & condemnationi.

M

» CONTRADICTIONES comprimet ſors, & inter potentes quoque
» diiudicat. *Hebr.* Lites ceſſare faciet ſors, & inter fortes diuidet.ſ.litem.Frater
» qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma, & iudicia quaſi uectes urbium.
» *Septuaginta ſecutus eſt interpres: qui ſic uertunt,* ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφῶ βοηθούμενος ὡς
» πόλις ὀχυρὰ καὶ ὑψηλή. *Heb.* Frater durior ciuitate robuſta, & lites quaſi repagulum palatij.

Vbi ſunt homines iuſti, lites facile dirimuntur, dum utraque pars agnoſcit,ſi quid deliquerit.

A querit. Cæterum ubi nō eſt æquitatis ratio, difficilimè dirimūtur lites quorundā, qui nul Cap. 18.
lius hominis iudicio quantumuis ſapientis, ad concordiam poſſunt reduci: & potius eligunt ſortibus lites dirimere, præſertim potentes & fortes, qui uiribus malunt certare, quàm iudicem ſapientem adire. Aliter, quibuſdam ſatius eſſet iacta ſorte finire litem, quàm uel perpetuis odiis, & pugnis inuicem ſeſe conſumere. Sed cùm res ſit difficilis & magnæ prudentiæ lites dirimere, omnium tamen maximè difficiles ſunt contentiones inter fratres. Frater trāſgreſſus. ſ. aduerſus fratrem, non dabit locum fratri, uel frater iniuriam paſſus, hoc eſt, in quem tranſgreſsio & præuaricatio facta eſt. ſup. fortius reſiſtet, quàm ciuitas, & lites exercebit durius, quàm ſit repagulum portarum, qua clauduntur
B portæ ciuitatis, & hoſtes excluduntur. נפשע, Kimhi exponit durior quàm ciuitas: alioqui פשע tranſgredi ſignificat. Mihi uero placet, ut utranque ſignificationem comprehēſam intelligamus, nempe, paſſus iniuriam à fratre, fit durior aduerſus eum, quàm ciuitas. Alij ſubaudiunt ex priore uerſiculo ſic, cum frater præuaricatus eſt, uel rebellat contra fratrem, magis quàm ciuitas robuſta & fortis, præuaricata eſt aduerſus regem ſuum: ſæpe enim contendunt fratres pro hæreditate, neque poſſunt aliter, quàm per ſortem, lites dirimi. Alij ſic: cùm ſit lis inter fratres, ſors ſeparabit fratrem à ciuitate roboris ſui, & à porta hæreditatis ſuę, hoc eſt, ab hæreditate ſua. Senſus denique prouerbij: Cum difficile ſit lites finire, ubique tamen difficillimum eſt fratres & affines ad concordiam
C reuocare. Senſus eſt prouerbij: Concordia paruas res creſcere, & ex una familia fratrum, robuſtam oriri ciuitatem: id quod cùm locum habeat aliquando in prophana repub. tùm maxime in eccleſia Chriſti, quæ tanquam ciuitas firma eſt inuincibilis, ubi tāquam fratres omnes ſumus unanimes, & æquitate iudiciorum fit inexpugnabilis.

» DE fructu oris uiri replebitur uenter eius, & genimina labiorum ipſius ſa-
» turabunt eum. *Hebræum*, Prouentu uel fructu labiorum ſuorum ſatiabitur.
» Mors & uita in manibus linguę: qui diligunt eam, comedent fructus eius.

D Fere idem dicit ſapiens in his duobus uerſiculis, quod Chriſtus in Euangelio: Ex uerbis tuis iuſtificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis: multa mala ex mala lingua, & bona ex lingua erudita & ſapiente proueniunt: mors & uita in manu linguæ. Referūt Hebræi ad loquentem, qui uel morte uel uita digna quandoque loquitur. Poteſt ad teſtes referri, qui in litibus & iudiciis producuntur, ut cum præcedentibus cohæreat. Mihi maxime placet, ut de his intelligatur, quorum linguæ & labia maximam habent in repub. functionem, & uſum in perdiſcenda ſapientia. Hi ſunt cōcionatores qui ſaturabuntur, ex his quæ diſtribuūt aliis, & in linguæ eorum poteſtate eſt mors & uita, iuxta illud: Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël: & ſequitur, Si dicente me ad impiū morte *Ezech. 3.*
morieris, tu non annunciaueris ei, neque locutus fueris, & cætera. In iniquitate ſua mo-
E rietur, ſanguinem autem eius, de manu tua requiram. Denique poteſt ad ſuſurrones referri, de quibus modo dictum eſt. Metaphora ſaturitatis & comeſtionis à corpore tranſfertur ad animam: quorum utrunque fructu delectatur: corpus fructu arboris, anima uerò fructu linguæ.

» QVI inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem
» à domino. *Hebræum*, Qui inuenit mulierem, inuenit bonum, & educet
» beneuolentiam à domino.

F Cum mulieres ferè ſint loquaces, & uerboſitate quadam moleſtæ, non abſurdè de fructu linguæ locutus Salomon, de muliere hoc adiecit ſiue potius de uxore: quam admonet Sapiens non temere ducendam eſſe, ſed cum prudentia inueſtigandam, utputa rem admodum difficilem inuentu. Hoc eſt quod innuit Salomon, cū dicat, Qui *inuenit mulierem bonam*:) In Hebræo ſolum habemus, qui inuenit mulierem: omnes interpretes ſubintelligunt bonam. *Inuenit bonum*,) Iuxta illud: Fecit adiutorium ſimile ſibi, uſque adeò bonum, ut propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. *Et hauriet.*) Vertēdum eſt hauſit ſiue produxit, pro impetrauit fauorem & *Gene. 3.*

gratiam à domino. Sic habent Septuag. Ἔλαβεν δὲ παρὰ κυρίου ἱλαρότητα, iucũditatem. q.d. magnum donum & rarum impetrauit: quia ſolent homines frequenter errare electione uxorum, uel opes, uel formam, aut aliud quidpiam ſectantes, potius quàm piis precibus contendentes, uxorem probam à domino obtinere. Id quod ſuum filium facere, his uerbis hortatur Sapiens. G

» CVM obſecrationibus loquitur pauper, & diues effatur rigidè: uel diues,
» reſpondebit dura. ſup. uerba.

In hoc uerſiculo, ut fere in toto capite, ſermo eſt de his, quæ ad concordiam faciunt, & tranquillitatem inter homines: ad quam plurimũ momenti habet paupertas. Cum enim non loquatur pauper, niſi cum omni humilitate precando & obſecrando, inimicos non habet, neque lites aut rixas excitabit: imò ſedabit potius, cum nullam ſuperbiam præ ſe ferat, omnibus locum concedat. Diuitiæ uerò fere coniunctæ ſunt cum arrogantia, quæ præ ſe alios contẽnit & cum faſtu quodã omnia agit & loquitur: unde naſcuntur diſcordiæ & rixæ, ut prius legimus cap. 15. Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. Alioqui, ſenſus erit contra auaritiam diuitum, qui pauperum non miſerentur: & tantum abeſt ut aliquid impartiantur opum, ut ne humanis quidem & benignis uerbis dignentur illos alloqui, ſed duris & minacibus uerbis à conſpectu ſuo nonnunquam abigunt. H I

» VIR amicabilis ad ſocietatem, magis erit amicus quàm frater. *Heb.* Vir
» amicorum ut amicitiam exerceat, uel ut præbeat ſe amicum: & eſt qui dili-
» git, magis coniunctus quàm frater.

Longam diſputationem de his quæ concordiam uel ſeruant, uel labefactant, claudit in laudem amicitiæ, qua nihil eſt charius, nihil firmius, ſi modo rite colatur. Nam fidus & charus amicus, cum fratre eſt conferendus, uel potius præferendus. Virum amicorum intelligimus eum, qui eſt amicorum ſtudioſus: & qui multitudine gaudet amicorum, eſt is qui facit ſeipſum amicum, is inter eos aliquem inueniet, fratre ſibi coniũctiorem. Alij ſubaudiunt, quęrit, ut ſit ſenſus: uir qui quærit amicos, ut iungat cum illis amicitiam per diuitias ſuas, ut ex proximo pendeat uerſiculo, iuxta illud Euang. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis: erit illi amicus coniunctior fratre. q.d. inter multos aliquẽ inueniet, qui ſit illi urbs fortitudinis, ut antea legimus. K

Luc. 16.

CAPVT XIX.

» MELIOR eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm L
» diues torquens labia ſua & inſipiens. *Hebr.* Quàm peruerſus
» labiis, & ipſe ſtultus. Vbi non eſt ſciẽtia animæ, non eſt bo-
» nũ: & qui feſtinus eſt in pedibus, offendet, uel peccat. Stul-
» titia hominis ſupplantat greſſus eius, & contra Deum feruet
» animo. *Heb.* Stultitia hominis peruertet uiam eius, & contra Deum iraſcetur cor eius.

Melior eſt pauper.) ſi de paupertate & diuitiis intelligatur, reſpondet uerſiculus his quæ dicta ſunt de humilitate & arrogantia pauperis & diuitum: nempe ſatius eſſe, & multo melius ſapientis iudicio, etiam ſi aliter ſentiat uulgus, pauperem eſſe cum integritate uitæ, quàm è numero eorum diuitum qui dura loquuntur, & peruertunt labia ſua per ſtultitiam. Sed mihi placet, ut de doctrina & eruditione fiat ſermo. Cuius qui ſunt ignari, uiuentes tamen inculpatè, maiore laude digni ſunt apud ſapientes, quàm ille qui uertit labia à ueritate, uel quàm ille, qui per labia ſua peruertit opiniones hominum, uerbis diuitem in doctrina ſeſe oſtendens, cùm re uera ſit ſtultus. Et huic bene quadrat ſe- M

quens

A quens uerſiculus, *Etiam abſque ſcientia,*) quaſi dicat, Laudo ignorantiam cum ſimplicitate Cap. 19.
ſiue integritate, collatione ad peruerſum labiis, non quòd pulchra uel honeſta ſit anima
hominis abſque ſcientia: ignorans enim anima, nuda eſt quodammodo, & (ut inquit ille)
tanquam tabula raſa, in qua nihil depingitur: & perinde eſt cum ignorantia ſcripturarũ,
& legis diuinæ uitam tranſigere, ac ſi quis cæcus uehementer feſtinus properet. Nam ut
hunc pedibus errare, & delinquere neceſſum eſt, ſic neceſſum eſt animam ignorantem
& ſapientiæ expertem, in uia uirtutum exorbitare. Alij connectunt cum priore uerſicu-
lo, *Stultus peruertit labia ſua*,) eo quod anima illius eſt abſque ſcientia Dei, & propterea
feſtinat pedibus, hoc eſt affectionibus, & peccat, ſequens uidelicet appetitum ſenſitiuũ,
B qui feſtinat ad opus malum abſque iudicio. *Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius.*) Vſque
adeò alieni ſunt quidam à ſapientia, ut cum ignorantia & ſtultitia uniuerſam uiam &
uitam ſuam peruersé, & in erroribus egerint, culpam tamen non agnoſcunt, ſed contra
dominum iraſcitur cor eorum, fortunam & fatum ſuum accuſans uulgi & hæreticorum
more, uel in Deum omnium creatorẽ regerentes culpam, quòd ſub infœlici ſydere nati
ſint. Denique fruſtratus ſuo fine homo per ignorantiam & ſtultitiam ſuam, non debet
Deo iraſci in corde, malũ aliquod Deo imputans, quod maximæ ſtultitiæ eſt argumen-
tum. Aliter, *Etiam abſque ſcientia animæ non eſt bonum.*) Quemadmodum non eſt bonum
peruertere labia per ſtultitiam à ueritate, ita etiam non eſt bonum .ſ. ſequi animam ſuã,
C hoc eſt ſenſitiuum affectum, qui cæcus eſt & abſque ſcientia: quem qui ſequitur, uelut ni
mium feſtinans pedibus delinquit & errat, & cum ex ſtultitia & ignorantia peruertit
uiam ſuam, nihilominus nõ ſibi ipſi qui peccauit, ſed cum Deo iraſcetur qui fecit talem
ut poſsit peccare. Vel melius: Iraſcetur contra Deum cor illius, ubi pro ſtultitia ſua dede-
rit pœnas in igne inextinguibili.

» DIVITIAE addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi quos habuit,
» ſeparantur. *Hebr.* Pauper ab amico ſuo ſeparabitur. Teſtis falſus non erit
D impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet. Multi colunt perſonam
» potentis, & amici ſunt bona retribuentis. *Hebræum*, Plurimi deprecabuntur
» faciem liberalis, & quilibet amicus uiro muneris. Fratres omnes pauperis
» oderunt eum, inſuper & amici procul receſſerunt ab eo: qui tantum uerba
» ſectatur, nihil habet. *Heb.* Quanto magis amici illius longe receſſerunt ab eo
» qui ſectatur uerba, quæ non ſunt.

Quid fieri ſoleat, non quid fieri debeat, uidetur narrare Salomon, fœlicitatem uidelicet
diuitis, qui multos aſſequitur amicos. Contrà ſi quis ad inopiam ueniat, ab amicis deſti-
E tuitur, etiam à fratribus, ut iam infœliciſsima uideatur pauperis conditio, ſed ſecũdum
uulgi opinionem: nam modo dictum eſt, Melior eſt pauper ambulans in perfectione
ſua. ſ. quàm diues qui peruertit labia ſua à ueritate, dum non agnoſcit omnia à Deo ſe
accepiſſe, neque Deum omnium datorem. Et proinde in laudem paupertatis interpreta-
mur, qui non à ueris, ſed à fucatis deſtitutus amicis, cogitur à Deo totus pendere, illius
opem & amicitiam quærere. Verum eſt: opes addunt amicos multos, ſed fucatos & men
daces: & hoc eſt quod ſequitur, *Teſtis falſus non erit impunitus*, uel *non erit innocẽs*). q.d. mul
ti ſunt amici diuitum, qui illius cauſa multa mentiuntur: &, ſi opus eſt, uel in iudicio
F falſis teſtimoniis pauperem opprimere non recuſant, deſtitutum uidelicet ab omnibus
amicis. Sed ne hic quidem uel diues fœlix eſt iudicio ſapientis, & pauper miſer, ut uulgo
putatur, habet enim defenſorem ſuum, qui illius cauſam ulciſcatur, & qui ſententiam
aliquando proferat, & reos oſtendat falſos teſtes, quorum opera innocentes ſunt con-
demnati. Neque enim ob falſa teſtimonia ſolum luent pœnas falſi teſtes, ſed qui men-
dacia loquuntur blandientes diuitibus, oblatrantes pauperibus, qui in perfectione am-
bulant. Aliter, & melius, *Opes addunt amicos,*) liberaliter uidelicet diſtributæ: tenuis in bo-
nis operibus ſeparabitur ab amico, quia pluris facit pecuniam quàm hominem. Aliter

uerſiculus oſtendit omnem laudem diuitiarum conſiſtere in hoc,ut faciat quis ſibi ami- G
Luc. 18. cos de mammona iniquitatis:pauperis uerò laus in tolerantia conſiſtit,cùm fuerit à ſuis deſtitutus. *Falſus teſtis.*)Ob id ſtatim adiecit de falſo teſte,quòd multi per egeſtatem coacti,ad proferendum falſum teſtimonium inducuntur. Porrò mentiuntur multa diuites, quorum neutri erunt impuniti:Deus enim ueritas eſt, & mendacium non ſinet eſſe impunitum: iuxta poſteriorem expoſitionem de opibus diſtributis.Sequitur. *Multi deprecabuntur:*)quaſi dicat, Non ſolum amicitiam multorum obtinebit uir diues & liberalis, ſed etiam honorem à multis,qui illius opem implorabũt.Quilibet uult eſſe amicus hominis donorum, hoc eſt,qui libenter largitur & diſtribuit ſuas opes, id eſt: *Omnes fratres pauperis oderunt eum.*) Plurimi fiunt amici hominis liberalis:hominis uero pauperis fiunt H
inimici etiam fratres:quaſi dicat, Virtus naturã ſuperat.Vir donorum, ut eſt in Hebræo,
Epheſ. 4. ſine dubio Chriſtus eſt,Qui aſcendens in altum,captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus:& cuius liberalitatem admirantes(quæ enim potuit eſſe maior quàm ſanguinis?quàm uitæ?)illius amici libenter fiunt omnes Chriſtiani,& uultum deprecantur, gratiam illius & fauorem amplectentes libenter. Cõtrà Iudaicus populus tenuis admodum & pauper in ſcripturarum intelligentia,etiã à fratribus apoſtolis & prophetis,odio
Pſal. 119. habebitur:Iniquos odio habui,inquit: Alioqui odire, eſt auerſari, fugere: & quotidie deſeruntur à ſuis,dum uerba ſequuntur & ſermones qui fidelibus non poſſunt placere. Nihil enim magis ad unitatem & amicitiam facit, quàm ſermonis concordia, & uerba I
quæ utrique parti probantur. hæc iuxta allegoriam. Alioqui ſimplex ſenſus erit,nullam uirtutem magis conducere ad amicitiam ſeu ineundam ſeu augendam, quàm liberalitatem & beneuolẽtiam, quæ nõ ſolum in bonorum externorum diſtributione, ſed magis in diſpenſatione ſalubris doctrinæ & ſapientiæ,conſiſtit. Cuius diuitẽ eſſe ſuũ filium uult ſapiens,quò gratiam ineat apud plurimos,neq; ſine fructu ſuam uitam tranſigat.

» QVI poſſeſſor eſt mentis, diligit animam ſuam, & cuſtos prudentiæ inue-
» niet bonum. *Heb.* Cuſtodiens prudentiam ad inueniẽdum bonum. Falſus K
» teſtis non erit impunitus,& qui loquitur mendacia, peribit.

Qui poſsidet cor.) Omnes habent cor,ſiue omnibus datum eſt cor: ſed hi ſolum apud ſapientem dicuntur poſsidere cor,qui ſapientia & bona doctrina cor præditum habent,& ille poteſt animam ſuam amare. Opes augent amicos, & uir liberalis multorum acquiret amicitias:ſed(ut ſupra diximus)abſque corde, hoc eſt abſque ſapientia, nemo poteſt amare ſuam animam, tanto minus amabit alios. Quãtò igitur præſtat ſuam amare animam ut decet,quàm ob munera & dona ab aliis amari,tãtò melior eſt poſſeſsio cordis, L
poſſeſsione pecuniæ.Si uerbum קנה quod poſsidere & acquirere ſignificat, in ſecunda ſignificatione capiatur,ſapientiam acquiſitam induſtria & ſudore intelligemus, & melius reſpondebit ſequenti clauſulæ.q.d.acquirendum imprimis eſt cor,hoc eſt ſapientia, his qui uolunt ſuas animas amare,& acquiſitam ſeruare intelligentiã,ſi modo uolumus bonum inuenire in futuro ſeculo,quod in præſenti quærimus. *Cuſtos prudentiæ*, uel *qui cuſtodit intelligentiam.*)Qui poſsidet & cuſtodit opes,in malum ſuum ſeruat nonnunquã: ſed qui poſsidet cor,hoc eſt qui nactus eſt ſapientiam, & ſeruat intelligentiam diuinæ le-
Lucæ. 11. gis,inueniet bonum: nam, Beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. Et certe in amanda anima,eſt opus magna prudentia,ne inueniamur mendaces aut falſi teſtes, M
dicentes nos amare animas noſtras: & iuxta Hebræum, Cor non poſsidentes, ſapientiæ
Ioan. 12. norma inſtructum,quæ eſt huiuſmodi: Qui amat animam ſuam,perdet eam. Hac in re teſtis falſus,non erit innocens: & *Qui loquitur mendacium,peribit.*) q. d. grauius punietur qui in rebus animæ ſeipſum fallit in mendaciis,quàm qui alios in re pecuniaria decipit: ſuperius enim dictum eſt, Qui loquitur mendacium, non euadet ſupplicium: ſic qui mentitur, peribit.

» NON decent ſtultum delitiæ,nec ſeruum dominari principibus.

Septuag. ὡ συμφέρει ἄφρονι τρυφή, non cõducet.Hebræi, non eſt pulchrũ aut æquum uel
conue-

A conueniens. Delitiæ uero exponunt Hebræi, honores. Quòd ſi delitias huius uitæ intelligamus, & honorem quæ contingunt his qui inter homines authoritate pollent, minime quadrant ſtulto, ut quæ ex ſapientibus nonnunquam ſtultos, & ex ſtultis inſanos faciunt. Duplicatur quodammodo ſtultitia per delitias & uoluptates, quas ſapientes uix ferre poſſunt: ſtulti uero nullo modo. Et quemadmodum ſtultus delitiis inſoleſcit, ſic homo tenuioris fortunæ & ſeruilis conditionis, ſi ad imperium & dominium euehatur, arrogantia fit intolerabilis: & res eſt ualde abſurda & indecora, ut dux ſit & rector aliorũ, qui ſeipſum regere nequit. Hic eſt ſenſus huius uerſiculi humilimus, ultra quẽ Rabbini B non aſcendunt. Nos uero delitias à ſapiente Salomone damnatas eſſe putamus: & erit ſenſus, Tantum abeſt, ut delitiæ & uoluptates huius mundi ſapienti conueniant, ut ne ſtulto quidem poſsint conuenire, niſi ualde abſurdè. Quam uerò abſurde ſimilitudine quadam oſtendit, nempe ſerui in principes dominio, utriuſque enim ſimilem inſolentiam fieri neceſſe eſt: quaſi dicat, tam Iudæorum eſt, ſtultum qui cor non poſsidet, omnia ex animi ſui ſentẽtia habere, quàm ſeruum habere dominium in principes. Cæterũ, cum hoc uerbum עדנ delectare in bonam partem frequenter accipiatur, pro ſpirituali delectatione: ut, Oblectabuntur in multitudine pacis: &, Oblectamini ſplendore gloriæ eius: *Pſal.37.*
C &, Super omnipotenti oblectatus fuerit: ſententia erit ſapiẽte magis digna, ſi delitias animę, hoc eſt lætitiam & gaudium ſpiritus intelligamus, quod ſtulto, hoc eſt peccatori, ſine Dei ſapientia nunquam conueniet: neque qui peccatis ſeruit, & affectibus improbis obnoxius eſt, unquam dominabitur principibus, hoc eſt rationi & intellectui, & præcipuis animæ uiribus. *Eſa.60.* *Iob.27.* Cap. 19.

" DOCTRINA uiri per patientiam noſcitur, & gloria eius eſt iniqua præ-
" tergredi. *Hebr.* Intellectus hominis eſt protrahere (differre) furorem ſuũ, &
" gloria illius tranſire præuaricationem. Sicut fremitus leonis, ita & ira regis:
D " & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius, uel beneuolentia eius. Dolor
" patris eſt filius ſtultus, & tecta iugiter perſtillãtia, litigioſa mulier. *Hebræum,*
" Contritio patris eius eſt filius ſtultus, & diſtillatio continua eſt, rixæ mulie-
" ris uel uxoris. Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à domino autem pro-
" prie uxor prudens. *Heb.* Domus & diuitię hęreditas patrum, ſed à domino
" uxor prudens.

His quatuor uerſiculis, quatuor officia diſtribuuntur, in repub. maximè neceſſaria, ſine
E quibus ſapientiam nequeant homines aſſequi: & primo inter uirum & uicinũ eius, maximopere opus eſt ſapientia, ne quis aduerſus alterum temerè iraſcatur, quod uitium quantò communius eſt, tantò maiore prudẽtia opus eſt, quo poſsit quis iram prolõgare, hoc eſt longanimis eſſe: quaſi non exigat ſapiens ab hac fragilitate humana ut non iraſcatur, ſed humani eſt intellectus, hoc eſt hominis, qui ratione regitur, nõ impelli, neque duci affectibus. Eſt inquam prudentis, non ſtatim ad ultionem proſilire, ſed deferre, & non in præſenti cùm bilis ferueat, ſed poſt ubi ſedato fuerit animo, rationem cum uicino inire. Quòd ſi quis ex ſeſe per prudentiam impetrauerit, tẽporis beneficio uidebit, nõ
F uſque adeò magnam fuiſſe offenſam: nam ira impedit animum, ne poſsit cernere uerũ. *Et gloria illius prætergredi præuaricationem.*) alienam uidelicet tranſgreſsionem intelligimus. Cum enim in multis offendimus omnes quantumuis ſapientes, & à Deo remiſsionem peccatorum impetrare cupimus, quæ maior gloria eſſe poteſt hominis mortalis, & peccatoris, quàm diuinam in terris bonitatem imitari? hoc eſt hominibus remittere delicta, ut facilius à Deo remiſsionem delictorũ accipiat, Iuxta illud: Dimittite, & dimittemini. Hoc eſt igitur officium inter homines maximè neceſſarium, longanimes eſſe inter ſeſe: nam temere nonnunquam iraſcimur & ſine cauſa. Cæterùm quamlibet magna & iuſta præbeatur occaſio, ſtatim uindictam exigere, nec intelligentis nec prudentis hominis eſt. Cæterùm, aliorum remittere tranſgreſsiones & delicta, maxima laus *Matt.7.*

eſt. *Sicut fremitus uel rugitus.*) Secũdum officium eſt ſubditorum erga Regem, quem ne G
offendamus, maior cura eſt adhibenda, & maximopere cauẽdum eſt, ne illius iram pro-
uocemus, quę facile placari non poteſt: eſt enim Rex iratus ueluti leo, ſiue catulus leonis
rugiens ſuper prædam, cuius fremitus maximum terrorem incutit cæteris animantibus.
Cæterùm, iuxta ſenſum ſublimiorem, quàm terribile ſit illius leonis, qui ex tribu Iuda
ortus eſt, audire rugitum, quàm tremenda ſit ira æterni Regis & iudicis, qui aliquando
Matt.22. dicturus eſt iis quibus iratus eſt: Ligatis pedibus & manibus, mittite eos in tenebras ex-
teriores: Regis & leonis exemplo debemus. Porrò beneuolentia & fauor illius regis, eſt
tanquam ros ſuper gramina, quo rigatæ herbæ uireſcunt: alioqui neque à terra aſcen-
dunt, neque ſolis ſuſtinent ardores. Et nos regis æterni benignitate & fauore rigati, non H
ſolum ſcripturarum, ſed etiam ſanguinis illius poculo, quo omni peccãdi ardore extin-
cto, in hoc corpore mortali, ad uiriditatem bonorum operum erigimur. Corpora quo-
que ſepulta, ueluti ſemina herbarum proiecta in terram, hoc rore nempe fide & ſpe in
Chriſtum aſperſa pullulabunt aliquando, iuxta diuum Paulum 1.Cor. 15. Seminatur
in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in infirmitate, ſurget in uirtute. *Dolor
patris uel contritio & calamitas patris.*) Reliqua duo officia ſunt domeſtica filiorum er-
ga uidelicet parẽtes, & uxoris erga maritum. De priori ſæpe dictum eſt, uidelicet ut ma-
xima lætitia prouenit patri ex prudenti & probo filio, ita ſummus dolor & calamitas, ex
ſtulto & improbo: quæ mala ſi cogitent ſtudioſi iuuenes, probitatem & uirtutem ama- I
bunt, uel patris cauſa. Et patres, futuros dolores ex male inſtituto filio præmeditantes,
ſint ſoliciti filios cum cura educare. *Tecta iugiter perſtillantia, ſiue ſtillatio continua.* Con-
cordia uiri & uxoris commendatur: iurgia & lites domeſticæ quàm ſint moleſtæ, ſimi-
litudine ualde concinna declaratur. Aedes ſibi comparant & conſtruunt homines, ut ab
iniuriis cæli, & aëris ſint immunes, præſertim ut à pluuia quam minimũ ſuſtineãt: quòd
ſi imbres non arcent tecta ædium, maximo incommodo habitamus. Simile quiddam eſt
uiro cum uxore, indiſſolubile uidelicet uinculum: ut quemadmodum ædibus, ita nec
uxoris contubernio carere poteſt, cum qua ſi eſt mutuus amor & concordia, libenter K
domum feſtinat maritus, excipiendus uidelicet ſumma beneuolentia ab uxore: quòd ſi
litigioſam domi habet uxorem, quæ gaudet obſtrepere ac contendere, mallet foras ma-
nere uel in pluuia, quàm ædes adire proprias: ubi per importunitatem uxoris quieſcere
non poterit. Hæc eò ſpectant, ut admoniti per ſapientem ſtudeant homines, magna cum
prudentia uxores eligere, non temere proſilire ad matrimonium, ex ſimilitudine mo-
rum uxores magis eligant & ex amore, quàm opibus aut familia. Qua in re, ad Deum
tanquam omnium bonorum largitorem, confugiendum eſt, iuxta id quod ſequitur: *Do-
mus & diuitiæ dantur à parentibus.*) in Hebr. Domus & opes hæreditas patrum, quaſi di- L
cat, Hæc à patre accipit homo, non à Deo immediate: Deus enim hæc largitus eſt patri,
qui filio relinquit. Hæc igitur, domus inquam & opes, ſecurè recipit filius à patre: Cæte-
rùm prudentem uxorem ſolus Deus largitur. Prouerbiũ monet cùm in omnibus rebus
agendis, tum præcipue in capienda uxore à Deo quærendam opem.

„ PIGREDO emittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet. Qui cuſtodit
„ mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit uiam ſuam, mor-
„ tificabitur. *Hebr.* Pigritia faciet cadere ſoporem, & anima doloſa eſuriet. M
„ Qui obſeruat præceptum, cuſtodit animam ſuam: qui deſpicit uias ſuas,
„ morietur. Fœneratur domino qui miſeretur pauperis, & uiciſſitudinem
„ reddet ei. Erudi filium tuum ne deſperes: ad interfectionem autem illius
„ ne ponas animam. *Heb.* Caſtiga filium cum eſt ſpes, & ad clamorem illius
„ ne eleues animam tuam.

Ex pigritia & ocio quanta mala proueniant: contrà ex iuſto labore, quàm ingentia bo-
na, oſtendit hoc loco ſapiẽs. *Pigredo emittit ſoporem.*) q.d. quo quis magis deditus ſit ocio,

eo ad

A eo ad laborem minus erit in dies idoneus, & à pigritia, ad noctes diesque ſtertendum reſoluitur: eſt enim תרדמה, Hæbreis grauiſsimus ſomnus, quem Deus in Adamum cadere fecit, coſta ex latere exempta. Quod de labore corporeo dicimus, in ſapientiæ ſtudio, & in uirtutis exercitatione locum habet, in qua qui ſegniores ſunt, ad grauiſsimum in peccatis ſomnum perueniunt, ut nullis quamlibet magnis prophetarum, aut Apoſtolorum, aut cuiuſcunque concionatoris uocibus, poſsint excitari. Sed hi ferè meritas pœnas luunt, & cum filio prodigo ad famem & porcorum ſiliquas damnantur, ut iuxta præ
B ceptum Pauli, Si quis non uult operari, nec manducet. Sed ut illi neceſſariò uictu carentes, ad famem corporalem coguntur, ita & iſti grauiorem uerbi Dei inediam patiuntur, quanuis anima doloſa ſeſe famem pati diſsimulet. Iuxta priorem ſenſum, de corporali ocio, Doloſa anima intelligi poteſt, quòd multi honeſtis artibus, & labore, cum nolint ſibi uictum comparare, neque labores ſubire, ad dolos & deceptiones uerti ſolent, quacunque ratione uictui neceſſaria quærentes. Sed hi non minus quàm pigri ad inediam nonnunquam perueniunt. Iuxta uerſionem diui Hieronymi, facilis eſt ſenſus, nempe animam diſſolutam pigritudine & ſomno, ad inopiã & famem peruenire. Alioqui iuxta Aben Hezra, ſunt duæ diuerſæ clauſulæ, nempe ut homo per pigritiam peruenit ad Tardema, hoc eſt ad ſtertẽdum, ſic per fraudes peruenit ad famem & inopiam. Mihi uero uidetur ſenſus ſimplex, ut intelligamus ſapientem reddere duas cauſas, per quas fa-
C me laborant homines, nempe pigritiam, & fraudem, qua conantur alios ad inopiam redigere. *Seruans præceptum* (ſiue Dei ſiue regis) *ſeruat animam*, à morte & anguſtiis. Sic Hebr. Aliter, ut ille qui laborioſus eſt in præceptis Dei implendis, ſeruat animam ſuam à fame: Non enim uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem: ſed qui contemnit uias ſuas, nec ſolicitus eſt, ut in uiis mandatorum ambulet, morietur, uel temporali morte à principibus inflicta, uel certe æterna morte: Nam ſi uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Atqui hoc primum habemus commodum ex laboribus, ſi ſomnum excutiamus. Secundum uerò. *Fœneratur domino*,) hoc eſt, qui laborat manibus ſuis, quod
D bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſsitatem patienti: Nam cum omnis eleemoſyna ſit grata, maxime tamen illa, quæ ſudore comparatur & iuſtis laboribus: nam ſic interpretor liberalitatem in pauperes, eſſe fœnus accommodatum Deo. Nõ quæuis eleemoſyna tantum prẽmium habet: ſed illa quæ fit ſeruatis Dei præceptis. *Erudi filium tuum, dũ eſt ſpes*,) uel quia eſt ſpes, ut ad frugem hanc perueniat, nempe ut fugiat ocium, ſolicitus ſit ad ſeruanda præcepta, ne ipſe ad mortem ueniat, ſed alios per pia opera miſericordiæ à morte præſeruet, hoc eſt, ut libenter tribuendo pauperibus largiatur. Quicunque in pauperes liberalitatem exercet, tantum abeſt ut iacturam faciat aliquam, ut ingens lu-
E crum inde recepturus ſit: non enim pauperibus datur, ſed Chriſto: Quicquid uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: qui pro ſua benignitate, non ſolum ſortem integram nobis ſeruat, ſed lucrum cum fœnore reponit. Aliter dominus accommodat, quod pauperibus largimur, & nihilominus retributionem rependit, ac ſi noſtrum eſſet, & nõ ſuum quod impendimus. Denique poteſt retributio eius referri ad pauperem, ut ſit ſenſus: Dominus accommodat pecuniam illi, qui largitur pauperi, & retributionem retribuit pauperi, per manus alterius. ſed prima expoſitio eſt optima. *Ad interfectionem illius*.) In caſtigatione filij ſemper ſpes eſt: quòd ſi ſtatim non poſsis filium ad bonam frugem
F perducere, ceſſare noli, ſed ſubinde diſciplinam nouam adhibeas. Et quanuis magnæ & multæ ſint calamitates patris de filio ſtulto, (ut dictum eſt) nũquam tamen de trucidando filio cogitare oportebit: imo ſatius eſt, ut uiuat quantunuis alienus à ſapientia, quàm ut pater de morte illius decernat, id quod à ſapientia eſt alieniſsimum. Aliter, caſtigabis eum, ſed nulla crudelitate, ut ſub manu tua moriatur, ut domini in ſeruos quandoque animaduertere ſolent uſque ad necem. Tertia denique poteſt eſſe interpretatio, quæ optima eſt, ut uox Hebræa המיתו non mortẽ eius, uertatur, ſed clamorem uel tumultũ, eius, à uerbo המה ſonare. q.d. Erudi filium, & non eleues animam tuam ad clamorem illius: hoc eſt propter fletum & gemitum, ne deſiſtas à caſtigatione illius, ut ſolent aliquot patres nimium indulgentes in liberos.

Cap. 19.
Geneſ. 2.
Lucæ. 15.
2. Theſſ. 3.
Pſal. 34.
Matt. 19.
Epheſ. 4.
Matt. 25.

» QVI enim impatiens eſt,ſuſtinebit damnum:& cum rapuerit, aliud oppo G
» net. *Heb.* Magnus ira ſuſtinet punitionem: nam ſi erueris, & adhuc addes.
» Audi conſilium,& ſuſcipe diſciplinam ut ſis ſapiens in nouiſſimis tuis.Mul-
» tę cogitationes in corde uiri:uoluntas autē domini in æternum permanebit.

Sunt ex Hebræis, qui primum ex his tribus uerſiculis connectant cum ſuperiore uerſiculo, ubi in caſtigatione filij, à crudelitate cohibetur pater,ne inducat animum, filium iuterficere quantunuis alienum à diſciplina. Quod qui facit,merito impatiens,ſiue iuxta Hebræum,magnus in ira dici poteſt, & ſupplicium dabit aliquādo ſuæ impatientiæ, H
tanquam homicida.Et *cum rapuerit,aliud opponet,*ſiue(ut eſt in Heb.)*ſi erueris,adhuc addes.* hoc eſt, ſi eripias filium una uice, neque nimium caſtiges,poteris alia uice denuo diſciplinam addere.Hæc illi. Mihi magis arridet,ut in genere dicatur cōtra eos,qui paſsionibus iræ ſunt obnoxij. Quicunque enim magnus & uehemens eſt in ira,ſuæ temeritatis pœnas dare ſolet: quòd ſi uehementia furoris aliquem eripiat aliquando,dum terrorem incutit, his quibus cum contendit, tamen alia uice pœnam addet & damnum: uel,ſi tu quiſquis es euaſeris,& nihil per immodicam iram damni patiaris, tamen alia uice dum addideris furorem, hinc damnum & pœnam patieris. Beda refert ad fraternam correI
ctionem, quem ſi quis ad iracundiam prouocauerit,pro præmio uirtutis quod moderatione fuiſſet aſſecutus,pœnas dabit,cum fratrem non caſtigauerit,ſed ad maiorem iram prouocauerit.Prior expoſitio eſt melior.*Audi conſilium & cape diſciplinam.*)Poſteaquam inſtruxit patres, quo pacto filios caſtigare debeant, ſermonem conuertit ad iuniores, quos obtemperare parentibus, & ab eis libenter diſciplinam capeſſere monet: quò tandem in ſenectute ad ſapientiam, & ipſi perueniant. Melius intelligimus eſſe uerba patris, hoc eſt,admonitionem quam Salomon præſcribit parentibus, ut in filiorum aures inſtillent, affectu paterno hortantes ut uelint bonum & ſanum conſilium audire ab his, qui ſunt ſapientiores: quòd ſi bono conſilio nolint obtemperare, ſi correptione quoque K
ſit opus, uelint manum ferulæ ſubdere: quaſi diceret pater,Fili mi audi conſilium meū, uel præceptoris tui,& ſi opus fuerit,accipe diſciplinam & correptionem, quæ ex amore uere paterno procedit, non ex odio: & ne cogites quid nunc agatur, ſed quid olim futurum ſit: nam per bonum conſilium & caſtigationes, inſolentes iuuenes ad frugem & ſapientiam perueniunt: alioqui ſi ſuas ſequantur cogitationes & deſideria,quę ſunt uaria & ſtulta, ſapientes uiri nunquam erunt,ſecundum id quod ſequitur, *Multæ cogitationes in corde uiri*, quanuis humilis admodum uideatur doctrina Salomonis, dum docet patres, quo pacto filios debeant educare: neceſsitas tamen illius ubique patet,& ſubinde L
ſublimitatem ſuæ doctrinæ innuit. Nam quod dixit de conſilio audiendo,non tam humanum intelligit,quam Dei,quod arcanis proditum eſt literis,non humanis cogitationibus, quæ uariæ ſunt, & uanæ: & docet neminem poſſe ad ſapientiam ſolidam peruenire, niſi conſilio Dei, quod permanebit, quod non mutatur:ſed ſemper ſolidum & ſanum permanet, per quod ſolum ad ſapientiam in poſtremis proueniunt ſapientes,nempe ad Chriſtum:ſecundum quod ait ſanctus Paulus,Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Ex hac clauſula denique intelligimus,& reliqua quæ dicta ſunt de filiorum erga patrem officiis,potiſsimum ad Deum omnium patrem referenda.

» HOMO indigens miſericors eſt, & melior eſt pauper quàm uir mendax. M
» *Hebræum*, Deſiderium hominis, miſericordia eius. Timor domini ad uitā,
» & in plenitudine commorabitur abſque uiſitatione peſsimi. *Hebræum*, Sa-
» turatus pernoctabit,non uiſitabitur à malo, uel cum malo.

Interpres uidetur metaphorice intellexiſſe uocem Hebræam תאות, deſiderium. Comes eſt enim paupertatis & indigentiæ, deſiderium multarum rerum.Multæ ſunt cogitationes & multa deſideria: ſed præcipuum deſiderium hominis debet eſſe miſericordia illius,hoc eſt,ante omnia debet deſiderare, facere miſericordiam in homines:hoc eſt enim

A enim consilium Dei quod permanebit,ut modo dictum est:hoc cõsilium, inquam, Dei per Danielem prophetam datum regi Nabuchodonosor:Rex,consilium meum placeat tibi,& peccata tua eleemosynis redime,& iniquitates tuas misericordiis pauperum.Sed tum tandem desiderabilis est misericordia, cùm reliqua uita respondet:cùm quod foris geritur,intus in animo pio studio impletur, nec ab externo opere, internus affectus discrepat: denique cùm in fide nullus sit error,neque ficta charitate per hypocrisim, fama quæritur:Alioqui melior est pauper, qui misericordiæ opera per inopiam exercere non potest,quàm cum fallacia & mendacio misericors.Aliter,*Desiderium hominis misericordia eius.*) q.d.Bene audire, misericordes uocari & probos, omnes desiderant:etiam qui non B sunt,iactant aliquando & ostentant misericordiam foris: sed istis pauper melior est, qui ut non facit misericordiam,ita neque mendaciter ostentat. Sunt qui accipiunt חסר, id est,misericordia,in alia significatione,nempe pro opprobrio,ut Leui.20. חסד הוא,turpitudo est illud: loquitur scriptura de coniugio fratris & sororis, quæ res est ignominiosa: & erit sensus uersiculinon absurdus sane,nempe, non sequendas cogitationes quæ sunt in corde uiri,neque desiderium humanum sine consilio Dei,de quo in priore uersiculo dixerat:Nam huiusmodi desiderium ducet hominem ad ignominiam, ad sequenda desideria carnis & mundi,quæ non sunt bona,sed mendacia,& proinde melius est inopem uitã agere,quàm mendacẽ & fucatã,pro ueris bonis umbrã desiderãtes: & hæc expositio C quadrat sequenti uersiculo, nempe, *Timor domini ad uitam.*)s. ducet timentes dominum: ad uitam, inquam,tam temporalem,quàm æternam perducit timor domini,dum à trãsgressione legum cohibet: legum inquam,tam principum, quas qui seruat uiuit per eas, quàm diuinas,quibus seruatis ad uitam perducimur æternam.Porrò cum multi non tã uitam uideantur quærere,quàm cum abundantia rerum,& saturitate quiescere, & hoc quoque præstat timor domini, nempe saturitatem cum tranquillitate,iuxta illud: Non est inopia uel defectus timentibus eum. Nam qui timet, & super omnia desiderat ac amat Deum,terrena non concupiscet,imo omnium bonorum authorem & largitorem D secum habens, quid possit concupiscere,cuius rei famẽ sustinere possit? ad hæc qui cum omni saturitate uiuunt,coguntur subinde mala timere, quæ etiam diuitibus cõtingunt. Sed hic quoque timor domini securos nos esse iubet: nam qui timet dominum, nullo malo aut damno uisitabitur: quòd si quid patitur pro defensione fidei,ac pro conditione huius mortalitatis, tamen diligẽtibus Deum, omnia cooperantur in bonum,his qui secundum propositum uocati sunt sancti. Vitam igitur,saturitatem & securitatem, tria maxima commoda,secum affert timor domini.

Cap. 19. *Daniel.* 4.

Psal. 37.

Rom. 8.

E ABSCONDIT piger manum suam sub axilla,nec ad os suum applicat
» eam. Pestilente flagellato stultus sapientior erit:si autem corripueris sapien-
» tem,intelliget sapientiam. *Hebræum,* Derisorem percuties,& imprudens di-
» scet astutiam:reprehende intelligẽtem,& intelliget scientiam. Qui affligit
» patrem & fugit matrem,ignominiosus erit & infœlix. *Heb.* Qui spoliat pa-
» trem, & in fugam uertit matrem, filius pudore afficiens & confundens.
» Non cesses audire fili doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. *Hebræum,*
F Cessabis fili mi audire disciplinam, ad errandum ab eloquiis scientiæ?

Abscondit piger.) Iuuentutem corrigere, & in uia uirtutum ad sapientiam perducere, scopus est huius libelli. Atqui huic instituto maxime obstat pigritudo & somnolentia, quod uitium & paulò superius,& hoc in loco grauissimè reprehendit: in quibusdam usqueadeò magnum est,ut ne fame quidem cogente possint ad honestum aliquem laborem pertrahi: hoc enim est quod dicit,*Abscondit manum sub axilla,*) uel in sinu, & frigore & otio torpescens, ne ad os quidem suum reducet, dum cibum capiat. Aliter, ad os quod est facilimum:quasi dicat,nihil omnino laboris uult facere,ne corpus quidem curare, non lauare,nec pectinare. Prior expositio est melior, ut ingens hyperbola intelli-

gatur. Si tales inueniantur qui ne ad os ſuam manum uolunt admouere, non dixerim. G
Certe ſunt infiniti, qui malint famem pati, quàm ullo honeſto ſtudio uacare: ſed quanto
plures iuxta ſenſum ſublimiorem, qui quod ore profitentur, nolunt manu & opere com
plere, qui ore tenus non piis operibus ſunt Chriſtiani, horum negligentiam redarguit
Sapiens. Non eſt prætermittendum, quod quidam ex Hebræis uocem Hebræam צלחה
aſcella exponunt lebetem, quemadmodum proprie ſignificat, ſed hoc in loco metapho-
ricè accipitur, pro ſinu uel aſcella, ut Hiero. recte uertit: quãuis uehementior erit hyper-
bola, ſi pro lebete in quo cibi reponuntur, accipiatur. Ad quam ſi manum iniiciat piger,
ut cibum capiat, uix reducit ad os ſuum. Aben Hezra ſubaudit ſimilitudinis particulam
ſic, Piger eſt ſimilis illi, qui manum mittit ad patellam, ſiue lebetem, & tamen non retra- H
hit eam ad os: ac ſi diceret, Etiam ſi opus aliquod neceſſarium incipiat, non tamen ab-
Pſal. 1. ſoluet. לץ Hierony. ſecutus Septuaginta, peſtilentem uertit. ut, Et in cathedra peſtilentiæ
non ſedit: hunc deriſorem appellat Sapiens, qui uidelicet monita maiorum contemnẽs,
& uel uerbis uel factis deridet. Hunc uehementer caſtigare eſt neceſſum: quòd ſi incor-
rigibilis eſſe uideatur, tamen ad exemplum aliorum, pœnas dare debet, præſertim im-
peritorum, quos ſcriptura פתיים uocat, nos perſuaſibiles uertere poſſumus, aut imperitos.
Hi alieno periculo fiunt cautiores & prudentiores. Vtitur ſcriptura certa perſona pro
quauis, iuxta morem Latinæ linguæ, Percuties, pro, cùm quis percuſſerit & caſtigaue-
rit. Tertium genus eſt eorum, qui cum cordati ſint, minimo negotio intelligent ſcien- I
tiam, hoc eſt facient quod iubentur facere, uerbis duntaxat moniti abſque uerberibus.
Hanc quam uidemus in iuuenibus diuerſitatem ingeniorum quod ad literarum ſtudia
ſpectat, uidere licet in ea, quæ ad ſalutem animarum ſpectat philoſophia, & Chriſtiana
profeſſione. Quæ & deriſores habet & peſtilentiſſimos etiam hodie hæreticos, qui di-
uina ſacramenta, & ſaluberrima eccleſiæ inſtituta & ritus derident & ſubſannant: quos
cum inſanabiles iudicat eccleſia, à magiſtratibus ſuppliciis traduntur grauiſsimis. Qua
animaduerſione plebs indocta & ſimplex, & nonnihil ab huiuſmodi deriſoribus labe-
factata, ad ſanam mentem reuertitur tandem. Alioqui reperias in grege Chriſtiano, qui K
prima ſtatim facie à paſtoribus admoniti, quò à mala doctrina caueãt, facile intelligunt
ueram ſcientiam fidei, & diſtingunt à falſa hypocriſi hæreticorum. *Qui affligit patrem, & fugit matrem.*) uel ut eſt in Hebræo, deſtruit patrem, uaſtat uel prædatur. Ex his qui ca-
ſtigari nequeunt, ſunt qui ad maximam confuſionem & erubeſcentiam ſeu propriam,
ſeu parentum perueniunt: & pendet ſenſus ex prioribus. Nam qui uſqueadeò piger eſt,
ut ne ad os quidem manum è ſinu retrahat, qui caſtigationem maiorum deridet, neque
melior euadit, ad prædam & latrocinium patris deueniet, hoc eſt paternorum bonorum
decoctor fiet, & tantam uaſtitatem faciet in ædibus paternis, ut matrem fugam capeſſe-
re cogat: quo ſcelere uix ullum grauius eſſe poteſt. Nam hic tandem uere filius confun-
dens, & rubore afficiens parentes, qui ſpreta illorum authoritate & contempta caſtiga-
tione, eò inſaniæ tandem proſilit, ut in ſubſtantiam paternam manus uiolentas iniiciat: L
peior filio prodigo qui dixit, Pater da mihi partem ſubſtantiæ. *Et fugit matrem.*) melius,
fugat & expellit matrem, ab ædibus uidelicet, in quibus per filij inſolentiam habitare
non licet. Iudaicus populus cœleſtem patrem, dum filium Dei non recipiunt, bonis om-
nibus & debito honore, quantum in eis eſt, ſpoliare & prædari conantur, & ſynagogam
matrem in fugam conuerterunt: nam apud eos non eſt amplius uenerabilis illa patriar-
charum & prophetarum mater ſynagoga, ſed ſpurciſsima malignantium turba, populus
deriſor eccleſiæ, qui grauiſsima plaga ſub Tito & Vaſpaſiano flagellatus, ſimplici & ru- M
di gentilium nationi exemplo eſſe poteſt: Iſte populus eſt filius confuſionis maximè, &
per orbem uniuerſum ignominia affectus. *Non ceſſes audire fili mi.*) Neſcio quo errore ad-
dita eſt negatio, ſiue ab interprete, ſiue à ſcriba, quæ in Hebræo non habetur, neque in
Septuagin. qui affirmatiuè legunt. Sunt qui ſimpliciter intelligunt, quaſi ſapiens iuberet
filium ſuum ceſſare ab illa diſciplina, quæ ducit ad errorem, uel ad errandum à uerbis
ſiue ſermonibus ueræ ſcientiæ. Talis eſt diſciplina, non ſolum philoſophorum, quæ à fi-
de eſt aliena, ſed uel hæreticorum hypocriſis, uel Iudæorum blaſphemia, quæ à ueritate
catholica

A catholica,quæ ſola ſcientiæ nomine digna eſt,errare nos uolunt.Sunt qui inuerſum uerborum ordinem eſſe putant,ut ſit ſenſus:*Deſine fili mi errare à uerbis ſcientiæ,& audi diſciplinam.)* Sunt denique,qui מוסר diſciplinam,caſtigationem intelligant,quaſi rudimenta & exordia fidei, in quibus ſemper docendo uerſari non debemus, ſed in dies ad perfectiora ferri,ne ſimus ex illorum numero, qui ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam perueniunt. Hoc enim aberrare quodammodo eſt à uerbis ſciẽtiæ, ut ſcribit diuus Paulus:Quapropter intromittẽtes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectionem feramur,non rurſum iacientes fundamentũ pœnitentiæ, ab operibus mortuis: &,Lac uobis potum dedi,non ſolidum cibum. Cap. 20. *Hebr.6.* *2. Tim.3.* *Hebr.6.* *1. Cor.3.*

B TESTIS iniquus deridet iudicium,& os impiorum deuorat iniquitatem,
„ uel abſcondit iniquitatem. Parata ſunt deriſoribus iudicia:& mallei percu-
„ tientes ſtultorum corporibus. *Heb.* Percuſſiones corpori ſtultorum.

Teſtis Belial & teſtis iniquus,qui falſum profert teſtimoniũ יליץ, ut ſuperius frequẽter monuimus, duo ſignificat,deridere,& loqui ſiue interpretari: iuxta quẽ ſenſum hoc in loco,teſtis Belial,hoc eſt nullius honoris,qui ueritatem non curat,loquetur. ſ. falſum teſtimonium in iudicio: uel re uera deridebit iudicium & contemnet, (rem inter homines maxime neceſſariam,) dum falſo teſtimonio ſubuertit æquitatem, quæ per bona,&
C æqua iudicia conſeruatur. Hæc uero teſtis iniquus floccifacit. *Et os impiorum* (ſupp. iudicum) *deuorabit iniquitatem.)* ſic Interpres:Hebræi,potius ſequuntur aliam ſignificationem huius uerbi בלע, quod etiam abſcondere ſignificat:ut ſit ſenſus,Iudicia inſtituta ſunt,ut iniquitates detectæ per ueros teſtes,& bonorum iudicum ſententias,puniantur. Sed longe aliter uſu uenit ſubinde, dum teſtis Belial loquatur falſum teſtimonium in iudicio,& iniqui iudices abſcondunt iniquitatem malorũ, quos adductos in iudicio punire oportuit,& imprimis hos falſos teſtes,ut ſequitur: *Præparata ſunt iudicia deriſoribus.)* Aliter, teſtes Belial qui falſo teſtimonio ſubuertunt iudicium, uidentur deridere iudi-
D cium Dei,quod contra illos proferetur. *Et os impiorum* (ſupp. teſtium uel iudicum) *abſcondet iniquitatem.)* quaſi non eſſent parata contra illos iudicia. Sed longe decipiuntur: Nam uero iudicio Dei condemnabuntur & pœnas dabunt in igne, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.Et hoc eſt quod antea dixit,Falſus teſtis nõ erit impunitus.Porrò mallei in Hebræo non habetur,ſed unica dictio quæ percuſsiones ſignificat:teſtibus Septuag.qui uertunt.καὶ ἁμαρτίαι ὁμοίως ἄφεσιν, & ſupplicia ſimiliter ſtultis. *Matt. 25.*

CAPVT XX.

E LVXVRIOSA reſt uinum,& tumultuoſa ebrietas. *Heb.*
„ Deriſor uinum, tumultuoſus ſiceram:& quicunque errat in
„ hac re,non erit ſapiens.

Septuaginta ſecutus eſt diuus Hieronymus, qui uerterunt ἀκόλαστον οἶνος.& diuus Paulus,inquiens: Nolite inebriari uino in quo eſt luxuria.Hac uoce יליץ, quã uel deriſorẽ, uel interpretẽ ſignificare frequẽter diximus, ſic abutitur ſapiẽs in hoc libello,ut uideatur in genere intelligere quoduis de-
F lictum.Quod ad probos mores ſpectat,& ſapientiæ ſtudium, nihil omittit ſapiẽs.Nunc communiter ueluti remp. purgans,& inſtituens,ut ſuperius in his quæ dicta ſunt de iudiciis:nunc ad filium ſuum,hoc eſt ſeorſum unumquenque corrigens & inſtituens,quibus rationibus ſapiẽs efficiatur:ut hoc in loco ebrietatem uehementer damnat, non ſolum tanquam alieniſsimam à ſapientia, ſed etiam quòd homines pertrahat ad plurima mala,& imprimis ad nugas & uanitatem. Ad ſenſum perfectum, in Hebræo deeſt aliquid.Sunt qui ſupplent ad hunc modum,uinum efficit deriſorem.alii ſic:Vir uino deditus,eſt deriſor,ſiue nugator:ſiue denique,qui bibit uinum & ſiceram,immodicè uidelicet,(nam hoc eſt quod ſequitur,*Quicunque errat in eo,non erit ſapiens.)* cum nugis delecta- *Ephes.5.*

tur & turbis ſiue tumultibus,qui tranquillitatem animæ perturbant,ut non poſsit rebus G grauibus uacare.Per uinum & ſiceram quaſcunque delitias corporis poſſumus intelligere,quæ ferè animæ uirtutibus obſtant.

SICVT rugitus leonis,ita & terror Regis:qui prouocat eum peccat,in animam ſuam. *Heb.* Rugitus uelut leunculi, eſt terror regis : qui iraſcitur contra eum,peccat in animam ſuam.

De furore regis,ſuperiore capite diſſeruimus,cuius denuo mentionem facere opportunum uiſum eſt,poſt ſermonem de ebrietate: inſinuans quàm aliena à ſapientia ſit ebrietas,per quam ira & indignatio Regis quandoque prouocatur, quæ,ut ſuperius legimus, H quaſi nuntius mortis eſt. Et hoc eſt quod dicit, *In animam ſuam peccat*) & uitam in ſummum diſcrimen adducit,non minus quàm is,qui rugitus leonis ſuſtinere non ualens,in poteſtatem illius uenit: nam ut longe aliud eſt de terrore leonum abſentem loqui:aliud prope rugitum animalis audire: ita multis leue uidetur contra regem iraſci , illius prouocare furorem,quod quàm horrendum ſit,ſupplicio capitis nonnunquam experiũtur, & regiæ maieſtati ſuccenſentes damno non poſſunt eſſe,ſed in proprias animas & uitas peccant:quanto magis qui Chriſtum blaſphemiis & iniuriis uel olim in cruce pendentem,uel hodie regnantem in cælis afficiunt : illius lædere non poſſunt maieſtatem , ſed proprias animas grauiſsimo peccato obnoxias efficiunt, hoc eſt in animas ſuas peccant. I

HONOR eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus : omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis. *Hebræum,* Honor eſt uiro ceſſare à lite, ſed omnis ſtultus miſcebit ſeſe.

Non ſolum contra regem iraſci, & contendere eſt alienum à ſapientia, ſed cum quouis homine,imò quietum & alienum eſſe à litibus eſt ſumma laus, præſertim cum ſit difficillimum nullius animum offendere, cum omnibus hominibus pacẽ habere: id quod quantò difficilius fuerit,tantò maioris laudis. Contrà lites uel ſectari, uel miſcere, ubi K quieſcere potes, extremæ dementiæ eſt. Aliter, pendet à præcedente uerſiculo, & erit *Roma.12.* ſenſus,Vt in animam ſuam peccat qui regem prouocat ad indignationem, ita à rege magnam inibit gratiam,& etiam honores aſſequetur, qui pacis & trãquillitatis amator eſt. Hanc poſteriorem expoſitionem ſequitur Aben Hezra.Alioqui ſimpliciter intelligi poteſt,honorem aſſequetur ab omnibus,ut puta communis omnium amicus, qui alienus eſt à contentionibus.

PROPTER frigus piger arare noluit,mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi.

Hebr.In hyeme uel propter hyemem piger non arabit,uel non ſolet arare:petet in æſta- L te,& non eſt:hoc eſt, mendicabit panem,& non eſt, qui (ſup.) det illi. uel petet ab agricolis annonam, & nulla erit.Sed prior expoſitio eſt melior , & ſimilitudo ſiue parabola uidetur:quaſi diceret, Quẽadmodum is qui uel labores ſubire, uel frigus ferre recuſat, aut quãcunque aëris iniuriam,nec fructus in meſſe colligere,nec neceſſariam annonam per reliquum annum habere poterit, ſed fame coactus turpiter mendicare cogetur , & neque ita poterit neceſſarium cibum acquirere.Terra quam quiſque arare debet,eſt caro propria: in hyeme,hoc eſt in hac mortali uita,quæ fere deficiente charitate friget: un- M de ſegniores & pigri efficimur, recuſantes per pœnitentiam & dolorem de peccatis,ſcindere corda noſtra,& uitia radicitus euellere: per auditum uerbi , bonum ſemẽ inter uarias cogitationes,tanquam glebas recondere , ne in æſtate futuræ uitæ cogamur men- *Matt.25.* dicare cum ſtultis uirginibus,Date nobis de oleo ueſtro.Flectere quoque poſſumus interpretationem ad ſtudium & induſtriam,quam in iuuentute ſubire oportet,quaſi nullos recuſantes labores,quo tandem in æſtate,hoc eſt ſerenitate & tranquillitate animæ, ſedatis uidelicet affectibus , ex noſtro ueluti penu doctrinam neceſſariam promere poſſimus,

A posimus, ut non sit necessum nobis doctrinam & panem scripturarum, ab indoctis hæ- Cap. 20.
reticis mendicare.

» SICVT aqua profunda consilium in corde uiri, sed homo sapiens exhau-
» riet illud.

Consilium & sapientia, quæ est in corde uiri sapientis, confertur aquæ profundæ, quòd inexhausta sit, nam ut illa quamlibet multis haurientibus absumi non potest, ita non imminuitur sapientia & consilium, quanuis plurimi fuerint participes illius. Sunt tamẽ ex Hebræis, qui similitudinem referant ad integritatem consilij, & puritatem sapientiæ:
B nam aqua profunda limpidior fluit, nec conculcata à prætereuntibus contaminatur, sic sapientis uiri consilium est syncerum, nec humano fauore aut ambitione lutulentũ. Potest denique referri similitudo ad difficultatem hauriendi, nam quo puteus aquarum altior & profundior est, eo maiore negotio haurimus. q. d. prudentis uiri consilij non sunt capaces omnes, sed ut magna, profunda, & rara sapientia opus est ei, qui alios moderari debet suo consilio, ita non est cuiuslibet optimum consilium capere: solus qui prudens est, sanum consilium capiet. Aliter, *Vir prudens hauriet illud*,) sup. ex sermone illius: quasi dicat, quantumuis profundum & secretum fuerit consilium uiri sapientis, tamen
C alius uir non minus prudens & sapiens, particeps illius erit. Valde profunda sunt consilia illius uiri, de cuius uentre fluũt flumina aquæ uiuæ, quæ non omnes capiunt, sed qui- *Ioan. 7.*
bus data est sapientia & prudentia à Deo, ut credant euangelio.

» MVLTI homines misericordes uocantur: uirum autem fidelem quis
» inueniet.

Hebr. ueritas ambigua est: nam omnibus his modis uerti potest, Plurimi homines prædicabunt uirum ob misericordiam suam: uel, multum laudabunt homines uirum misericordiæ: uel, magni hominis prædicabit unusquisque misericordiam: uel denique, sunt
D multi homines, quorum unusquisque prædicabit misericordiam suam. quasi dicat, gloriabitur de misericordia quam fecit. Hunc sensum sequutus est Aben Hezra, & non est alienus ab alio superioris capitis uersiculo. Desiderium hominis misericordia eius: quos corrigit Sapiens & reprehendit inquiens, *Et uirum fidelem quis inueniet?*) q.d. tantum abest, ut quisquam meritò possit hoc nomine laudari, ut uix quenquam inuenias, quem uerè fidelem appellare possis: iuxta illud, Qui uerbo non offendit hic perfectus est uir. *Iacobi 1.*
Vel, fidelem quis inueniet? qui nemini inferat iniuriam, qui promissa seruet: ut iam nemo debeat misericordiam iactare quam facit quibusdam hominibus, cum in alios parum fidelis aut iustus inueniatur: uel potius cum erga Deum sit infidelis, promissa male obseruans. Mihi magis arridet prior uersio & intelligentia, quæ est huiusmodi: *Multi*
E *laudant uirum* (sup.) *propter misericordiam suam*) quam fecit illis: nam nulla uirtus plus fauoris aut gratiæ conciliat homini, quàm liberalitas & beneficentia, qua Deum optimum maximum, quodammodo imitantur homines: *Sed fideles quis inueniat?*) hoc est rari sunt, qui rependunt par pari. Sic enim interpretantur Heb. אמת ueritas, & אמונים fideles, qui fideliter rependunt beneficium, uel debitam gratiarum actionem, sunt ualde pauci: frequenter enim in scripturis sacris coniunguntur hæc duo nomina אמת & חסד, misericordia & ueritas, quorum hoc beneficium ultro collatum, illud uero agnitum & restitutum significat. Apud Hebræos אמת emeth, ueritatem facere dicũtur, qui quod
F debent præstant: obligati uidelicet præstant ueritatem, sed חסד hesed, misericordiam præstant, qui mera liberalitate utuntur. Ex hoc loco uidetur desumptum illud euangelicum: Quis putas est fidelis seruus & prudens? Hic loquendi modus, raritatem significat, non negat neminem reperiri: ut, Si quis peccauerit in Deum, quis orabit pro eo? *Mat. 24.* *1. Reg. 2.*

» IVSTVS qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se relinquet filios.
» *Hebræum*, Ambulantis in perfectione sua iusti, beati filij illius post eum.

Ob bonitatem & liberalitatem, magnam laudem assequuntur homines, sed qui iustus

eſt & perfectus, maiorem, utputa cuius laus ad liberos & nepotes extẽditur. Erunt enim beati poſt mortem illius, hoc eſt fœlices habiti, qui talem habuerunt patrem: uel re uera beati, ſequentes uidelicet ueſtigia patris, & in perfectione ambulantes. q.d. non ob uirtutem ſolam, ſed ob actionem uirtutis iuſti ſunt homines & beati: nam ambulare in perfectione, eſt de uirtute in uirtutem procedere. Eſt præterea obſeruandum, in Hebræo haberi non ſimpliciter ambulantis, ſed facientis ſeipſum ambulare: ut iuſtus intelligatur, non qui timore legis aut pœnæ, non tranſgreditur, ſed qui ſua ſponte, & libenter ambulat in perfectione: iuxta illud diui Pauli, Ad perfectionẽ feramur. Iuſtus iſte, qui in perfectione ex ſe ambulat, eſt agnus ille ſine macula, qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius: cuius filij ſunt beati, ſi fecerint quæ præcepit eis. Hic etiam rex eſt, de quo ſequitur. G H

Hebr.6. *1. Petr.2.* *Ioan.13.*

» REX qui ſedet in ſolio iudicij, diſsipat omne malum intuitu ſuo, uel ocu-
» lis ſuis.

Si ex præcedente uerſiculo pendeat, Deum Opti. Maxi. Regem intelligimus, qui perpetuo ſuper ſolium iudicij ſedet, & nouit qui ſint ambulantes in perfectione, qui ſint iuſti: nouit dominus uiam iuſtorum, impios uel primo intuitu diſsipat & diſpergit: non indiget uinculis neque ſatellitibus ad coërcendos malos, ſed ſolo intuitu in fugam conuertit ſuos hoſtes. Iuxta ſenſum ſimpliciorem, intelligimus quàm utile ſit reip. ut reges ſuo fungantur munere, hoc eſt iudicia exerceant, cauſas cognoſcant: nihil enim magis ad malefactores reipu. peſtes, coërcendos facit, quàm iudicia cum omni æquitate & auctoritate tractata. Solum auctoritas eſt regia, cuius aſpectum malefici non ſuſtinẽt, cum ſedet ut iudicium faciat, & decernat quid unuſquiſque mereatur. *Diſsipat uel diſpergit.*) Intelligimus animaduertendo in malos: uel diſpergit, quia timore perterriti, ne ad conſpectum regis ueniant, deſinunt eſſe mali. Ad reges igitur, & ad eos qui auctoritate pollent, propriè ſpectant hæc. Cæterùm ad quẽuis ueluti ſenſu prouerbiali, poteris deflectere, ſi in cuiuſuis animo ueluti remp. conſtituas, in qua mens & ratio ueluti regina, cæteris potentiis præſidet, quæ ſi in iudicio uigilanter ſedeat, decernens inter bonum & malum: iuxta uerbum domini, & uoluntaria pœnitentia caſtiget rebelles animi motus, facile diſsipabit mala Dei auxilio, & ab omni malo & maioribus peccatis tranquillum reddet regnum animæ: ſed ex ſeipſo hoc nemo poterit, iuxta id quod ſequitur. I K

» QVIS poteſt dicere, mundum eſt cor meũ, purus ſum à peccato: uel, mun-
» daui cor meum.

Quanuis multi gloriantur de miſericordia, quam fecerunt, & quanuis iuſtus ſit qui ambulet in perfectione: quanuis denique mens & ratio ſedeat ſuper ſolium iuſtitiæ, ut nihil faciat niſi cum ſumma æquitate, ut in præcedentibus diſſeruimus, tamen de ſua puritate nemo poteſt gloriari, dicendo, Mũdus ſum, innocens ſeruaui cor meum ab omni iniquitate: nam non eſt homo ſuper terram, qui ſic ambulat in perfectione, ut non peccet aliquando. Id quod non omnes intelligunt: imò hypocritas latet, iuxta parabolam euangelicã uel hiſtoriam potius de phariſæo & publicano: quorum ille dixit, Non ſum ſicut cæteri hominum. Porro quis poteſt dicere, Innocens feci cor meũ à peccato, in quo conceptus ſum, iuxta id quod dicit propheta: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, uel denique à delicto iuuentutis meæ. Quis dicet, mũdum feci cor meum, ut duplicem ſenſum intelligamus, neminem uidelicet poſſe neque ſeipſum ſine gratia ſeruare mũdum, neq; commiſſum aliquando peccatũ, poſſe ex ſeſe ſine Dei auxilio purgare, præter agnũ illum ſine macula, quem uerſiculus ſecretiori ſenſu inſinuat: non enim nullum, ſed rarũ quempiam ſignificat hic loquendi modus, quis dicet? Cum ſenſum igitur habeat plurimis modis occultum, meritò inter prouerbia numerari poteſt, humilitatem imprimis commendans hominibus, per quam agnoſcere debent illius bonitatem, cuius beneficio ſolum, innocentia aliquando habebimus corda. L M

Eccleſ.7. *Luc.18.* *Pſal.151.*

PON-

A PONDVS & pondus, menſura & menſura, utrunque abominabile eſt apud Deum. Cap. 20.

Hebr. Abominatio domini etiam hæc duo. q. d. non ſolùm furtum & rapinam execratur dominus, ſed fraudem quancunque quamlibet occultam, præſertim eam quæ latenter in plurimos fit: & quaſi contra publicam fit utilitatem, dum multorum iactura, & populi diſpendio, unius priuati hominis lucrum & compẽdium quæritur: id quod improbi faciunt mercatores, maiore pondere comparantes, & minore uendentes. Rex qui ſedet ſuper ſolium iuſtitiæ, ut ſuperius lectum eſt, hæc non poteſt pati, ſed cognitione ſua
B diſsipabit & hoc malum inter cætera, ut ad ſuperiora referatur. Significat prouerbium multa eſſe quæ Deus abominatur uitia, etiamſi à rege damnari non poſsint, utputa occulta: porrò non minus iniuriam fieri, etiam ſi is qui patitur, non poſsit conqueri. In pondere denique & menſura, iniqua iudicia intelliguntur, uel priuatim ſi quis reprehendat & damnat in uno, quod in alio bene factum eſſe laudat: uel in ſe permittit, quod in uicino non poſsit tolerare: hic pondere utitur & pondere, menſura & menſura. Rex quoque ſiue princeps, qui ſedet ſuper ſolium iudicij, ſi non utatur lapide & lapide, ut eſt in Hebræo, Epha & epha, diſsipauit omne malum oculo & cognitione ſua, quòd ſi perſonarum acceptionem admittat, eadem crimina uidelicet & iiſdem circunſtantiis aggraua-
C ta, diuerſis ſententiis ueluti ponderibus librans, domino erit execrabilis: apud quem non eſt perſonarum acceptio, ſed in omni gente qui timet Deum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. *Act.* 10.

" EX ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius. *Hebr.*
" Etiam ex ſtudiis ſuis ſe notum facit puer, ſi purum & ſi rectum opus illius:
" uel, Etiam ex operibus ſuis ignotum ſe faciet puer.

Nihil prouerbialis ſenſus uidetur habere, ſi iuxta literam exponatur: eſſe uidelicet & apparere ueſtigia quædam, ſeu uirtutum ſeu uitiorum in his quæ agunt pueri, quibus ſcire
D quodãmodo licet, quales olim prouectioris ætatis ſunt futuri. Sunt ex Hebræis, qui pro ambiguitate huius uerbi נכר, quod cognoſcere ſignificat & alienare, ſiue alienum & ignotum eſſe, uel occultare: ut fere contraria ſint ſignificata, ita in ſenſum omnino contrarium exponunt uerſiculum: nempe ut pendeat ſenſus ex præcedenti, ad hunc modum: Pondere & pondere occultatur fraus, etiam in ſtudiis ſeu operibus ſuis ignotus erit puer, ut non poſsis ex his quæ puer agit, ſatis ſcire qualis adultus ſit futurus: an pura uidelicet & munda ſint futura illius opera & recta, néc ne.

" AVREM audientem, & oculum uidentem, dominus fecit utrunque.
E " Aliter, Dominus fecit etiam utrunque. Noli diligere ſomnum, ne te ege-
" ſtas opprimat: aperi oculos tuos, & ſaturare panibus. Malum eſt, malũ eſt,
" dicit omnis emptor, & cũ receſſerit, tunc gloriabitur: uel, Et uadens tunc ia-
" ctabit ſe.

Diuerſa ſunt ſtudia iuuenum, ex quibus quales ſint futuri prouectiores ætatis, coniecturam facere licet: & quanuis alij boni, alij mali euadant, tamen ad ſapientiam aſſequendam omnes ſunt creati à Deo, & tam animæ, quàm corporis uiribus prẽditi: nam per ſen-
F ſus exteriores, internas animæ uires & potentias intelligimus. Inter ſenſus corporeos, auditum & uiſum, ad rerum cognitionem percipiendam, maximum habere momentũ, etiam philoſophi tradunt: Id quod Sapiens hoc in loco docet: & interim corripit ignauos & pigros in his quæ ad ſalutem ſpectant, & ornamentum animarum, inquiens: *Aurẽ audientem.*) q. d. Deus fecit aurem ad ſcientiam & ſapientiam euangelicam hauriendam, dicente domino toties in Euangelio: Qui habet aures audiendi, audiat. Et fecit oculum *Luc.* 8. ad opera conditoris contemplanda, ex quibus ſempiterna eius uirtus & diuinitas, con- *Roma.* 1. ſpiciuntur. Reprehendit infidelium & gentilium errores, qui negant Deum curare res

mortales,aut actiones humanas,cum dicit, *Noli diligere somnum.*) q. d. utere corporis & G
animæ dotibus in eum finem,ad quem sunt destinatæ.In somno nullus est usus, nec uisus nec auditus: imò nullorum sensuum. Quòd si mea monita spernas, & otio magis quàm honesto studio etiamnum iuuenis oblectare te uolueris,habe saltem rationem uictus tui, caue ne ad egestatem deuenias: tantisper uigilia donec uictui necessaria com-
Ioan. 6. pares. *Aperi oculos*) fidei:& saturare pane qui de cælo descēdit, & dat uitam mūdo. Aperi oculos igitur,& excute somnum quamlibet suauem:ad labores accingere, quamlibet graues in initio uideantur: non principia, sed fines perpende: nam ex somno paupertas & inedia,ex uigilia & studio,copia rerum & abundantia panis & deliciarum comparantur. *Malum,malum est,dicit omnis emptor.*) Exemplo mercatorum, uult nos spectare non H
initia, sed fines laborum. Vt enim illi rem primo uituperant, quo uilius emant: deinde ubi emerint,iactant se & gloriantur de sua,siue industria, siue peritia in rebus comparandis: sic sapientia, in cuius acquisitione uigilare & laborare suum filium monet Sapiens, minime iuuenibus arridet:sed malum est, malum est,inquiunt, mane somnum excutere, & literarum studiis siue rebus diuinis indulgere : sed olim ex ephebis & pue-
Matt.13. rilibus annis egressi, ubi maximis sudoribus ueluti negotiator, uenditis omnibus unicam sibi margaritam comparauerint,sibi gratulabūtur ipsis. Porrò illa uerba, *Cum abierit,uel recesserit sibi.*) In Hebræo אזל לו, & transiens sibi, & ad rem emptam optimè
refertur,ut sit sensus: Merces comparatæ non placent mercatoribus cum emuntur: sed I
dicunt, Malum est,malum est quod emi: uerùm cum eat sibi, & foras egreditur quod emit:quasi dicat,Cum bene uendit & multum lucratur,tum tandem laudat sese, quòd nouerit uti foro. Idem in studio sapientiæ cogitandum est,de fructu uidelicet quem sapientia profert,non de laboribus quibus acquiritur. Possumus deniq; illa uerba:Malum est,malū est,dicit omnis emptor,ad labores & pericula referre, cuiusmodi subire solent mercatores:iuxta illud Horatij, Impiger extremos curris mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens,per saxa,per ignes:Sed melius ad uerba mentium referuntur, propter ea quæ sequuntur,quibus prudentia siue scientia labiorum laudatur.
K

» EST aurum & multitudo gemmarum, uas autem pretiosum labia
» scientiæ.

Duplex est intelligentia:prima facile sibi comparat opes, aurum & multas margaritas, & uasa pretiosa, Qui pollet scientia labiorum,hoc est uir sapiens & eloquens, facillimè potest ditescere:ut iam iuuenibus debeat prima cura haberi de sapientia, non de mercatura, aut aliis artibus quibus opes acquiruntur. Facile est, dicebat olim Thales Milesius,Philosophis ditescere si uelint: id quod re ipsa ostendit, nam perspecta per cursum syderum olei futura caritate, omnes totius prouinciæ comparat oliuas, qua re L
diues admodum euasit. Secunda intelligentia uersiculi,quæ magis placet,nempe, labia scientiæ, hoc est sapientia cum eloquentia coniuncta, præstat auro, margaritis aut quibuslibet uasis pretiosis. Vel denique subintelligitur litera similitudinis, & erit sensus: Labia scientiæ esse homini, uelut aurum,uelut uasa pretiosa: ut sit sensus, Sapienti non possunt deesse ornamenta externa: aut, hæc non curat sapiens, cum his multo habeat magis pretiosa. Leui Ben Gerson sic: Sunt qui auro & lapidibus pretiosis abundant,sed tamen res pretiosæ,ut sunt labia scientiæ,non sunt illis.

» TOLLE uestimentum eius qui fideiussor extitit alieni,& pro extraneis au- M
» fer pignus ab eo. *Hebr.* Accipe uestem illius cum quis fideiusserit pro extra-
» neo,& pro aliena pignus eius(accipe.sup.cùm fideiusserit.)

Iuxta sensum humiliorem,prudētiam quandam humanam docet uersiculus, nempe in contractibus,& in commerciis mutuis securitatem quādam seruare: præsertim ubi cum extraneis agitur,& uiris uel fœminis ignotis. Et quanuis non solum noster interpres, sed etiam ipsi Hebræi exponant uestem eius qui fideiubet pro extraneo, subaudiendo præ-

positionem

A positionem pro:potest tamẽ uerti, *Quando extraneus fideiubet,cape uestem illius pro pignore.*) Cap. 20.
Fideiubet pro extraneo mens & ratio,quando spiritu, facta carnis mortificare studet & pollicetur:quam fideiussionem quisquis in se firmam & stabilem esse uelit,uestem illius qui fideiubet accipere debet,hoc est,ueterem hominem expoliare cum actibus suis:nam *Coloss.3.* facile præstat quod in baptismo promisit,quicunque carnem cum affectibus domare noluerit,& mundum crucifigere cum concupiscentiis, quibus spoliatus spiritus, nudus dominum nudum facilimè sequitur, cum illius auxilio.

" SVAVIS est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calcu-
" B lo,siue lapillo.

Lapillis,numerus pro numero,qui si cum pane misceantur,dentes uehementer lædunt. Panis mendacij,quẽ falso testimonio lucratus est,inquit Aben Hezra:alioqui, quodcũq; lucrum sub nomine panis intelligitur, quacunque fraude & malis artibus acquisitum: quod prima statim facie suaue uidetur & amœnum,postea tamen mordente conscientia difficilius quàm lapilli mastigatum concoquitur. Neque solum furtũ & rapina,sed peccatum quodcunque hanc naturam & conditionem habet,ut primò dulcedine quadam sensus mulceat & titillet animum, postea uero dentes comedentium rumpat: id quod uel de morsu conscientię,uel de pœna peccatis debita possumus intelligere. Frequẽs est
C metaphora comedere pro peccare. Sensus denique non est alienus ab illo uersiculo,quẽ prius exposuimus:Aquæ furtiuæ dulciores sunt. Quantum sese oblectent hæretici pane *Cap. 9.* mendacij,hoc est falsa doctrina,quam pro uero pane euangelico populo ministrare gaudent,uix unquam cogitarit quispiam, qui nullum de hæretica prauitate acceperit experimentum.

" COGITATIONES consiliis roborantur,& gubernaculis tractãda sunt
" bella. *Heb.* Cogitationes consiliis firmabitur, & per consilia gere bellum.
D

Iuxta Hebraismum,cogitationes,hoc est unaquæque ex cogitationibus firmabitur. Sensus prouerbij est,Neminem per se satis esse prudentem,imò egere unumquẽque sapientum & doctorum hominum consiliis. Sunt enim in animo uniuscuiusque cogitationes uariæ & inconstantes. præsertim in rebus maioris momenti, cuiusmodi est bellum: & idcirco priusquam incipias,consulto opus est:Et,iuxta parabolam euangelicam,Quis ex *Luc.14.* uobis uolens ædificare turrim,non prius sedens computat sumptus,& cætera:Aut,Quis rex iturus cõmittere bellum aduersus alium regem,&c.quicquid enim facere uolumus quod uel ad ædificationem animorũ nostrorum spectat, uel ad bellum cõtra hostes nostros,nẽpe principes & potestates tenebrarũ harũ,non leui cogitatione,sed sagaci cõsilio *Ephe. 6.* prẽmeditari,oportet:oportet,inquam, uel legem Dei consulere,uel uiros sapientes,qui
E aliquando uictoriam sunt assecuti, & ædificium aliquod uirtutum, in animis suis construxerunt.

" EI qui reuelat mysteria,& ambulat fraudulenter,& dilatat labia,ne commi-
" scearis. *Hebræum.* Cum eo qui reuelat secretum qui circuit detractionem,&
" qui blanditur labiis suis, ne misceas te. *Aliter*: Qui reuelat secretum, ambu-
" lat detractor,& qui dilatat labia sua ne te committas, uel potius cum eo qui
" F decipit labiis.

Sunt ex Hebræis,qui iuxta uersionem nostram unicam clausulam efficiant, nempe,ut nihil commercij habeamus,neque cum eo qui reuelat secretum,neque cum eo qui ambulat fraudulenter,nec denique cum eo qui labiis seducit. Quanuis necessarium sit ad cogitationes fluctuantes confirmandas,alieno uti consilio,ut superius dictum est:tamen non est satis tutum cum quouis homine secreta nostra communicare, neque à quouis consilium petere. Sunt enim qui gaudent pandere aliena secreta,& criminando circuire. Sunt præterea qui facile persuasi & decepti,alios quoque blandiendo decipiunt. Du-

plex ſignificatio huius uerbi פתה, perſuadere & dilatare, ſenſum facit ambiguũ, quanuis eodem fere redeat: nam & qui dilatat labia, & qui perſuadendo fallit, uerboſus & futilis intelligitur, cuiuſmodi ad ſeruandum ſecretum, aut ſanum conſilium impertiendũ, omnium minime eſt idoneus. Ab eo igitur qui reuelat ſecretum alterius, & qui criminando circuit, hoc eſt à dilatore, neque amicitiam petas, neque conſilia tua ei impertias, uel potius cum eo qui blanditur labiis, ne ineas conſilium. Iudæi & hæretici ſunt, qui criminantur fidem eccleſiaſticam: Philoſophi & ſecularis ſapientiæ homines, ſunt qui blandiuntur uitiis humanis, carni & concupiſcentiis laxantes habenas: Cum his igitur conſilium inire non debes, ſi bellum gerere contra mundum & carnem, uel quancũque cogitationem teipſum corroborare uelis, iuxta ea quæ præceſſerunt, in rebus quæ ad æternam ſapientiam ſpectant. G H

» QVI maledicit patri ſuo & matri, extinguetur lumen eius in mediis tene-
» bris. *Hebræum*, Extinguetur lucerna eius in obſcuritate tenebrarum.

Luc. 11. Per lucernam, metaphoricè intelligitur anima ſiue mens, ut eſt in euangelio: Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſint: uel lucerna chariſmata Dei intelliguntur, quibus hominum mentes illuſtrantur: ſed his penitus deſtitutus eſt, qui maledicit patri uel matri, nam coniunctio ין uan, quæ alioqui copulat, hoc in loco diſiunctiuè accipitur, ut legatur, Maledicens patri uel matri. q.d. indignus eſt his donis & beneficiis quæ Deus omnium pater omnibus largitur: Indignus eſt inquam is, qui patrem contemnit uel matrem ſpernit, & iam deſtitutus lumine diuinæ gratiæ, in maximis tenebris uerſatur. Poſſumus etiam per tenebras, anguſtias & tribulationes intelligere, in quibus opem non inueniet qui patrem ſpernit uel matrem. Et hæc ad ſuperiora pertinent de conſilio, quo firmantur cogitationes, quod cum parentes liberis impertiunt, contemnuntur nonnunquam à liberis qui malunt detractorum & blandientium ſeſe miſcere conſortiis, de quibus in ſuperiore uerſiculo, quàm patri obtemperare & matri. O quantæ tenebræ manent Iudæos & infideles, qui patrem cœleſtem ſpernunt: nam qui filium non recipiunt, neque patrem recipiunt: quantæ porrò hæreticos, qui eccleſiam matrem floccifaciunt? horum lucerna in tenebris profundiſsimis, prohdolor, in perpetuum extinguetur. I K

» HAEREDITAS ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo bene-
» dictione carebit.

Hæreditas ad quam feſtinatur: uel, hæreditas feſtinanter acquiſita, intelligitur rapina, & malis artibus acquiſita, uel dum quis contempto patre, eius mortem accelerat, ut ad ſuperiora referatur, in nouiſsimo benedictione carebit, uel ut in Hebræo eſt, extremum illius non erit benedictum: nam male parta male pereunt: uel denique hæreditas feſtinata erit, quam quis aſſequitur abſque labore aut cura aliqua. Tales hæredes ſolent rem minus curare domeſticam, & bona ſiue facultates cum facilitate magna relictas à parentibus, maiore facilitate conſumere. Filij Ruben & Gad ac dimidia tribus Manaſſes, feſtinabant hæreditatem tranſiordanam accipere, quæ tandem non fuit benedicta: ut quæ primo ſpoliata ſit, habitatoribus in captiuitatem deductis. Iudæi deniq; uineam domini in hæreditatem acceperunt, excluſis gentibus, quæ tamen illis parum fœlix poſtremo tempore fuit, deſtructa ciuitate Hieruſalem, feſtinabant nimium interfectis uidelicet ſeruis patris, & filio, quo citius ſibi uindicarent hæreditatem. Quadrat prouerbium, uel imprimis illis, qui bona eccleſiaſtica & iura, etiamnum iuuenes feſtinant occupare: uerius quàm legitimè per gradus eccleſiaſticos, ad ſuprema munera peruenire. Indocti uidelicet & inidonei, uel ad epiſcopalem cathedram & dignitatem per fas ac nefas properant: ſed Dei benedictione deſtituti, tandem ſentient quid ſit paſtoris locum occupare, illi qui gregem domini paſcere, uel noluit, uel neſciuit. L M

» NE dicas reddam malum: expecta dominum, & liberabit te, uel ſaluum fa-
» ciet te.

Nulli

A Nulli malum pro malo reddentes, inquit diuus Paulus, Mihi uindictam ego retribuam dicit dominus. Salomon prohibet ne cogites quidem, aut tecum deliberes de reddendo malum pro malo: nam *Ne dicas*) hoc est, penes te ne cogites: *Expecta dominum.*) quasi dicat: Noli sententiam iudicis præire, uel potius remitte uindictam domino, expectans illius opẽ, ut te eripiat à malo, quod pateris. Tu de reddẽdo malũ poteris cogitare, & malum pro malo rependere poteris facilius, quàm acceptum damnũ amoliri. Magis solicitus esse debes, de tua salute, quàm de alterius damno. *Salutem uero à domino recipies)* si modo causam tuam illius clementiæ commendes, ut etiam aduersario tuo rependat, non quod tu iratus cogitas, sed quod pro illius æquitate & clementia uidebitur oppor-
B tunum: nam in causa propria solent homines esse parum æqui iudices, sed quod in se leue iudicant delictum, in aliis grauissimo supplicio dignum aliquando putant, quos dominus execratur, tanquam eos qui diuersis utuntur ponderibus & mensuris: iuxta sequentem uersiculum. Cap. 20. *Rom.* 12.

» ABOMINATIO est apud dominum pondus & pondus: statera dolosa
» non est bona. *Prius exposuimus uersiculum hoc eodem cap.* A domino dirigũ-
» tur gressus uiri: quis autem hominũ intelligere potest uiam suam? *Hebræum,*
» A domino incessus hominis, & homo quomodo intelliget uiam suam.
C Ruina est homini deuotare sanctos, & pòst uota retractare. *Hebr.* Laqueus
» est homini deglutire sanctum, & pòst uota ad inquirendum.

גבר uir à fortitudine habet etymologiam: אדם homo, à terra. Sensus uersiculorum est, cùm homo quilibet de se sit ignarus & impotens ad uiam suam, uel intelligendam, uel percurrendam, quantumuis alioqui sit fortis & prudens, nihilominus *A domino gressus uiri*(siue gigantis) supp. reguntur: uel potius firmantur, & roborantur à domino. q.d. Non glorietur fortis in fortitudine sua, neque sapiens in sapiẽtia sua: nam quomodo in-
D telliget homo terrenus uiam suã que ducet ad uitam, uiam suam quæ domum reducet? de qua uia loquitur Christus, Ego sum uia, ueritas & uita: quam nemo trãsierit inoffensè, nisi gressus illius roborentur à domino: Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, nulla sapientia humana sufficit ad intelligendam hanc uiam. Quòd si simpliciter de gressibus hominis in hac mortali uita, intelligamus iuxta Hebræos, non uidebitur absurdum, quia neque sufficiũt homini uires ad iter ingrediẽdum sine Dei auxilio, neque nouit homo proficiscens, quando sit reuersurus, sed omnes humanas actiones moderatur Deus: quasi dicat, Cum à Deo in omnibus pendeamus, summa stultitia fuerit & ruina hominis Deũ contemnere, iuxta sequentem uersiculum: *Ruina est homini*
E *deuotare sanctos:*) uel iuxta Hebræum, Laqueus uel scandalum, si sanctum deuorauerit: quod Hebræi de crassis sacrificiis intelligere possunt, siue de his quæ Deo deuota fuerãt, aut etiam de hostiis pro peccatis, quibus uesci nisi solis sacerdotibus nemini licebat. Nos sanctum deuorare dicimus, Dei charismata in uanũ accipere, & accepta remissione peccatorum, ueluti solet canis ad uomitum redire, contempto sanctorum sancto, per quem laqueus contritus est, & nos liberati sumus, denuo in laqueos diaboli incidere, & subinde per uota, liberationem quærere de laqueo. Alij sic, Scandalum uel ruina est homini deuorare sanctum, iuxta sensus prædictos: & etiam est homini laqueus siue scandalum, post uota inuestigare modum quo possit minime obligari, uel quo munus red-
F dat quod uouerit. Aliter, Ruina est homini, qui deuorat sancta, & postea quærit uouere alia, quasi nihil referat, uel integritatem seruare, uel per pœnitentiam quæ est secunda post naufragium tabula, remissionem habere. Antiquam editionem, hoc est septuag. magis accedere ad Hebræam ueritatem, quàm nostras, etiam testatur Beda. παγὶς ἀνδρὶ ταχύ τι φθῖ ἁγίασαι· μετὰ γὰρ τὸ εὔξασθαι, μετανοεῖν γίνεται, muscipula est uiro celeriter quippiam proprium sanctificare: postea enim uotum fecisse, pœnitere contingit. Sic Septuaginta, qui subauditis quibusdam uocibus, sensum assecuti sunt, qui maxime mihi arridet. 1. *Petr.* 2. *Psal.* 124.

„ DISSIPAT impios rex ſapiens, & incuruat ſuper eos fornicem. *Heb.* Et G
„ reducet ſuper eos rotam.

Sapientis eſt principis diſsipare & ſegregare malos, quo minus uirium habeant: diſperſi enim & ſeparati, facile opprimentur. Metaphora rotæ, ut eſt in Hebræo, & Septua. extremam conſumptionem atque conculcationem ſignificat: & quod reges prudẽtes facere debent, quo rempub. in trãquillitate conſtituant, non permittere uidelicet impiorum conuenticula, ſed ſua potentia & ſapientia diſsipare, & ad modum triturantis uentilare paleas à tritico. Hoc rex regum & Dei ſapientia prædicatione euangelica, & uentilabro
Matth. 3. in manu accepto, facit quotidie, incredulos & impios per uniuerſum orbem diſsipando Iudæos, reducta ſuper eos rota ferrea: hoc eſt confractione & calamitate quæ finem non H habet: nam Iudæam gentem perpetua uexat malorum ſeries, ſeruitus, uaſtitas, penuria, & apud omnes nationes opprobrium & contumelia.

„ LVCERNA domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecre-
„ ta uentris.

Spiraculum uitæ, quod Deus ſufflauit in faciem hominis, tanquam lampas eſt reliquis animæ potentiis, lumen adminiſtrans & cognitionem Dei per creaturam mundi, cuius luminis reliqua inexpertia ſunt animalia. Aliter, lucerna domini lumẽ, quoddã ſupernaturale eſt in animo & ſpiraculo hominis, quod uel ſecretiſsima cordis penetralia perſcru- I tatur, quantumuis alioqui prauum & inſcrutabile ſit cor hominis. Et hæc ad regem ſapientem referri uidentur: qui dũ iudicia Dei exercet, & in terris illius quodammodo fungitur munere: diuina ſapientia, & lumine indiget, quo malos à bonis ſecernere poſsit,
3. *Reg.* 3. & ſecreta cordium inueſtigare, quod ipſe fecit Salomon, dum duabus mulieribus de infantibus mortuo & uiuo contendentibus auſcultaret.

„ MISERICORDIA & ueritas cuſtodient regem, & roboratur clemen-
„ tia thronus eius. K

חסד ואמת, *Miſericordia & ueritas.*) frequenter copulantur hæ duæ uoces in ſcripturis, quarum prior iuxta Hebræos, beneficium gratuitum, ſecunda recompẽſationem beneficij ſignificat: uerum hoc in loco ad iuſtitiam diſtributiuam uidentur referri, qua bonis præmia, malis ſupplicia diſpenſantur: id quod dum Sapiens facit, timere non debet: nam hæ uirtutes ſeruabunt eum, his tutior erit, quàm ſtipatoribus. Et quanuis res fuerit imprimis neceſſaria ad tranquillitatem reipublicæ, puniri improbos, eſt tamen uirtus ex-
Iaco. 2. cellentior clementia & miſericordia, quæ (ut inquit Iacobus) ſuperexaltat iudicium: & proinde ſceptrum regis & ſolium defenſione miſerorum, oppreſſorum ſubleuatione, afflictorum tuitione, potiſsimum erigitur & firmatur. Vide ut omnia, huius ſapientis e- L logia, mundanæ ſapientiæ propemodũ ſint contraria. Qua qui prædiți ſunt, longe alia regibus conſilia ſuggerunt: muniendas uidelicet urbes, firmandas præſidiis militum, exigenda tributa, augenda uectigalia, ſubditorum extenuandas opes, ad plebis animos & ſpiritus extinguendos, ne quando de principe mutando cogitent. Contrà Salomon in pauperum fouenda & reficienda afflictione, reges magna ſecuritate regnare prædicat.

„ EXVLTATIO iuuenum fortitudo eorum, & dignitas ſenum canicies,
„ uel gloria. Iuuenum robur eorum, & decus ſenum, canicies. M

Vt iuuenes qui uires corporis habent integras, nullo uitio debilitatas aut intemperantia contaminatas, laude non carent, habẽtque de quo merito glorientur, fœliciter uidelicet tranſactam pueritiam & adoleſcẽtiam, & iam uiribus prædiți, quibus ſibi utiles & reip. eſſe poſsint, quibus ſibi uictum labore comparare, & debiles, ac ſenio cõfectos parentes iuuare poterunt magna cum laude, nõ tam quòd uires habeant, quàm quòd corporis robore bene & prudenter utantur. *Decus uero ſenum*) quàm apte & cum decoro iuuenibus gloriam & iactantiam quandam præbet Salomon, ſenibus uero honorem,

qui ab

A qui ab aliis exhibetur, tanquam uirtutis præmium. Senibus (inquam) qui ad canitiem cum laude peruenerint: canitiem uero non annorum numero metitur Sapiens, ſed cani ſunt ſenſus hominis. Alioqui uel ipſa canities honorem exigit à iunioribus: nam tot pericula huius uitæ, & tot diſcrimina euaſiſſe, & nihil commiſiſſe, quod famam & honorē Cap. 21.
„ lædat, non contemnendum innocentiæ argumentum eſt. Cæterum genuinus huius loci eſt ſenſus, Quemadmodum iuuenes egent conſilio & prudentia ſenum, ne quid temere agant corporis uiribus, quibus pollent, confiſi: ita ſenibus uires non ſufficere, ſed iuniorū opera coguntur abuti, ut iam illis facile coëat amicitia, & harmoniam quandam in rep. conſeruent, dum ſenum conſilio iuuenes, & iuniorum uiribus ſenes utantur, omnia rite peraguntur, ac adminiſtrantur.

B „ LIVOR uulneris abſtergit mala: & plagæ in ſecretioribus uentris. *Hebr.*
„ Liuores in uulnere ſunt abſterſio uel mundicies in malo, & percuſsiones in
„ ſecretioribus uentris.

Sic explicat Aben Hezra hunc uerſiculum obſcuriſsimum, ut pendeat à præcedente, & ſit ſimilitudo: Quēadmodum gloria iuuenum eſt fortitudo eorum, & honor ſenum ſapientia cana & matura, ſic liuor & purulentia in uulnere eſt mūdicies, & purgatio mali. Mihi magis placet ſenſus Sapiēte magis dignus: nempe ut intelligamus metaphorā tra-
C ctam à corpore ad animam. q.d. quod in uulneribus corporis uidemus fieri, idem ſentiendum de plagis mentis. Collectio purulenta in uulneribus, facit ad ſanitatem & purgationem mali, & plagæ quæ fiunt in penetralibus uentris, hoc eſt animæ morbi eodē modo curantur per liuores & ſaniem, in unū locum collectam. Dum ad memoriam peccata reuocantur, dum perpendimus quàm ingens malum ſit Deum offendere, dum de grauitate & facilitate peccandi cogitamus, & ex animo dolētes, purulentiam plagarum animæ, per pœnitentiam ad unum ueluti locum reuocare uidemur, & purgare. Alij per malum hominem intelligunt, & ſimilitudinem ad hunc modum deducunt, ut uulnera
D quæ ſunt in extrema cute, & plagæ quæ altius infiguntur, ueluti ad interna & uiſcera cū dolore, & malo curantur: ſic malus homo nunquam niſi ſuo damno ſapit, neque caſtigatur niſi per dolorem.

CAPVT XXI.

„ SICVT diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu domini,
„ quocunque uoluerit inclinabit illud.

E Recte ſuppleuit interpres aduerbiū ſimilitudinis. Sicut diuiſiones, ſupple ſunt, in manu, & penes agricolā, qui pro ſuo commodo poteſt huc uel illuc aquam diriuare, præſertim quibuſdam regionibus, ubi ex more illud fieri ſolet, ita cor regis & uoluntas ſiue conſilium, ſolet Deus inclinare pro ſua uoluntate, uel in bonum ſubditorum, uel in malum & pœnam, hoc exigentibus populi peccatis. Nam ut alibi ſcriptum eſt: Per me reges regnant, & propter peccata populi facit hypocritam regnare. Quod ſi cor regis ſit in *Cap. 9.* *Iob. 34.*
manu domini, quod maxime liberum uidetur, quanto magis reliquæ uires, & apparatus bellicus quamlibet ingens? quanto magis alij priuati homines? ut referatur uerſi-
F culus ad præcedētia, qui inueſtigat omnia ſecreta uentris. Aliter, Sicut diuiſiones aquarum. ſ. ſunt, in manu domini, qui præcepit dicens, Fiat firmamentum, & diuidat aquas *Geneſ. 1.*
ab aquis, qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones: Qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & *Pſal. 135.*
Iudæis tranſeuntibus Iordanis fluenta ſubſiſtere fecit, eadem facilitate corda regum *Matth. 7.*
moderabitur. Poſſunt hæc ad myſterium baptiſmatis referri, ut intelligamus, Sicut miniſtri eſt aquam diuidere immergendo corpora, ita eſt Dei corda ſanctificare Chriſtianorum, qui ſunt populus acquiſitionis, & regale ſacerdotium.

„ OMNIS uia uiri recta ſibi uidetur, appendit autem corda dominus. Fa-

" cere miſericordiam & iudicium, magis placet domino, quàm uictimæ. G

Omnis uia uiri.) Hoc uerſiculo iam crebrò ignorantiam & ſuperbiam humanam reprehendit Sapiens, quæ tota à Deo pendere recuſat, ſuperius capitib. 4. & 16. Eſt uia quæ uidetur homini iuſta, nouiſsima autem eius deducit ad mortem. Sibi ipſis fere blandiuntur homines, & libenter patrocinantur ſuis etiam uitiis, in quibus dum ſeſe oblectant, ad mortem perueniunt. Cæterùm qui uias ſuas relinquunt, etiamſi uideantur rectę in ocu-
2. *Cor.* 10. lis ſuis, & Dei ſapientiæ auſcultant, & in captiuitatem redigentes intellectum in obſequium Chriſti, qui dirigit nutantia corda, & confirmat greſſus eorum qui incedunt, non in uia quæ illis recta uidetur, ſed in uia domini, quæ eſt iuſtitia & iudicium: Aliter, *Dominus ponderat uel appendit corda,*) & magnum diſcrimen ponit inter uiam & uiam, & non H
ſolum non probat omnem uiam, hoc eſt actionem humanã, ſed etiam inter ea quæ ſunt bona, & in lege prȩcepta, latiſsimum uult eſſe diſcrimẽ: ut ſequitur, *Facere iuſtitiam & iudicium.*). q.d. quanuis hoſtię & ſacrificia præcepta & deſcripta in lege, uideantur propius ad Dei honorem ſpectare, quàm alia quæ homo in homines exercet, tamen is eſt Dei Op. Max. amor in hominem, ut illa ſint apud eum opera ſanctiſsima, quæ hominibus maximè proſunt. Cuiuſmodi ſunt iuſtitia, in eo ſenſu quo ſuperius expoſuimus. Attendite, ne iuſtitiam ueſtram faciatis coram hominibus, & iudicium, quæ tanto ſunt Deo gratiora, quanto illius bonitatem propius exprimant. Operam dare ut inopũ neceſsitati ſuc-
Matth. 6. curratur, & ut nemo patiatur iniuriam, nemo inferat citra pœnam condignam, Dei præ- I
ſentiam inter homines quodãmodo repræſentat. Aliter, Multę uiæ ſunt hominum, hoc eſt magna religionis uarietas, & diuini cultus diuerſiſsimi ritus, quibus ad Deum tendere humana conatur ignorantia: ſed dominus qui corda ponderat, unam ſolam approbat fidem, quam olim Iudæi uariis hoſtiis & ſacrificiis celebrabãt, quæ pro tempore legis fuit electiſsima uia homini, uerum dominus qui corda perpendit, aliam nunc
Matth. 9. præfert uiam, quàm iuſtitia & iudicio frequentant Chriſtiani iuxta illud: Diſcite, quid eſt, miſericordiam uolo & non ſacrificium.

" EXALTATIO oculorum eſt dilatatio cordis, lucerna impiorum pec- K
" catum. *Alij ſic uertunt*, Nouale impiorum peccatum. *Aliter*, Aratio impiorũ
" peccatum.

Vox נר ambigua eſt, lucernam ſignificat, nouale uel arationem: & hunc ſenſum ſequuntur Hebræi plerique omnes. *Exaltatio oculorum.*) elationem mentis ſignificat & arrogantiam, cum quis ſibi placet, ſuæ ſapientiæ multum tribuat. Cordis dilatatio, deſideria & concupiſcentias ſignificat: alioqui in bonam partem, latitudinem amoris, & charitatis
2. *Cor.* 6. inexplebilem affectum: iuxta illud, Os noſtrum patet ad uos ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtiamini in nobis. Senſus tandem uerſiculi ex præcedente pendet, L
oſtendens, qui ſint quibus ſuæ uiæ uidentur rectæ, hoc eſt qui ſibi placent in ſuis uitiis potiſsimum, uidelicet quibus ſunt oculi ſublimes, & quibus cor amplum & latum & uariis deſideriis obnoxium. Horũ uia eſt peccatum: & *Aratio impiorum,*) hoc eſt ſtudiũ, & cogitatio, eſt peccatum. Aliter, elatio oculorũ eſt peccatum, & dilatatio cordis eſt peccatum, non uia recta ut pluribus uidetur: imo eſt nouale impiorum. Metaphora tracta ab agricultura uita omnium laborioſiſsima: Arandi laboribus peccandi conſuetudinem confert Sapiens, ne quis cauſetur difficultatem uirtutis, & facilitatem peccandi. Ali-
ter iuxta aliam uerſionem, nempe lucerna impiorum, quam ſequitur Chaldæus, M
impij qui non habent lucernam domini, hoc eſt ſpiraculum illud cæleſtis gratiæ de quo
Gene. 1. nuper diſſeruimus, quod Deus ſufflauit in Adamum, & Chriſtus in diſcipulos, dicens:
Ioan. 20. Accipite ſpiritum ſanctum: de qua lucerna dictum eſt nuper, ſed pro illa lucerna habent elationem oculorum, & dilatationem cordis: & proinde eligunt neque uiam: iuſtitiæ neque iudicij, neque uiam diuini cultus, ſed conſuetudinem peccandi, quæ illis recta uia uidetur. Prior expoſitio eſt melior.

" COGITATIONEM robuſtorum, ſemper in abundantiam: omnis au-

tem

A tem piger in egeſtate eſt. *Hebræum,* Cogitationes ſtrenui ad abundantiam, Cap. 21.
» & omnis feſtinus uel præceps,ad inopiam uel defectum.

Hic uerſiculus explicat quodammodo præcedentem, iuxta priorem intelligentiam,ut נר, nouale pro cogitatione accipiatur,& ſtudio impiorum quod eſt ad peccatum.*Cogitationes & ſtudia ſtrenui*) uel ſoliciti, non ad peccatum,neque ignominiam,ſed ad incrementum,ſiue dignitatem,iuxta illud:Omni habenti dabitur & abundabit,& omnis feſtinus:quaſi dicat, ſolicitudo & diligentia abundantiam parit,ſiue in bonis externis, ſiue in bonis animæ,& ſapientia.Sed præceps qui intelligentia caret,ad defectum etiam: tantum abeſt ut lucretur aliquid,ut etiam iacturam faciat eorum,quæ habet.Senſus huB ius ſecundæ clauſulæ,non eſt alienus ab eo quod lectum eſt: Hæreditas ad quam feſtinatur in principio:in nouiſsimo,benedictione carebit: & ut ad opes acquirendas referri poſſunt ſolicitus & feſtinus,ita quoque ad ſapientiam,in qua ſolicitudo & diligẽtia laudatur,iuxta parabolam euangelicam,de homine quærente bonas margaritas,& inuenta una pretioſa,dedit omnia & comparauit eam. Præceps & feſtinus, eſt qui nec ætate, nec prudentia maturus,docere feſtinat antequam diſcat, qui ad ſeculi magiſtratus uel gradus & dignitates eccleſiaſticas properat,quas pro dignitate obire nequit,non ad honorem quem aſſequuntur ij,qui cum ſolicitudine, ut inquit, Paulus præſunt,ſed defectum non ſolum honoris,quod præmium uirtutis eſt apud homines, perueniunt,ſed
C defectum quoque gratiæ & meriti,quæ Deus largitur his, qui laborant in uinea domini, his uero qui cum ſolicitudine negotiãtur in pecunia domini,dicentes:Ecce mna tua, decem mnas acquiſiuit:reſpondebitur,& tu eſto ſuper decem ciuitates.

Prou. 20.

*Matt.*13.

*Rom.*12.

*Luc.*19.

» QVI congregat theſauros lingua mẽdacij, uanus & excors eſt,& impingetur ad laqueos mortis. *Septuaginta ſecutus eſt diuus Hieronym. qui ſic habent:*
» ὁ συναγων θησαυρισματα γλωσσῃ ψευδεῖ, μάταια διώκει ἐπὶ παγίδας θανάτου. *Hebræum,*
D Opus uel congregatio theſaurorum lingua mendacij, uanitas impulſa quærentium mortem. Rapinæ impiorũ detrahent eos,quia noluerũt facere iu» dicium. *Hebræum,* Rapina impiorum manebit cum illis, quia renuerunt
» facere iudicium. Peruerſa uia uiri aliena eſt à Deo: qui autem mundus eſt,
» rectum opus eius. *Hebr.* Euerſa uia uiri impij & alieni: mundi autem re» ctum eſt opus.

Per honeſta ſtudia & legitima per diligentiã,non per præcipitantiã peruenĩẽdũ eſt ad in-
E cremẽtum,ſiue opũ ſiue bonorũ:præſertim nõ lingua mẽdacij: hoc eſt perferẽdo falſum teſtimoniũ,ſiue quacũq; fraude: nã tales opes non poterũt ſeruari neq; recõdi,ſunt enim uelut res aliqua uana,uelut ſtipula quæ uento impellitur, in qua nullus eſt fructus.Qui hoc facit,uanus & excors eſt: uel,ut eſt in Hebræo. *Vanitas proiecta quærentium mortem.*) hoc eſt, qui huiuſmodi colligunt theſauros,ludunt operam,fructum ex illis non referũt: imò qui mendaciis quærunt diteſcere, mortem ſibi quærũt,uel quòd falſus teſtis legem talionis debeat ſuſtinere, uel quòd hi qui iniuſtè diteſcunt, æternam mortem promerentur. Duo maxima incommoda & mala ex theſauris male per mendacium acquiſitis. primum quod facilè euaneſcunt,ſecundum quod mortem afferant. Theſauri per linguã
F mendacij collecti,ſunt quibuſdam ex Hebræis,ſapientia ſecularis, quæ fidei ſcripturarũ aduerſatur,& proinde multa mẽtitur: nos uero non ſolũ philoſophorũ mendacia,ſed & hæreticorũ technas, per huiuſmodi theſauros intelligimus, quibus ſibi maiorẽ in modũ placent,& in ſcientia diuites eſſe uidentur,cum reuera pauperes ſint,ut qui ſe diuites & doctos in erroribus exiſtimant. *Rapina impiorũ manet eos.*) Alij rapinam impiorum adducet dominus ſuper eos.De opibus per fraudem & mendaciũ collectis dictũ eſt,nũc de illis quæ ui & rapina acquiruntur,ab his uidelicet qui iudicium & æquitatem facere recuſant. משפט iudicium,morem,conſuetudinem nõnunquam ſignificat,ut ſit ſenſus:Qui conſueta uiuendi norma relicta,rapinis & oppreſsionibus uiuere malunt,aliquãdo pœ-

nas luent à domino, qui reducet rapinas in eos. Alij ſic exponunt: *Rapina eorum conteret* G
Apoc.14 *eos.*) Melius, rapina eorũ habitabit uel peregrinabitur cum illis, iuxta illud, Opera eorũ ſequuntur eos: ut reſpondeat ad ſuperiorem clauſulam. q. d. Male acquiſitæ opes non manebunt, ſed rapina manebit, & ad iudicium ueniet: quia noluerunt facere iudicium, ad iudicium adducentur. *Peruerſa eſt uia uiri, & aliena.*) Interpres ſuppleuit à Deo, alij ſubaudiũt ad hũc modum: Peruerſa eſt uia uiri impij, & alieni uiri, ſup. à Deo. Tertia expoſitio eſt huiuſmodi: Peruerſi hominis uia, aliquando eſt uiri, aliquando eſt aliena ab
Iaco. 1. homine: quaſi dicat, Vir peruerſus eſt ſibiipſi diſſimilis, iuxta illud, Vir duplex animo eſt inconſtans in omnibus uiis ſuis: ſed uiri mundi opus eſt rectum, non inuerſum. Ambiguitas Hebræi ſermonis parit hanc ambiguitatem & multitudinem ſenſuum, quorum H
poſtremus optimus eſt.

» MELIVS eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa, &
» in domo communi. *Sic interpres. Hebræum*, Melius eſt habitare ſuper angu-
» lum tecti, quàm cum muliere litigioſa in domo ſocietatis.

Senſus huius uerſiculi non eſt multum diuerſus ab eo quod ſcriptum eſt cap. 19. Tecta iugiter perſtillãtia, litigioſa mulier. Nam utroque loco docet Sapiens, in familia nullum maius incommodum eſſe poſſe, quàm uxorem parum morigeram habere. *Super angulũ tecti, ſiue pinnaculum*) nihil aliud eſt, quàm ſub dio: & erit ſenſus, Satius eſt carere uxore I
& tecto, quàm capaces habere ædes, quæ nobis & aliis ſufficiunt, cum uxore rixoſa. Interim inſtruit filium Sapiens, non ducendam uxorem malam, etiam ſi cum ea ſit habiturus quamlibet pulchras ædes & fundos. Iuxta ſenſum myſticum mulier litigioſa eſt eccleſia malignantium, ſiue hæreticorum quæ contentionum & rixarum nullum modum neque finem facit: cum qua eiſdem habitare manſionibus atque domatibus nullo modo debemus: ſed potius, tanquam paſſer ſolitarius, in tecto. Super tectum manere, eſt carnem domare, inquit Auguſt. Omnia potius relinquenda docet, quàm cum tali muliere conſentiendum. K

» ANIMA impij deſiderat malum, non miſerebitur proximo ſuo. Aliter,
» Non erit gratus in oculis eius amicus illius: uel, Non inueniet gratiam in o-
» culis illius amicus eius.

נפש fere pro anima ſenſitiua capitur, & concupiſcentia, quæ in bonis magna ex parte ſopita eſt, in malis hominibus uehementer uiget, & ad malum continuò inſtigat & impellit: ſic enim interpretamur, deſiderat malum, ſtudet malum facere. Et cum beneficiis non maleficiis concilientur amici, mirum eſſe non debet, ſi parum gratus habeatur, aut aptus ad amicitiam, qui malum facere gaudet. Nam qui totus ſuam libidinem ſequitur, L
qui malum quod anima illius concupiſcit perficere mauult, quàm amico obtemperare, quàm conſilium bonum audire, gratiam in oculis alterius non inueniet, uel gratiã non inibit. Amicus uero ille, apud quem gratiam inire debet, eſt ille qui ad ſuos dixit: Vos
Ioan.15. amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcepi uobis. Huic amico placere non poteſt anima deſi
Cant.3. derans malum: ſed quæ dicit ad ſponſum, In nocte quæſiui quem diligit anima mea.

» MVLTATO peſtilente ſapientior erit paruulus: & ſi ſectetur ſapiẽtem,
» ſumet ſcientiam. *Heb.* Dum punitur deriſor, ſapientiam capiet imperitus: & M
» cum dederis intelligentiam ſapienti, accipiet ſcientiam.

Sunt qui caſtigatione indigent, & ſunt quibus aliorum exempla ſufficiunt quo à malis cohibeantur. Similiter ad uirtutis ſtudium, ſunt qui præceptoribus egẽt, & ſunt qui ſuopte ingenio aliorum facile ſequuntur exempla. Deriſor quem Hieronymus ſeptuaginta ſequutus uertit peſtillentem, is eſt qui leges ſeu Dei, ſeu ciuiles deridet & contemnit, & omnia ſibi licere putat: hunc caſtigare oportet, non ſua ſolum cauſa, ſed etiam imperitorum qui malo exemplo ad malum facilè declinant. Cæterum cum uiderint deri-

ſores

A ſores qui ſumma licentia peccare ſolebant, pœnas dare, à malefaciendo diſcunt abſti- Cap. 21.
nere: quæ cæleſtis philoſophiæ prima pars eſt, Declina à malo. Quàm ſit in rep neceſſa-
rium malos ſubinde dare pœnas, hinc uidere licet. Gentilis populus uehementer impe-
ritus & ſimplex, qui dixit lapidi, Pater meus es, ſapere incepit egregie, poſteaquam *Iere. 2.*
uiderit peſtilentes Iudæos & deriſores domini ſeruatoris, meritas dare pœnas: & cùm ab
apoſtolis intellectum ſiue prudentiam accepiſſet, cognoſcendi Deum uidelicet, in ſcri-
pturarum ſcientia uehementer profecit & doctus euaſit. Quòd ad contextum ſpectat,
poteſt eſſe duplex ſenſus: Cum quis intelligẽtiam dederit ſapienti, ſcientiam etiam ac-
cipiet: uel, Cum uni ex ſapiẽtibus dederis intellectum, alius illius exemplo etiam ſcien-
B tiam accipiet. Prior intelligentia eſt melior. Sunt qui ſequũtur aliam huius uerbi השכיל
ſignificationem, nempe proſpere agere: & erit ſenſus uerſiculi, imperitos ſapere, ut di-
ctum eſt, cùm per iudices, deriſorem pœnas dare uident. Sapientes uero cum omnia, ex
animi ſententia contingere uident ſibi, diſcunt ſcientiam, hoc eſt Dei benignitatẽ agno-
ſcunt, ſcientes ſe de manu Dei, omnia ſiue bona ſiue mala, hoc eſt proſpera uel aduerſa
ſuſcipere.

„ EXCOGITAT iuſtus de domo impij, ut detrahat impios à malo. *Heb.*
„ Diligenter conſiderat iuſtus de domo & familia impij, peruertit impios ad
C malum.

Senſus huius non eſt alienus à ſuperioribus, uidelicet ſupplicia malorum multum pro-
deſſe bonis, & eſſe hanc maximam cauſam, quòd Deus in hac uita nonnunquam ſubuer
tit familias impiorum, ut non relinquat, iuxta phraſin ſcripturæ, mingentẽ ad parietem.
Ad ſenſum integrum contextus, quædam ſupplenda ſunt ad hunc modum, Conſiderat,
uel perpendit iuſtus cum ſumma diligẽtia. Ad uerbum, Facit intelligere cor ſuum, ſup.
quid uenturum ſit domui & familiæ, hoc eſt liberis impij: & cùm diligenter conſidera-
uit, intelligit quòd dominus ſubuertit impios ad malum ipſorum, propterea quòd pœ-
D nis leuioribus non corriguntur: & hic ſenſus pendet ab eo quod præceſſit, Cum puni-
tur deriſor, ſapientiam capit imperitus & ſimplex, uerùm impius non capit utilitatem
aliquam, uel ex ſua, uel ex aliena caſtigatione: & proinde tandem poſt leuiorem pœ-
nam, familiam illius penitus ſubuertet dominus in malum & ignominiam illius: quod
cùm aliis, tùm Pharaoni uſu ueniſſe legimus. Iuſti enim huiuſmodi mala longe antè
præuident per ſapientiam, ut non ſit minima ſapientis laus, mala uentura prius intelligere,
quàm ueniant. Aliter, Iuſtus qui intelligit, uel intellectum præbet ad domum impij,
quaſi ei placerent quæ aguntur in domo improbi, hic iuſtus ſubuertit impium ad ma-
lum, hoc eſt corroborat impium, ut malum faciat. Prior expoſitio eſt melior.

E

„ QVI obturat aurem ſuam à clamore pauperis, etiam ipſe clamabit & non
„ exaudietur.

Ingens laus munificentiæ in pauperes, & eos qui anguſtiis premuntur, utputa quorum
cauſam Deus ſuam æſtimat, & beneuolum ſe præbet his qui pauperes amplectuntur:
rigidum uerò & implacabilem his, qui neceſsitatibus pauperum non ſuccurrunt. Et
ſecundum Hebræos habet duplicem ſenſum. *Qui obturat aurem ſuam.*) Primò, qui audire
F non uult, ſed ſe ſurdaſtrum efficit, obturat aures à clamore pauperis, ne eum audiat. Se-
cundò, qui nullis precibus neque clamoribus ſuperatur, cùm tamen aures plenas & ob-
turatas quodammodo clamoribus habeat, & nihilominus ſuſtinet, neque ad opitulan-
dum properet. Hi clamabunt, & dominus non exaudiet illos. ô benignam & clemen-
tiſsimam diſpenſationem Dei Opti. Max. qui in re tam facili remiſsionem peccatorum
eſſe dignatus eſt conſtituere, nẽpe in pecuniola, aut minimo ſubſidio quod pauperibus
largimur: tantam præterea curam erga pauperes & afflictos gerit, ut in eorum ſubſidio
diuitum ſalutem reponat. Ad illius clamorem qui dicit in Pſalmo. Ego ſum pauper & *Pſal. 87.*
dolẽs: aures clauſerũt Scribæ & Phariſæi, & propterea clamabunt aliquãdo unà cum aliis

Matt. 25. qui miſericordiam minime fecerunt: Domine, quando te uidimus eſurientem, & non G
pauimus te, & cætera.

„ Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem ma-
„ ximam. *Heb*. Munus in abſcondito teget iram, & munus in ſinu furo-
„ rem robuſtum.

Eſt ſenſus geminatus uariis uerbis, & pendet ex præcedente uerſiculo, de miſericordia
Matth.6. in pauperes, quæ ſi fiat iuxta præſcriptum euangelij, nempe, Neſciat ſiniſtra tua quid
facit dextra tua: & in occulto, non ad oſtentationem, non ad uanam gloriam, ſed coram
eo qui uidet in occulto, iram extinguet iudicis: ſiue ſedabit & mutabit ſententiam illam H
Matt. 25. plenam iræ & furoris in illam clementiſsimam: Venite benedicti patris mei, poſsidete.
Aliter, de quocunque iudice intelligi poteſt muneribus corrupto, & datis ſecretò: nam
palam nullus ne corruptiſsimus quidem, dona admittere ſuſtinet: & erit ſenſus, Munus
abſconditum, hoc eſt acceptum à iudice, in occulto receptum extinguet iras, hoc eſt ſe-
ueritatem ſententiæ, quam contra reum proferre oportuerat. Sunt qui uolunt ſecundam
uerſiculi partem per ſimilitudinem confirmare primam. Donum ſecretò datum pauperibus ſedabit iram Dei, ſicut munus poſitum in ſinu iudicis, furorem & indignationem legum, quamlibet magnam & uehementem, extinguere ſolet.

„ GAVDIVM iuſto facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem. I
„ Aliter, contritio operantibus iniquitatem.

Reſpondet præcedenti uerſiculo dũtaxat iuxta poſteriorem expoſitionem, quo dictum
eſt, de his qui accipiunt munera & peruertunt iudicium. Illi quidem iudices mali acceptis donis & muneribus, quò iudiciũ peruertant, diteſcũt bonis externis, ſed bonis animę
& conſcientia conteruntur, patiũtur damnũ. Verum loco pecuniæ, ſiue donorũ eſt iuſto
iudici qui corrumpi non poteſt, lætitia & gaudium ſpiritus à Deo. In genere dictum in-
telligi poteſt de quocunque iuſto, qui gaudium habet & lætitiam, non in luxu & li- K
bidine, non in diuitiis aut deliciis huius uitæ, ſed facere iudicium, facere quod lex Dei
præcepit: ut per iudicium intelligamus reliquas partes legis diuinæ, nempe moralia &
ceremonialia. In his ſeſe oblectat iuſtus, uel lætitia eſt iuſto uidere alios facere iudiciũ:
quaſi dicat, mali & corrupti iudices acceptis muneribus, malis placent corrumpendo iu-
dicium, ſed boni iudices dum iudicium faciunt, placent bonis & iuſtis hominibus, qui lę
tantur, dum iudicium fieri uident, & dolore afficiuntur, cùm iniquitatem fieri intelligãt.
Mihi maxime placet ut ad gaudium conſcientiæ referatur ſenſus, & ad mercedem eleemoſynæ, quæ præterquàm quod placat iram, & extinguit furorem iudicis, affert præ-
Philip.4. terea miram conſcientiæ lætitiam, & pacem quæ ſuperat omnem ſenſum. Cæterum L
hos qui faciunt iniquitatem, nec eleemoſynis redimunt peccata, manet non ſolum ira
Eſaiæ.66. iudicis, & fortis furor, ſed etiam contritio & pauor conſcientiæ, iuxta illud: Vermis eorum non moritur.

„ VIR qui errauerit à uia doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.
„ *Heb*. Homo qui errat à uia intellectus, in cętu mortuorum requieſcet.

Via intellectus, eſt ſapientię uia & legis diuinę, quæ rationi & intelligentiæ quadrat, uel
potius quę perficit intellectum humanum. Nam nulla uia, hoc eſt doctrina humanitus
tradita, perficit intellectum humanum, neque angelicum, ſola illa quæ eſt de Deo ſum- M
mo bono, cuius cum intellectus humanus ſit capax, & qui ſolus intellectum replet, &
ſaturat: & idcirco uia & ſcientia de Deo, uia intellectus dicitur: uel uia intellectus, eſt
1. Ioan. 5. uita homini rationali, & creaturæ intellectuali digna, ut diſtinguatur contra uiam brutorum, uiam carnis, uiam mundi, qui in maligno poſitus eſt. Quicunque igitur erraue-
rit ab alterutra iſtarum uiarum, non cum hominibus, ſed cum gigantibus habitabit, uel
cum mortuis erit quies eius, & non erit particeps lætitiæ quæ eſt iuſtorum, ſed contritionis & pauoris eorum, qui operantur iniquitates: nihil enim horribilius quàm cũ mortuis
manere.

manere. Hac clauſula minatur ſupplicium æternæ mortis his qui operãtur iniquitatem, quæ illos manet, ultra contritionem & timorem conſcientiæ. Cap. 21.

» QVI diligit epulas, in egeſtate erit: & qui amat uinum & pinguia, non di-
» tabitur. *In Hebr.* Vir egenus uel egeſtatis diligens lætitiam, uinum & oleum,
» non erit diues.

Pro lætitia habemus epulas, in uerſione diui Hieron. in Septuag. gaudium, & pro una clauſula in Hebræo, reddidit duas interpres noſter. Quanuis pro ambiguitate ſermonis Hebraici, poteſt diſtingui, ut habet Hiero. Mihi magis arridet lectio illa, quæ unica clauſula abſoluit ſenſum, ad hunc modum, Vir egeſtatis qui amat lætitiam, qui amat uinum & oleum, non ditabitur. Per lætitiam temporis iacturam intelligimus, & occupationes quæ ad uoluptatem, non ad utilitatem faciunt, per uinum & oleum, cõuiuia & compotationes, quibus qui uacant, non ſolum nihil lucrantur, ſed plurima inſumunt: pauperes enim ſunt, qui uel tempus male collocant, iocis & rebus lætis ſeſe oblectãtes, & qui epulis & conuiuiis gaudent. Quòd ſi per duas clauſulas cum Hiero. legamus, erit prior, Qui non uacant honeſtis artibus, ſed nugis amœnis, in egeſtate uiuunt, cùm nihil lucrentur: qui uerò conuiuiis & compotationibus indulgẽt, diuites eſſe non poſſunt cùm plurima inſumant: utrique alieni à ſapientia, quæ lætitiam habet, ſed in iudicio faciendo, ut dictũ eſt: & uinum amant, ſed illud quod lætificat cor hominis, & oleum lætitiæ quo unctus eſt ſponſus præ participibus ſuis. Sub ſpecie rerum terrenarum cęleſtes obũbrat Sapiens: inſinuans illum non poſſe diuitias aſſequi, (de quibus Chriſtus dominus in euangelio, Theſaurizate uobis theſauros in cælo: & ſanctus Paulus, Bene agere, diuites fieri in bonis operibus) qui uoluptatibus indulget. Qui uino inebriãtur, & oleum amant quo corpus ungitur, magis quàm illud quo ſaginatur animus, & idoneus redditur ad luctãdum contra carnem & mundum, & principes ac poteſtates eiuſdem. *Pſal.* 45. *Mat.* 6. 1. *Tim.* 6.

» PRO iuſto dabitur impius, & pro recto iniquus. *Hebræum*, Pro redem-
» ptione iuſti, dabitur impius.

Apud Hebræos, duplicem huius expoſitionem lego. Prima, iuſtus liberabitur à malis, quæ contingunt hominibus, & impius pœnas luet. Secunda, ex æquitate iuſtitiæ omnibus hominibus quamlibet iuſtis debetur pœna aliqua, nam non eſt iuſtus ſuper terram, qui non peccat, ſed pœna illa remittetur iuſto, & iniquus maiores luet pœnas, uel quòd iuſto derelinquendi fuerit occaſio: uel, quòd exemplum bonũ iuſtorum non ſit ſecutus. Alij fere eadem, ſed manifeſtius, ſi quando irruat aliquod magnum malum ſuper prouinciam aliquam aut urbẽ, quod uideatur omnibus eminere, tunc iuſtus ſupplicio malorum redimetur quodãmodo: erit enim impius precium & redemptio, utputa quo punito ceſſabit ira Dei. Beda bene exponit iuxta uerſionem quã habemus: Impius & perſecutor dabitur ad ſuppliciũ. ſ. pro martyre: quaſi dicat, iuſtus paſſus eſt temporaliter ſolum, & ſic euaſit æternum ſupplicium, cui tradetur impius pro eo. Alioqui, ut diximus, pro iuſto tradetur, cum exemplum fidei & probitatis non acceperit à iuſto, ſenſus eſt idem utriuſque clauſulæ.

» MELIVS eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa & ira-
» cunda.

Superius idem fere, ſed alia comparatione docuit: nimirum quamlibet magna, ſuſtinenda incommoda, uel moleſtiſsimam uiuẽdi rationem ſubeundam potius, quàm cum muliere parum morigera, uel iracunda & litigioſa uiuendum. Sunt qui exponunt iracunda, prouocans ad iram. ſ. per adulterium. Magnæ laudis apud antiquos patres æſtimabatur numeroſam procreare prolem, & maledictus ſterilis in Iſraël, tamen iudicio Sapientis, ſatius eſt in deſerto manere abſque liberis, procul ab amicis, procul ab omni uoluptate, ab omni lætitia, quàm cum uxore iracunda & litigioſa habitare. Senſus Prouerbij eſt, mores eſſe ſpectandos in uxore eligenda, magis quàm opes.

» THESAVRVS deſiderabilis,& oleum in habitaculo iuſti: & imprudẽs G
» homo diſſipabit illud,uel deuorabit illum.

אוצר theſaurus,ut inquit Herza:Nomen generale eſt,comprehendens omnia quæcunque reconduntur,etiam quę ad cibum ſpectãt, inter quæ oleum uel primum locum obtinet,eo quòd in diuinis ſacrificiis ſit maior uſus illius. Exponit quod ſuperius dictum eſt, qui amat uinum & oleum, non quòd hæ res male ſint, uel quaſi eſſet alienum à ſapientia,horum habere curam: imò iſta ſeruare, & recondere ſapiẽtes ſolent, potius quã alios theſauros argenti uel auri.His enim neceſsitati pauperum ſuccurrere poſſunt. Cæterũ qui ſtultus eſt & ſapientia caret, ſtatim deuorat quicquid colligitur annonæ: ut nec H
ſibi nec ſuis poſsit opitulari in tempore famis. Quod olei potius quàm aliorũ fructuum mentionem facit,ſubtilem admodum rationem reddit quidam ex Rabbinis: nempe ſapientes charius habere reconditum oleum,quòd eo utãtur in lucubratione, dum ſapiẽtiæ dant operam. Vnde rogatus quidam,quamobrem plus ſaperet quàm uicini & ſocij: quòd ex oleo,inquit,plus lucratus ſum,quàm uicini mei ex uino. Poteſt denique prima clauſula ſic uerti,Theſaurus eſt oleũ,uel pinguedo,id eſt,theſaurus pinguis & copioſus. Quod ad ſenſum ſpectat ſublimiorẽ, oleum eſt charitas qua fulget eccleſia ſanctorum, theſaurus amabilis uidelicet, & à ſapientibus maximo opere recondendus: quem ſtulti homines & huius ſeculi ſapientes minime omnium curant,lucrum huius mundi chari- I
tati præponentes,& eam ante omnia deuorantes.

» QVI ſequitur iuſtitiam & miſericordiam, inueniet uitam & iuſtitiam &
» gloriam.

In Hebræo,perſequitur: quod in bonam partem etiam alibi accipitur, & feſtinationem quandam & ſtudium ſignificat,quaſi dicat:Qui ſummo ſtudio quærit iuſtitiam facere, perinde ſe habet, ac ſi perſequeretur,uel inſequeretur eam. ſ. *Inueniet uitam.*) hoc eſt diu uiuet: *Iuſtitiam & honorem.*) Cum iuſtitiã fecerit,iuſtitiam à domino recipiet, quam ſæ- K
pe pro miſericordia & eleemoſyna capi diximus. חסד miſericordiam etiam ſignificat, ut omnem penitus miſericordiã intelligamus faciendam,nempe erga eos qui merentur, & erga eos qui non merentur:Dei bonitatem imitandam,qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos,& pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, ut צדקה iuſtitia ad opera miſericordiæ referatur: חסד uero,ad remiſsionem offenſarum. Qui uero hanc inſequitur iuſtitiam & miſericordiam, theſaurũ amabilem recondit,& annonam quouis uel oleo, uel uino diuturniorem, nempe uitam, iuſtitiam & gloriam, uirtutum præmia: men-
Luc. 6. ſuram enim confertam & coagitatam reddent in ſinum ueſtrum, inquit Chriſtus in euangelio.

L

» CIVITATEM fortium aſcẽdit ſapiens,deſtruxítque robur fiduciæ eius.
» *In Hebræo, pro* Deſtruxit, detrahet,ſiue deſcendere faciet.

Laudem ſapientiæ in omnibus rebus proſequitur ſapiens,non in re domeſtica ſolum,& in recondendis neceſſariis rebus pro familia, ſed etiam in re bellica plus ualet ſapientia quàm robur. Nam ſapiens unus aſcendit ciuitatem fortium plurimorum. quaſi dicat, multos robuſtos & ualidos ſuperabit uel unus ſapiens. Et quod copioſus excercitus facere non poteſt, aliquando faciet ſapiens, nempe aſcendet ciuitatem, hoc eſt expu- M
gnabit & ui capiet, uel potius ciuitatis dominium obtinebit, & uiros bellatores gubernabit: & ut ad compendium rem contrahamus, ſapientia plus poteſt quàm fortitudo in re bellica, non ſolum in tranquillo reipub. ſtatu, quod diu deliberatum fuiſſe inter mortales ſcribit Saluſtius. Per fortitudinem uel robur fiduciæ, muros ciuitatis intelligit, aut etiam quemcunque belli apparatum, & machinas: quæ omnia nonnunquam caſſa & uana redduntur prudentia ſapientis. Sed ut hoc in bello & expugnatio-
Luc. 11. ne urbium aliquando uſu uenit, ita ille fortis armatus qui cuſtodit atrium, ſapientia
Galat. 2. Dei & gratia Chriſti ſemper expugnatur: diripiuntur uaſa & arma, in quibus fiduciam habet

habet dum caro caſtigatur & crucifigitur mundus. Cap. 21.

» QVI cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam
» ſuam.

Seruare os & linguam poſſunt ad idem referri, nempe ad loquelam & ſermonem, ex quo multa incommoda & anguſtiæ proueniunt, ut inquit Iacobus: Lingua ignis eſt uniuerſitas iniquitatis. Poſſunt os & lingua ad diuerſa referri, nempe os ad tẽperantiam ſiue continentiam uictus: ex crapula enim plurima proueniũt mala. Comeſſationes & ebrietates, lites nonnunquam & iurgia, quibus anima uehementer afflictatur, ad anguſtias & inopiam conſilij redigitur. Porrò ex continentia uirtus ſequitur, puritas animæ: ex puritate animæ, pax & tranquillitas conſcientiæ: Beati mundo corde, quoniam ipſi uidebunt Deum. Cuſtodia linguæ & oris, iuxta ſenſum myſticum poſſunt referri ad confeſſionem fidei, & confeſsionem peccatorum, Dei laudem, proximi ædificationem: lingua enim & ore plurima præſtamus officia ad noſtram & aliorum ſalutem ſpectantia. Iuxta priorem expoſitionem, animam pro uita acceptam intelligimus: iuxta ſecundam uero, pro conſcientia & interno affectu, qui per peccata oris & linguæ ad miras anguſtias redigitur.

Iacobi 3.

Mat. 5.

» SVPERBVS & arrogans uocatur indoctus, qui in ira operatur ſuper-
» biam. *Heb.* Deriſor nomen eius faciens in ira ſuperbiam.

Septuaginta ſic, θρασὺς καὶ ἀνυπόδητος καὶ ἀλαζὼν λοιμὸς καλεῖται. Indoctus apud diuum Hierony. peſtilentia uocatur apud Septuaginta. Salomon ad inſtar hortulani, nunc uirtutum plantat præcepta, nunc uitia ſapientiæ contraria euellit. Linguam & os ſeruare, nec aperire, niſi cum opportunum & utile fuerit, magna pars ſapientiæ eſt: ad quas uero anguſtias rediget ſuam animam, qui per ſuperbiam, arrogantiam uel petulantiam, os aperit, & ſoluit linguam, præſens uerſiculus oſtendit. incidit enim in multa uitia, nempe ſuperbiam, arrogantiam, deriſionem, quòd ad ſermonem ſpectat: quòd uero ad opera, furorem ſuperbiæ, hoc eſt iram & ſuperbiam, ut iam nihil ſit integrum in homine qui linguam non ſeruat: talis enim uocatur ſuperbus, arrogans, petulans & deriſor. Hebræi ſic exponunt uerſiculum: Homo ſuperbus & arrogans uocari poteſt deriſor, qui facit opera ſua in ira ſuperbiæ: uel ſic, Superbus, arrogans & deriſor, eſt nomen eius, qui facit opera ſua in furore & ſuperbia. Et ſenſus erit, Qui omnia agit per furorẽ & ſuperbiam, cum uideatur honorem quærere & famam maxime, famam & celebritatẽ nominis non aſſequetur, imo ignominioſis nomenclaturis erit inſignitus, ſuis coloribus pictus, nominis famam amittet. q.d. Qui uult bonum nomen habere, à ſuperbia & arrogãtia imprimis declinare debet, & à iactantia linguam & os, ut dictum eſt, moderare ac refrenare: nam omnis qui ſe exaltat humiliabitur.

» DESIDERIA occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam manus eius
» operari. *Hebræum*, Deſiderium pigri interficiet eum, quia renuerunt manus eius operari. Tota die concupiſcit, & deſiderat: qui autem iuſtus eſt, tribuit, & non ceſſabit. *Heb.* Tota die concupiſcentiam concupiuit: ſed iuſtus dabit, & non prohibebit.

Redit ad id quod ſuperius dixit, Qui perſequitur iuſtitiam & miſericordiã, inueniet uitam: quod in hoc loco habemus, deſiderium pigri interficiet eum: deſiderium quod habet ſiue in uoluptatibus, ſiue quibuſcunque uanis huius mundi rebus, interficiet eum: uel uehementer torquebit eum, ut mori uideatur: iuxta loquendi modum, quo dicimus enecatos nos eſſe, cum magno aliquo malo torquemur, uel reuera in ſuo deſiderio morietur, neque cõpos erit aliquando rei quã deſiderat: *Nam renuerunt manus eius facere.*) ſ. quicquam. uel concupiſcere non debuit piger, uel ſedulo laborare, & dare operam quo poſsit ſuum complere deſiderium. *Tota die deſiderauit deſiderium.*) quaſi dicat, Piger nec ſibi nec aliis prodeſt, imò ſibi maxime nocet, toto die uidelicet otioſus uariis deſideriis

ſeipſum torquet:qui uero ſedulo operantur,& honeſto labori intendunt,uanis deſide- G
riis non laborant.Indicat Sapiens ex pigritia & naſci deſideria inutilia, & nutriri : & tamen pigrum non poſſe remedium ſuis adhibere deſideriis. *Iuſtus uero tribuet.*) Qui toto ſtudio perſequitur iuſtitiã,nõ ſolũ ſibi ſufficit,ſed etiam aliis:non ſolũ ſuo deſiderio, ſed alieno ſatisfacit.Diſperſit,dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum:& tamen nõ prohibebit deſiderium ſuum.Pigrũ opponit iuſto,& prouerbium oſtendit ſapientis non eſſe,nec carere diuitiis,nec auare retinere,ſed diſtribuere collectas.

» HOSTIAE impiorũ abominabiles,quæ offerunt ex ſcelere. *Heb.* Sacrifi-
» cium impiorum abominatio, quanto magis ſi mala mente uel cogitatione H
» obtulerit illud.

Prouerbium oſtendit Deum non muneribus corrumpi, ut ſolent aliquando terreni iudices,de quibus ſuperius. Deus execratur impiorum ſacrificia,quæ uidẽtur in illius laudem oblata,etiam iuxta morem quo debeant fieri,& iuxta ritum quo boni ſacrificãt, nõ agnoſcit dominus externas ceremonias abſque interno affectu , in his qui offerunt ſcelerato animo . Cæterùm ſi ex ſcelere uel rapina fuerit oblatio, multo magis erit abominabilis,utputa duplici ſcelere cõtaminata,& impietate hominis & rapina. זמה , ſi malã cogitationem uertamus,ad hunc modum exponi poteſt uerſiculus:Si mala cogitatione, hoc eſt eo animo ſacrificet,ut proſperum ſucceſſum in improbitate ſua habeat,uel qua- I
cunq; alia intentione impia, maxime execrabilis erit eius oblatio. Quod infideles ſolẽt facere,nẽpe uouere & offerre dæmonibus,quò licentius in ſceleribus uiuant : ut Balam
Nume.23 & Balac uolentes populo Dei maledicere.Quadrat prouerbiũ in eos,qui cum ſint ſcelere aliquo obnoxij,cuius pœnitentia non ducuntur,nihilominus putant per alia pietatis opera,ſe poſſe iram Dei placare:hanc impiam & ſceleſtam de Deo cogitationẽ concipientes,quaſi peccandi licẽtiam concederet alicui,ea lege ut reliqua præcepta ſtudio-
Iacob.2. ſius obſeruaret:contra illud,Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus.

» TESTIS mendax peribit, uir obediens loquetur uictoriam. *Heb.* Teſtis K
» mendax,uel mendacij peribit:& uir audiens perpetuo loquetur.

Ambigua uox eſt נצח : aliquando ſignificat uictoriam, aliquando perpetuitatem, ſiue æternum,aut denique robur & fortitudinem.Contra falſos teſtes etiam prophana lege ſancitur ius talionis:dignum eſt enim,ut pereant,qui alios uoluerũt perdere,peribuntq; humano iure fraude illorum deprehenſa, & ueritate comperta.Aliter, Deo iudice peribunt,quem nulla latet ueritas:uel,peribit & non teſtificabitur amplius.q.d.peribit ab illo munere. Verum uir,qui nõ teſtificabitur niſi quod audit,hoc eſt ueritatem quam au- L
diuit & nouit,perpetuo loquetur,& teſtis munere fungetur perpetuo: uel perpetuo loquetur,hoc eſt non peribit,ut loqui pro uiuere capiatur. Aliter uir audiens legem Dei, & obtemperãs illi , inæternũ loquetur uerum teſtimonium. quaſi dicat:Falſi teſtes morte puniẽdi ſunt,tanquam legis trãſgreſſores.Sed de falſis teſtibus qui non quod audiuerunt aut uiderunt loquuntur,ſed qui ſomnia ſua & dogmata reprobata, pro uerbo Dei loquuntur & prædicant,ſatis ſupérque dictum eſt ſuperius.

» VIR impius procaciter obfirmat uultum ſuum:qui autem rectus eſt,corri-
» git uiam ſuam. *Hebr.* Roborat uir impius uultum ſuum , ac rectus uias M
» ſuas diriget.

Vel intelligit uias ſuas,ut legunt Septuaginta aliquos ſequentes Hebræos,qui hoc in loco legunt יבין intelliget,non יכין diriget.A præcedente uerſiculo pendet ſenſus , qui eſt huiuſmodi:*Roborat uir impius,* ſup.uerba falſa, *uultu ſuo.*) cum imprudentia uidelicet proferens falſum teſtimonium,& ipſo uultu affirmãs falſum : uel contra uultũ eius,hoc eſt illius qui reſpõdet & cõtradicit.Sed iuſtus & æquus iudex facilè intelliget uias & mores illius.Aliter,Qui rectus eſt, & affert uerũ teſtimoniũ, faciet iudices intelligere uias

eius,

A eius, ſatis habens rem exponere nudè, tanquam ſimplicem ueritatem. Poteſt & melius in genere intelligi, ut ſit ſenſus declarans, quàm latum fuerit diſcrimen inter impium, & rectum ſiue iuſtum, quorum ille uultum firmat, & magna ſiue conſtantia, ſiue impudentia facit malum: Hic uero diriget uias ſuas, ut neque deficiat à recto, nec cum oſtentatione quicquam faciat: non enim uultu aut faſtu rectitudinem ſuam præ ſe fert. Si legatur intelliget, erit ſenſus, Qui rectus eſt, ſatis habet quod intelligat uias ſuas, abſq; eo quod uultu exteriore oſtentat: & eſt prouerbium ſiue ſententia digna Sapiente, tam paucis uerbis tam profundum ſenſum cumulans. Cap. 22.

" NON eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra dominum.
B Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem tribuit: uel, domini
" eſt ſalus.

Poſt multa de ſapientia præclarè & prudenter excogitata, tandem ueluti compendio rem omnem abſoluit, & claudit oſtendens nullam ab eo laudatam eſſe ſapientiam præter eam quæ dominum agnoſcit & ſapientes omnes ac prudentes uiros domino eſſe ſubditos neque quicquam moliri aduerſus dominũ. Aliter, *Contra dominum,*) uerti poteſt coram, uel è regione domini. hoc eſt, ſi cum ſapientia domini conferatur, non eſt ſapientia ulla humana, uel prudẽtia, ſed ſtultitia potius, & amentia. Aliter, *Non eſt ſapiẽtia*)
C hoc eſt, nullus ſapientia ſibi proderit contra dominũ. q. d. ut eripiatur de manu domini. Quanuis equus paretur ad bellum, & cætera quæ ſunt neceſſaria ad uictoriam, & ad eripiendum nos ab hoſtibus, tamen ſeruari non poſſumus niſi per dominum. Si ſententia domini lata eſt & decreta contra nos, nulla ſapientia, aut conſilio prudentium eam licebit reſcindere. Denique non eſt ſapientia, hoc eſt, non eſt ſapiens reputatus aduerſus dominum: qui uera dominum religione non colit, ſapiens non eſt æſtimandus. Infideles, Turci, Mahometici, hæretici quãlibet ſapientes uideantur, tamen non ſunt, cum contra dominum ſapientia ſua pugnent. *Equus paratur ad bellum.*) q. d. Neque in hominibus, ne-
D que in animalibus fidendum eſt, neque ullis uiribus bellicis: nam ſalus & uictoria à domino ſolo pẽdet. Siue igitur animi prudentia, ſiue uires ſint alicui, in his fidendum non eſt, niſi in domino: & cum domino his utendum, non contra dominum.

CAPVT XXII.

" MELIVS eſt nomen bonum, quàm diuitię multæ ſuper
" argentum & aurum gratia bona. Diues & pauper obuia-
E uerunt ſibi, utriuſque operator eſt dominus.

Nomen bonum & gratia bona melior, hoc eſt utilior, ut exponunt aliquot ex Hebræis, quòd per bonam famam plus fauoris aſſequatur aliquis, quàm argento & auro: iuxta uulgi prouerbium Hebræum, teſte Ben Gerſon. Melior eſt amicus in aula, quàm aurum in capſa. Aliter & melius, Nomen bonum eſt potiùs eligendum, quàm opes magnæ, & gratia bona eſt eligenda præ argento uel auro, duplici de cauſa: partim quòd hæc ſunt corruptibilia, & multis pereant modis, illud uero perpetuo duret: partim quod nomen
F bonum & gratia, niſi per uirtutem & ſapientiam haberi non poteſt: ſolida, inquam, nominis fama & honor, præmium eſt uirtutis, opes uero aurum & argentum fere præter æquum & bonũ cumulantur, ac ſeruantur. *Diues & pauper.*) Diuitiarum & paupertatis largitor eſt dominus, & mittit ac diſpenſat inter homines. Vnde aliqui (iuxta Hebraiſmum) occurrũt diuitiis, aliqui paupertati, ſed bonum nomen peculiariter occurrit hominibus, qui uirtuti ſtudent. ſic Aben Hezra. Aliter & melius, Fieri poteſt, ut diues deueniat pauper, & pauper ad diuitias aſcendat, in qua mutatione fortunæ, uidentur occurrere inuicẽ, dum alter deſcendit, alter aſcendit: & tamen *Vtriuſque eſt factor dominus.*) quaſi dicat, Nemo ęſtimandus eſt ex opibus, neque ex paupertate, cum ex his non pen-

deat neque fama nominis, neque gratia apud Deum, aut homines: Sed hæc quæ ſunt maxime optanda comparantur per obedientiam creatoris & factoris, *utriuſque operator Deus.*)quaſi dicat,dum occurrunt inuicem diues & pauper in habitu exterior,ingens diſcrimen inter eos uidetur, & longe pluris æſtimatur unus quàm alter apud homines: & tamen uterque ad imaginem Dei factus eſt, quam ſi pauper ſeruauerit integram per uitæ puritatem, apud Deum factorem non erit inferior, uel fama nominis,uel gratia quàm diues,quantũuis alioqui ſit hic ſplẽdidus byſſo & purpura ueſtitus: ille uerò ſqua-
Luc. 16. lidus & ulceribus plenus: iuxta parabolam euangelicam. G

" CALLIDVS uidit malũ & abſcondit ſe: innocens pertranſiit & afflictus " eſt damno. *Hebræum.* Et pęnis afficiuntur. H

ערום aſtutus fere in bonam partem capitur in hoc libello,pro ſapiente & prudente, qui mala præuidere & præcauere ſolet antequam eueniant. Verum ſimplices & ſapientiæ expertes capiuntur fere malis, imò temere tranſeunt ad loca ubi malis occurrentibus inuoluuntur. Aliter & melius,Qui uere ſapiens eſt, & in lege Dei uerſatus,uidet fide, & ſcripturarum intelligentia quanta mala futura ſint peccatoribus, & his qui tranſgrediuntur legem Dei, & abſcondit ſe à peccatoribus inter quos uerſari recuſat.Simplices & ignari qui non perpendunt ſatis quid uenturum ſit, uel quem finem habituri ſint, qui male uiuunt,& tranſgrediuntur leges ſeu humanas,ſeu diuinas, tranſeunt unà cum peccatoribus & puniuntur. Tertio qui ſapiens eſt, ſatis nouit, quanta mala & pericula emineant hominibus huius mundi, & abſcondit ſe declinando honores & opes, ac cæteras huius mundi uanitates: qui uero ſunt expertes huius ſapientiæ, tranſeunt & libenter progrediuntur in mundanis illecebris: ſed hi dabunt aliquando pœnas. I

" FINIS modeſtię timor domini,diuitię gloria & uita. *Hebr.* Merces humi- " litatis timor domini & cętera. Arma & gladij in uia peruerſi,cuſtos uero ani- " mę ſuę longè recedit ab eis. A *liter*,Spinę,laquei ſunt in uia peruerſi,& cętera. Septuaginta. Tribuli & laquei in uiis peruerſis, conſentiunt cum Hebræa ueritate. *Finis modeſtiæ.*) Summa laus humilitatis ſiue mãſuetudinis & modeſtiæ, quæ ſi cum timore domini iũgatur,ſummum præmium habet, nempe diuitias,gloriam & uitam:& hæc eſt melior expoſitio, ut ſubaudiatur copula, Merces manſuetudinis & timoris domini. Timor domini uerę religionis & unius Dei cultum inſinuat. Alioqui iuxta ambiguitatẽ ſermonis Hebraici,ut nos habemus uerti poteſt, Finis manſuetudinis eſt timor domini. quaſi dicat,humilitas remuneratur timore domini, tanquam præmio. Prior expoſitio eſt melior. *Diuitiæ & gloria & uita*) ſequuntur humilitatem & timorem domini, Nam omnis qui ſe humiliat exaltabitur. Videtur hæc uerba reſpondere ad ea quæ dicta ſunt, de nomine magis eligendo, quàm diuitiæ, quaſi non conuenirent: ſed oportet alterum eligere. Cæterùm mãſuetus & timens dominum,utrunque ſimul poſsidere poteſt,opes, gloriam ſiue famam: ídque non in uno temporis momento, ſed uitam quoque,hoc eſt per longitudinem dierum. Nos non tam opes in gloriam præſentem, neque uiam caducam intelligimus,quàm manſueti & humiles non deſiderant,ſed futuram uitam & gloriam quæ permanet, ad quam non omnes perueniunt. Sunt offendicula multa quibuſdam,iuxta id quod ſequitur: *Spinæ & laquei.*)Sunt ex Hebræis qui ענים frigora uertunt. Senſus eodem tendit,nempe, multa impedimenta eſſe homini peruerſo in uia uirtutis. K L M

Luc. 8. Sunt ſpinæ, quas diuitias etiam authoritas euangelica interpretatur: ſunt laquei con-
2 Timo. 2. triti manſuetis, peruerſis uero ueluti rete uenatoris: diaboli enim laquæis detinetur ad illius uolũtatem. Verti poteſt, *In uia peruerſa*: uel, *in uia peruerſi hominis.*) Cuſtos animæ elongabit ſe ab iſtis ſpinis & laqueis, uel ab his peruerſis,uel uiis denique,ut fiat mutatio numeri. Chaldæus paraphra. laqueos ſolum poſuit relicta priore dictione. Quod prius dixit, abſcondit ſe à malis, hoc in loco elongabit ſe,humilis & manſuetus qui cu-
1. Tim. 6. ſtodit animam ſuam,procul ab his ſpinis diuitiarum,& laqueis diaboli quæ demergunt homines in interitum.

ADO-

A ADOLESCENS iuxta uiam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab Cap. 22.
„ ea. *Hebræum*, Imbue puerum iuxta uiam ſuam, uel, initia aut doce.

Sic habet prior particula uerſiculi. Conſuetudinem & educationem plurimum ualere docet. Innuens ſtatim à iuuentute, optima quæque eſſe inſtillanda pueris. Nam quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu. Qualibus fuerint artibus imbuti iuuenes, & qualibus diſciplinis educati, tales fere futuri ſunt ſenes: non quòd hoc ſemper uſu ueniat: aliquot enim mutare uitam nouimus. Verum ſapiens id quod fere ſemper uſu uenit, ſpectaſſe uidetur.

B DIVES pauperibus imperat, & qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerãtis,
„ uel mutuum dantis. Qui ſeminat iniquitatem metet mala, & uirga iræ ſuæ
„ conſummabitur. *Hebræum*, Qui ſeminat iniquitatem metet iniquitatem,
„ & uirga iræ ſuæ conſummabit eum: uel, uirgam iræ ſuæ cõſummabit. Qui
„ pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pau-
„ peri. *Hebræum*, Qui bonus uel benignus eſt oculo, ipſe benedicetur: nam
„ dedit de pane ſuo pauperi.

C *Diues pauperi imperat.)* Oſtendit hoc in loco Sapiens rectum uſum diuitiarum, non eſſe ut diuites opprimant pauperes, neque in ſeruitutem redigant, iuxta conſuetudinem mundi, quæ eſt, ut non habeatur probitatis ratio, aut uirtutis, ſed diuitiarũ duntaxat, per quas diues habetur dignus, ut ſit princeps ac dominus pauperum. Cum lõge aliter fieri oporteret: imperium uidelicet ſapiẽtiori, nõ locupletiori dari: imperium inquam, debet obtinere, qui prudentia præſtat, & reipub. gubernacula poſsit moderari ſapienter, qui reip. commoda quærit, non qui ſua, quod diuites ſolent facere, aliquos per potẽtiam, alios per fœnora opprimentes & in ſeruitutem redigentes, quemadmodum ſequitur: *Et ſeruus &*
D *mutuum accipiens ei, qui mutuum dat,)* cum ab eo pendeat ſic obæratus & obnoxius, ac ſi eſſet in ſeruitutem redactus: hi cum nummum augere ſtudent, diuerſis creditoribus diſpergunt, ad modum ſeminãtis, cum tamen contra naturam nummi ſit, ut nummum pariat, aut ueluti ſemina in terram iacta multiplicetur. Et proinde fœneratores, qui undiq; ſuam diſſeminant iniquitatem, præmium iniquitatis aliquando metent, ſecũdum illud, *Galat. 6.*
Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. *Et uirga iræ ſuæ conſummabitur:)* uel uirgã exactionis, uel ſceptrum dominij ſui conſummabit Deus, & finem imponet ſeruituti, qua pauperes oppreſſerit, cùm mercedem iniquitatis ſuę reddiderit ei. Qui uero diuitias cum ſapientia poſsidẽt, longe aliter diuitias inſumunt eas, nempe in ſubſidium pauperum: qui
E uidelicet non ex inani faſtu aut hypochriſi, ſed pio & bono oculo, ſiue miſericordi in pauperes intuitu, ſuum panem dedit, ſuum defraudans uentrẽ. Hic optimè collocat diuitias, & benedictionem accipiet: Nam diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in *Pſal. 111.*
ſeculum. Obſeruãdum eſt, diuum Paulum ſecutum potius Septuaginta, quàm uel uerſionem noſtram, uel Hebræam ueritatem: ſic enim legunt Septuag. ἄνδρα ἱλαρὸν καὶ δότην ἀγαπᾷ ὁ θεός. Virum iucundum & datorem diligit Deus. Paulus, Hilarem datorem diligit Deus.

F „ EIICE deriſorem & exibit cum eo iurgium, ceſſabúntque cauſæ & con-
„ tumelię. *Hebræum*, Eiice deriſorem & egredietur iurgium, & ceſſabit con-
„ tentio in iudicio & ignominia.

In uerſione huius uocis לֵץ, tandem, reliquit interpres Septuaginta, & ſecutus eſt Hebræos, uertens deriſorem. In pace & charitate inter homines alẽda maxima pars ſapiẽtiæ conſiſtit, ut ſuperius dictum eſt. Amicitia uero uel in primis per iurgia, contentiones & ignominiam diſſoluitur: à quibus qui uolunt eſſe alieni, ſermonis & colloquiorum rationem habere debent, curare ne quis uel deriſor, uel malus interpres uerſetur inter eos. Ad patremfamilias uel iudicem & principem in repub. uidetur dirigere ſermonem

Sapiens,inquiens:Eiice deriſorem,qui ſubſannando uel deridendo,aut male aliorum di G
cta uel facta interpretando ſeminat iniquitatem: quaſi dicat, ſi non ſint malæ linguæ, non erunt lites,non erunt iudicia,non erunt ignominiæ inter homines. Nam dum quiſque culpam & errorem agnoſcit, & damnum quod uicino intulit, inſtaurare cum humanitate quærit: dum qui læſus eſt,crimen alterius non in peſsimam interpretatur partem :ſed ſeipſum quoque hominem cogitat, pronum uidelicet ad malum & fragilem, non ad iurgia & lites,non ad contentionem exercendam cum fratre,quo ignominia hominem afficiat, ſed ad bonum oculum & pium affectum conuertitur,& de pane ſuo potius impertiet ei,potius feret opem indigenti, quàm extremæ iudicum ſententiæ,uel etiam populi ignominiæ hominem exponet. Haud dubiè deriſor iſte procul à contuber H
nio eccleſiæ expellendus, uel populus Iudaicus eſt, uel hæreticus,per quem prohdolor quanta iurgia, lites & ignominiæ inter Chriſtianos contigerunt:qui ſolent optimo oculo ſeinuicē intueri & purum euangelij panem pauperibus & infirmis in fide diſtribuere.

" QVI diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem.

Interpres ſuppleuit præpoſitionem, propter. Poteſt melius repeti uerbum amat uel diligit,ſic, Qui amat gratiam labiorum.Sunt ex Hebræis qui ſic interpretantur,Qui diligit homines mundos corde, & eos qui gratiam ſermonis habent,habebit amicum regem. I
Prior expoſitio eſt melior.Regē, Deum intelligunt etiam Hebræi: Qui diligit deriſorē, ſeminantem diſcordias,non eſt amicus regis, qui charitas eſt,& amor. Qui cuſtodit labia ſua,cuſtodit cor ſuum,ſuperius lectum eſt. Meritò igitur hoc in loco mūditiam cordis, & gratiam labiorum requirit. In his qui Dei amici ſunt appellandi.Vnde ſcriptum
Matth. 5. eſt, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Regem perpetuo uidere, in illius uerſari præſentia, amoris maximum eſt argumentum. De terreno rege, ut nunc ſunt mores,neſcio ſi poſsit hodie habere locum, in tanta principum luxuria & libidine, in tanta adulatorum & detractorum turba, quibus aulas regum refertas eſſe uidemus. K
Sed non uere regnant,qui cupiditatibus inſeruiunt, quibus dominātur uitia, ſi Diogeni credimus,qui dixit Alexandrum ſubditum eſſe cupidinibus,quibus imperabat ipſe.Dauid,Salomon,Ezechias, & ſi quis hodie iſtis reperiatur ſimilis, amicos habet longe chariſsimos, eos qui gaudent habere corda ab omni uitiorum fœditate pura, & linguas gratia & beneuolentia ac caſtitate imbutas.Alioqui munditiam cordis,ad integritatem
Act. 15. fidei referre poſſumus: iuxta illud,Fide purificans corda & gratiam labiorum,ad confeſ-
Rom. 10. ſionis conſtantiam: Ore enim confeſsio fit ad ſalutem: quibus uirtutibus qui pollent, regi haud dubiè ſunt amici, imò qui carnem domant cum uitiis & concupiſcentiis ſuis, regis dignitatem obtinent.Sed qui uere habent & amant puritatem cordis,qui gratiam labiorum ſine fuco & adulatione, non eſt terreni regis ubique decernere, ſed æterni L
regis. Vnde ſequitur·

" OCVLI domini cuſtodiunt ſcientiam, & ſupplantantur uerba iniqui.
" *Heb.* Et peruertit uerba præuaricatorum.

Sapien. 8. Oculi prouidētiæ diuinæ,quibus pertingit à fine ad finē, & diſponit omnia ſuauiter. His oculis, hoc eſt,hac prouidētia cuſtodit ſciētiam. Iuxta Hebræos,Homines qui habēt ſcientiam legis & Dei,& qui didicerunt amare munditiam cordis,magis quàm corporis, horum ſcientiam & intelligentiam ſeruat dominus, ut quotidie magis ac magis fiant M
amici regis. Cæterum qui præuaricantur & tranſgrediuntur legem, & munditiam cordis non amant,tantum abeſt, ut à Deo ſeruentur oculis miſericordiæ & prouidentiæ,ut etiam illius iuſto iudicio ſubuertantur. Subuertit enim uerba quibus præuaricationem ſuam conantur tegere & occultare. Aliter,ſubuertit uerba quibus præuaricantur in eos, qui ſcientiam Dei habēt,ut ad hoſtes fidei referatur. Et inter bonos & malos doctores diſtinguit prouerbiū. Nam illorū doctrinam per prouidentiam conſeruat in utilitatē eorū qui futuri ſunt. horū uerò uerba ſtatim ut dicta ſunt peruertit,cū inter ſe non conſentiūt.

DIXIT

A DIXIT piger,leo eſt foris,in medio platearum occidendus ſum. Cap. 22.

Non tam uerbis quàm factis dicunt,& reſpondent pigri, iis qui monent,ut honeſtis occupationibus animum addicant,ut ſtudeãt uictum quærere, & ſapientiæ dent operam. Reſpondent inquam dicentes: *Leo eſt foris,in medio platearum occidendus ſum.*)q.d.nõ auſim,ubique magna ſunt pericula. Hyperbolicam locutionem tribuit pigro, qui uel leuiſsimas moleſtias ferre tantum timet,quantum ſi leoni occurreret.Somnum rumpere, inediam pati, frigus & æſtum ferre,quæ pro ioco ſunt ſtudioſis, pigro mala uidẽtur extrema & intoleranda.Poſſunt ad idem referri,Foris eſt leo,& in medio platearum occidendus ſum,uel ad diuerſa: ut ſit ſenſus, Foris in deſertis locis ſunt feræ, in uicis & pla-
B teis ciuitatis ſunt ſicarij & homicidæ. Prior eſt melior interpretatio: ſiue ita dicat, ſiue non dicat,non refert ad ſenſum huius loci,cùm idem faciat ac ſi diceret. Quadrat prouerbiũ in eos,qui timore pœnæ temporalis,ab exercitatione & labore ſtudioſo retrahũtur.Leonem qui foris eſt ad ianuam,timent,hoc eſt præſentem moleſtiam ſiue perſecutionem: ſed leonem qui circuit quærens quem deuoret,non pertimeſcũt.Mortem quæ *1.Petr.5.*
in plateis & præ foribus eſt,horreſcunt:ſed eum, qui poſtquam occiderit,habet poteſta- *Matt.10.*
tem mittere in gehennam ignis,non timent.

» FOVEA profunda, os alienæ: cui iratus eſt dominus, incidet in eam.
C *Hebr. Sic,* Fouea profunda os alienarum,iratus domini cadet ibi. *Si Hebraiſ-*
» *mo liceret uti Latine,* Cui iratus eſt dominus, cadet ibi. Stultitia colligata eſt
» in corde pueri,& uirga diſciplinæ fugabit eam.

Similitudinis particulã intelligũt omnes,ut ſit ſenſus,Velut fouea profunda,ſiue ſepulchrum, ex quo nemo aſcendit uiuus,ſic os alienarum,ut legunt Hebræi,hoc eſt, cuiuſcunque alienæ ſup. mulieris,ut ſuperius legimus, Pedes eius deſcendunt in mortem, & *Cap. 6.*
ad inferos greſſus eius penetrant.In quàm profundam malorum foueam corruunt, qui
D alienarum ore & blanditiis ſunt irretiti,uel in primis nouit Salomon,qui amauit mulie- *3. Reg.11.*
res alienigenas multas,& auerterunt mulieres cor eius à domino ſup. ad cultum idolorum:alioqui fere quotquot alienarum colloquiis & cõuictu gaudent, ad extrema malorum,nẽpe homicidia & rapinas,quæ ſunt idolorum ſeruitus, perueniũt,tandem ubi iratus eſt illis dominus,ut Salomoni fuit,dicente ſcriptura,Igitur iratus eſt dominus Salo- *Ibidem.*
moni, quòd auerſa eſſet mens eius à domino Deo Iſraël. His uerbis, *Cui iratus eſt dominus)* innuit neminem ſtatim ad profundum malorũ peruenire,neque per os alienæ mulieris in profundã foueam uitiorum cadere,niſi prius fuerit uitiis contaminatus: ut iam iuxta Theologos peccatum poſterius uideatur pœna peccati præcedentis, & peccatum
E peccatum trahere.Et uidetur ex præcedente uerſiculo ſic pendere ſenſus, ut reprehẽſum pigrum,hoc eſt malum intelligamus, qui corporis mala timens, uiam uirtutis non capeſsit:& tamen uitia animæ non timet, quæ ſunt grauiſsima, & ad quæ nonnunquam peruenire ſolent, qui ſunt otioſi: nempe uel ad pernicioſam & inſanam libidinem, uel etiam ad dogmata erronea & opiniones à uera fide alienas. Per os mulieris alienæ,hoc eſt ſectam hæreticorum aut ſynagogam diaboli,iuxta ſenſum ſublimiorẽ intelligimus. *Stultitia colligata in corde pueri.*) q.d. deplorati & deſperati ſunt,qui in foueam illam ceciderunt per iram Dei,ut qui munditiam cordis non amant,non ſunt regis amici,ſed ini-
I mici & corruentes in profundum,eripi non poſſunt.Iuuenes uero qui nondum in profundum malorum peruenerũt,caſtigare oportet.Et quanuis uideatur reuera ligata ſtultitia in corde iuuenis,ut hinc non poſsit auelli,uſqueadeò alienus eſt à ſapientia,uſque *Prouer. 5.*
adeò procliuis eſt ad uitia,præſertim ſi ab ore & colloquiis alienæ capiatur. Nam ut fauus diſtillans, labia meretricis ſtultæ iuuentuti apparent, tamen quantumuis innata & colligata uideatur ſtultitia iuueni,ab ea facile ſolui poteſt & ſeparari,partim caſtigatione & diſciplina:partim ſana doctrina & eruditione poteſt. Puer, inquam, ſiue iuuenis, hactenus immunis à maioribus criminibus, poteſt ad ſanam mentem facilè perduci: poteſt illius animo ſapientia addi, ſtultitia expelli:non enim naturæ uinculis,ſed uitiorũ

ſeminibus, & procliuitate quadã ad uitia, ueluti radicibus, quæ euelli poſſunt, ligata eſt G
ſtultitia in corde pueri. Prouerbium monet ſtatim caſtigationem eſſe adhibendam his,
qui ſunt ſiue ætate, ſiue moribus pueri, antequam adoleſcant uitia.

„ QVI calumniatur pauperem ut augeat diuitias ſuas, dabit ipſe ditiori &
„ egebit. *Hebræum*, Qui ui opprimit pauperem ut multiplicet ſibi (*ſup. opes.*)
„ qui dat diuiti, etiam ad defectum (ſup. ueniet.)

Hieron. qui uertit calumniatur, ſecutus eſt Septuaginta, qui ſic habent ὁ συκοφαντῶν. Magna ſtultitia eſt in hominibus, qui auaritiæ ſtudent, qui per fas uel nefas diteſcere cupiunt: & uel eum, qui à pauperibus uiolenter rapit, intelligimus: uel eum, qui pau- H
perem eleemoſyna defraudat. Quorum utrunque diteſcendi compendium uidetur quibuſdam: ſed qui ſpoliis pauperum diteſcunt, legem talionis ferre permittit Deus, dum ad defectum perueniunt. Sunt qui aliam diteſcendi rationem ſequuntur, nempe blandiendi diuitibus, dum parua quædam tribuunt, ut maiora recipiant: qui, ut inquit Iſocrates, πολὺ πιχνικώτερον ὠῶτὰ πωλοῦντες, τῶν ὁμολογούντων καπηλεύειν, multo artificioſius ea uendunt, quàm hi qui ex profeſſo cauponantur. Sed neque augent opes, imò ad inopiam & defectum perueniunt: nam ſuperius dictum eſt, artem diteſcendi fo-
Prouer. 19 re, largiri pauperibus, non auferre. Fœneratur domino, qui largitur pauperi, neque ſunt munera porrigenda diuitibus, quatenus gratiam in eorum oculis inueniamus: ſed I
domino omnium, per manus inopum deferenda ſunt dona. Si iuxta Hierony. legamus, erit ſenſus, Eos qui uiolenter opprimunt pauperes, cogi neceſſariò dare multa diuitibus, ut illorum patrocinio defenſi, licentius rapiant, ac opprimãt tenues, qui nec uiribus nec opibus ſeſe tueri poſſunt. Iuxta ſenſum allegoricum, Violentia aufert à paupere, & dat diuiti, qui mentem ſuam & rationem uirtutibus nudam, & tenuem in bonis animæ, quotidie tenuiorem reddit per luxum & uoluptates: parti uero brutæ & irrationali, nihil negat: quaſi pacem redimens, & ſe tutum exiſtimans, ſi ſuo indulgeat ingenio, hic ad magnam inopiam ueniet & defectum, & cum di- K
Luc. 16. uite cogetur olim à Lazaro mendicare & petere, ut ueniat Lazarus, & intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam flamma uoluptatis ardentem.

RODOL-

RODOLPHI BAYNI IN TERTIVM LIBRVM COMMENTARIORUM Parabolarum Salomonis, Præfatio.

SI cum iudicio lucubrationes noſtras in hunc libellum hucuſque perlegeris, candide lector, facilè animaduertis quanta conati ſimus induſtria, non ſolum ſingulorum uerſuum eruere ſenſum, ac luce clarius expandere, ſed etiam ſermonis filum contexere, uerſiculos connectere, conglutinare ſententias, quæ uideantur alioqui, uel temerè ab authore iactatæ, uel ſybillę foliorum more collectæ. Verum cùm ſint quaſi uinculis colligatæ concathenatæque, pleniorem doctrinam continent. Nos adiuti cùm Hebræa ueritate, tum commentariis Hebræorum, orationis & ſermonis ordinem ſæpenumero cernimus, qui in Latina uerſione non apparet. Porrò ſi breuitatem, quam in primis uolumus ſequi, non ſumus uel per uarietatem interpretationum, & ambiguitatem Hebraici ſermonis, uel per ſenſuum obſcuritatem aſſecuti, nobis ueniam facile dabunt, quotquot ſunt huius linguæ periti, & Hebraici ſermonis norunt proprietatem, quæ paucis explicari nequit. Et proinde accurate debet ad contextum oculos intendere, qui de noſtris laboribus iudicare uoluerit. Ab hoc uerſiculo, nempe, Inclina aurem tuam, & audi uerba ſapientum, exordium tertij libri capere uolui, quòd Salomon hoc in loco, nouum loquendi genus, ut inquit Beda, uideatur aſſumpſiſſe. Nam ab exordio decimi capitis, ſapientiæ præcepta tacitus ſecũ tradens, nunc tandem uiceſimoſecũdo capite ſermonem ad filium denuò dirigit, inquiens.

RODOLPHI BAYNI COMMENTARIORVM IN PROVERBIA Salomonis, Liber tertius.

INCLINA aurem tuam & audi uerba ſapientum, & cor pones ad ſcientiam meam. Nam amœna eſt, cum cuſtodieris eam. In uentre tuo dirigentur, pariter in labiis tuis. Vt ſit in domino fiducia tua, unde & oſtendi eam tibi hodie. (*ſic Hierony.*) *Heb.* Vt ſit in domino fiducia tua: notum feci tibi, etiam tu (*ſ.* obſerua.) Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus & ſcientia. *Hebræum*, Nunquid ſcripſi tibi tria (uel tribus uicibus) in conſiliis, & ſcientia. Vt oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia ueritatis reſpondere ex his, illis qui miſerunt te. *Hebræum*, Vt ſcire facerem te ueritatem, ad reſpondendum uerba ueritatis ad eos qui te mittunt.

Hos quinq; uerſiculos, quorum & lectio, & interpretatio in noſtris codicibus eſt admodum confuſa, connectit Aben Hezra. Fili mi, ſuppleuit interpres ex communi loquendi modo, quo totum ſermonem ad filium ſuum dirigit Salomon, iubens ut inclinet aurem, hoc eſt libenter & ex animo auſcultet, iuxta illud, Qui habet aures audiẽdi, audiat. *Luc.8.* *Appone cor tuum ad ſcientiam meam,*) ut diſcas ſcientiam meam, quæ eſt conſona uerbis ſapientum: uel, *Inclina aurem ad uerba ſapientum,*) quatenus ſunt conſona huic meæ ſapientiæ. Prior interpretatio eſt melior. Et ne graue uideatur iuueni & moleſtum, rebus ſeueris, cuiuſmodi ſunt uerba ſenum & ſapientum, indulgere, addit: *Pulchra erit tibi, uel amœna*) & delectabilis (ſup. ſcientia, quàm ego doceo,) non auditoribus, ſed obſeruatoribus & factoribus. *Cum ſeruaueris illa:*) uerba uidelicet ſapientum, ex quibus hanc ſcientiam ſiue doctrinam conflaui. *In uentre tuo:*) hoc eſt non ore tenus, per hyprocriſim, *Luc.11.* neque in opere externo ad oſtentationem, ſed in corde. Beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. & *Dirigentur pariter in labijs tuis.*) quaſi dicat, tanto magis amœna erunt uerba ſapientum, quanto in illis fuerit maior concordia. Non eſt in hac ſcientia, ut in placitis philoſophorum, inter quos ſunt perpetuæ lites & pugnæ uerborum, quæ- *1.Tim.6.* ſtiones interminabiles, ut inquit Paulus: uerum inter hæc ſapientum uerba, ſumma ueritas & concordia, ut quę dum in labiis recitas, eadem optimè conſonant. Aliter, Dirigẽtur pariter in labiis, ad munus docendi refertur. q.d. nõ ſolum dirigentur pariter, ut ipſe obſerues in corde tuo, ſed etiam ut alios doceas: ut ſit futurum pro imperatiuo: dirigantur pariter in labiis, ut præmeditatus poſsis alios docere. Optime ad memoriam & frequentem meditationem referuntur hæc uerba, dirigentur pariter ſuper labia tua. *Vt ſit in domino fiducia tua.*) Notam feci tibi ſcientiam meam, ut ſerues uerba ſapientum, non ut ſapientiam aliquando aſſecutus, ſapientiæ tuæ innitaris, uel in prudentia tua & intelligentia fiduciam habeas, ſed in domino tantum ſpem & fiduciam reponas: quantò diligentius uerbis ſapientum aurem inclinaueris. Nam ut maxima ſtultitia eſt ponere carnem fragilem & mortalem, brachium & fortitudinem tuam: ita ſumma ſapientia eſt, ex Deo pendere, in quo ſperare melius eſt, quàm in principibus. Porrò quod dicit, *Hodie oſtendi tibi,*) Hebræi referunt ad illum locum tertij cap. Habe fiduciam in domino ex toto corde, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus uiis tuis cogita illum & ipſe diriget greſſus tuos, ne ſis ſapiẽs apud temetipſum. Hæc ſunt, quę uel hodie, uel hoc tempore docuit ſuum filium Sapiens, quod in Hebræo ſequitur, Veruntamen tu, uel etiam tu. ſ. audiuiſti, uel meminiſti. *Ecce deſcripſi eam tripliciter.*) Hebr. Nunquid ſcripſi tibi tripliciter uel terna? hoc eſt frequẽter, & non ſemel nec iterum, ſed ſæpius inculcando. Abẽ Hezra ad tempus refert, id eſt tribus diebus, uel nudiuſtertius. Aliter, nunquid ſcripſi tibi tria uerba, uel triplicia, nempe ſeuera, iucunda, & perfecta: per numerum ternarium omnem perfectionem intelligens, quemadmodum Pythagorei, teſte Ariſtotele de cœlo & mũdo: & erit ſenſus כתבתי לך שלשים ſcripſi tibi nobilia, & egregia uerba, iuxta phraſim linguæ Hebreæ, qua princeps tertius à rege uocatur שליש, & metaphoricè pro do- *Cap.8.* gmatibus præcipuis, ut ſuperius, Loquar tibi inſignia נגידים אדבר accipi poteſt. Sũt qui per terna uerba, legem, prophetas, & agiographa intelligant, ut in perſona Dei hæc dicta intelligamus. Sunt denique, qui tres libros Salomonis intelligãt, Parabolas, Eccleſiaſtem, & Cantica canticorum. Beda tripliciter, ad cogitationes inſtruendas, ad uerba, & opera, refert. Prima expoſitio maximè arridet. Sequitur, *In conſiliis & ſcientia.*) Aben Hezra ſubintelligit libro conſiliorum & ſcientia, quaſi dicat, Notum feci tibi tripliciter hoc eſt ſumma perfectione, uerba ſapientum, in hoc libello conſiliorũ & ſcientiæ. q.d. hic liber complectitur optima conſilia, & ſcientiam legis diuinæ, ut ſcire te faciam ueritatem. Verba ueritatis קשט ueritatem & perfectionem ſignificat: & uidetur exponere, quod dixit ſuperius, Oſtendi tibi tria, nempe conſilia, ſcientiam, & ueritatem ſiue perfectionem, quæ conſiſtit in uerbis ueritatis: & poſſunt iſta tria ſcrupuloſius referri ad integritatem uitæ, ad cognitionem Dei, ad ciuilem ſcientiam, neceſſariam ad uiuendum cum hominibus. *Ad reſpondendum uerba ueritatis his qui miſerunt te,*) ad publica munera obeunda. Tamen Aben Hezra interpretatur, ad reſpondendum his qui miſerunt te, hoc

eſt

A eſt his qui miſerũt me ad te,ſed melius ego docui te uerba ueritatis, ut ipſe poſthac poſ- Cap. 22.
ſis reſpondere mittentibus te,hoc eſt, rationem reddere delegati muneris, ſiue à domino Deo,ſiue à principibus & magiſtratibus,qui Dei funguntur munere in terris. Aliter ad reſpondendum his qui mittunt,hoc eſt his,qui mittunt ad te interrogandum de ueritate & uerbis ſapientum. His interiectis quibus auditorem excitare & attentiorem facere uiſus eſt,ad inſtitutum reuertitur & abſoluit ſermonem, de his quæ uel in primis ad ſapientem ſpectant,nempe ut moneat filium, quo ab iniuria pauperibus inferenda abſtineat:Nam quæ maior poſsit eſſe ſtultitia, quàm pauperes opprimere uel ſpoliare, quorum patronus Deus eſt,quorum neceſsitati ſuccurrere iubemur, ex quorum ſpoliis
B & illata iniuria nihil lucrari poteris. Quàm inſana malitia eſt horum uaſtitate gaudere? Qua de re tractans Salomon multis uerbis, uti dixi,ad auſcultandum, ſuum filium excitauit,utpote de re maxima auditurum. Cæterum de opprimẽdo paupere per uim,quo illius ſpoliis diteſcat,dictum eſt,qua in re nulla ſpecies iuſtitiæ habetur. Qui per calumniam, & iudicum authoritatem tenues prædantur, non minus ſunt iniuriarum rei, quemadmodum ſequitur.

» NON facies uiolentiam pauperi, quia pauper eſt: neque conteras egenum
» in porta. Quia iudicabit dominus cauſam eius, & configet eos qui confi-
» xerunt animam eius.

C Hebræum,pro configere, rapere uel perdere habet. *Quia pauper eſt.*) quaſi dicat,Non eſt æquum ut rapias,uel uim inferas pauperi,quia hoc facile poteris, cùm defenſorem non habeat: quanto magis obnoxii ſunt iniuriis pauperes, tãto crudelius eſt eos opprimere. Aliter, Quia pauper eſt. Cùm ab omni iniuria debeas alienus eſſe, tum maxime à rapina pauperis, qui alioqui ſatis afflictus eſt,eò quòd pauper ſit: cui ſi accedat etiam rapina, & deprædatio fortunarum, quas habet tenues, ad ſummam miſeriam redigitur. Aliter, Quia pauper eſt:hoc eſt, quanuis pauper ſit, & facillime poſſis hominem opprimere. & *Neque conteras egenum in porta.*) duplicem ſenſum habet, uel in porta domus
D tuæ,cum pauper ad fores tuas uenerit petitum opem abs te, caue ne uel uerbis, uel factis illius animum frangas, abigens inanem: & quem debes alere, & illius egeſtati ſuccurrere,hominem famæ conteris,quem non paſcis eſurientem. Aliter,& ne conteras in porta ſup.ciuitatis,ubi iudicia exerceri ſolent, ut in porta conterere, ſit in iudicio opprimere ſententia iniqua. Hæc eſt melior interpretatio, & his quæ ſequuntur magis quadrans: *Nam dominus iudicabit cauſam eius*:) hoc eſt uindicabit iniuriam pauperibus illatam: ut iam non ſolum impium, ſed etiam ſtultum ſit contra Deum pugnare, ut ſupra diximus. *Et configet eos,qui confixerunt.*)Melius ſecundum Hebræos,& rapiet rapientium eos animam:uel rapiet à rapientibus eos animam:ut particula את pro מן accipiatur:
E & ſit ſenſus, Deus ſumet uindictã de his, qui deprædantur pauperes, & par pari referet. Nam qui pauperibus quicquam facultatum aufert, uitã uidetur auferre, cum eos ad famem & extremam inopiam adigat. Deus ab his animas,hoc eſt uitã, auferet,uel tempo ralẽ,quam abbreuiabit;uel uitã animę,dum ab illis recedit Deus,ſine quo uita nulla eſt.

» NOLI eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum uiro furioſo.
» Ne forte diſcas ſemitas eius,& capias ſcandalum animæ tuæ, uel, & ſumas la
» queum animæ tuæ.

F Quod in ſpecie dicitur de ira & furore, in genere intelligere poſſumus, de ſocietate omnium malorum,quæ nõ poteſt eſſe ſine periculo. Qui his perturbationibus obnoxius eſt,nempe iræ & furori, facilius pertrahit in idem genus mali, eos qui ſecum uiuunt, & idcirco amicum eſſe prohibet,& ambulare uetat cum homine iracundo: uel quod huiuſmodi non ſit aptus ad amicitiam,utpote qui leuiſsima de cauſa ſoleat offendi. In Hebræo legitur בעל אף hoc eſt uir,uel dominus & poſſeſſor iræ:& ſignificat non eum qui frequenter & ſubinde iraſcitur ſolum: ſed eum etiam qui prouocat ad iram,& eum qui dignus eſt ira,& meretur ut quis iraſcatur & iram exerceat in eum,& erit ſenſus: Ne ſocietatem uel amicitiam iungas cum eo,qui multis diſplicet, qui iram prouocat Dei uel

hominum. *Ne diſcas ſemitas eius:*) quæ ſunt alienæ à ſapientia. Vt aues laqueis capiuntur G
imprudentes, ſic homines dum temere uincuntur ab affectibus, incidunt in mala,
quibus ſeſe explicare non poſſunt. Poſſumus per dominum iræ, ipſam effrenam ani-
mæ portionem intelligere, quæ à philoſophis iraſcibilis appellatur, cui uel obtem-
perare uel amicitiam iungere mentem & rationem prohibet Sapiens, ne ſi frequen-
tius iraſci aſſueſcamus contracta conſuetudine iraſcendi, ueluti laqueo ligata mens,
ſapere deſinat.

» NOLI eſſe cum his qui defigunt manus ſuas, & qui uades ſe offerunt pro
» debitis. *Hebræum*, Ne ſis inter eos qui percutiunt manus ſtipulando, & fide H
» iubent pro debitis, uel oneribus. Si enim non habes, unde reſtituas, quid
» cauſæ eſt ut tollat operimentum de cubili tuo? *Hebr.* Si non ſit tibi ad red-
» dendum, quare capiet lectum tuum de ſubtus te?

Sub his uerbis, quæ prudentiam quandam mundanam præ ſe ferunt, altior latet ſenſus:
& ex ſuperiore ſubaudimus: Noli eſſe ſocius uel amicus cum his, qui ſeſe implicant ſti-
pulationibus in oneribus. quaſi dicat, Qui promittunt plura, quàm ſint ſoluendo, qui fi-
dei alienæ, & periculo facultates ſuas committunt. Quod tua cauſa nemo prudens face- I
ret, tu in aliena facere non debes, fideiubere uidelicet in cauſa quæ te ad egeſtatē poſsit
perducere. Videtur pendere ex præcedentibus. Iam enim prohibuit ne quis pauperem
deprædetur: uerum hoc in loco monet ne quis ſua culpa ad inopiā perueniat, quod fre-
quenter fieri ſolet imprudentibus, qui temere, cum tenues ſint, pro magnis oneribus &
opibus ſtipulantur. Vnde nonnulli omnibus ſpoliati, ne lectum quidem aut culcitram
reliquam habent. Simul & fœneratorum & exactorum crudelitatem inſimulat, qui
res uel maxime neceſſarias, in ſecuritatem uel ſolutionem alieni debiti rapere & uen-
Cap.20. dicare ſolent. Alioqui iuſsit quoque Sapiens ſuperius, Tolle ueſtimentum eius qui fi- K
deiuſſor extitit alieni. Vndique cautum & prouidum uult eſſe ſuum filium, ut ne
quid damni capiat aliena fide deceptus, neque pro debitis aliorum fideiubens ex-
trema illa patiatur, quæ fideiuſſoribus ſolent euenire. Iuxta ſenſum ſecretiorem, Af-
figunt manum fideiubentes pro oneribus alienis & peccatis, qui curam animarum
ſuſcipiunt, & epiſcopali munere fungi gaudent & ambiunt: qui ſi tenues ſint in do-
ctrina & uirtutum opibus, ut ſoluendo eſſe non poſsint, neque rationem uillica-
Luc.16. tionis reddere, ueniet tandem qui lectum auferat, hoc eſt huius uitæ amœniſsima
quæque, quibus ueluti ſtrato hactenus dormiebant mali paſtores obliti ſponſionis &
fideiuſsionis ſuæ. Poteſt quadrare prouerbium in omnes eos, qui aliorum curam ge- L
runt, ſiue patres, ſiue rectores ciuitatum & prouinciarum.

» NE TRANSGREDIARIS terminos antiquos, quos poſue-
» runt patres. *Hebræum*, Ne transferas terminum ſeculi, quem fecerunt pa-
» tres tui. Vidiſti uirum uelocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit: non ſta-
» bit coram tenebroſis uel obſcuris.

Si abſolutè dictum intelligatur, ne tranſgrediaris terminum, uel ad terminos & li-
mites in agris olim poſitos, quibus ſingulorum hæreditates deſignantur, ſpectat, uel M
ad legis præſcripta & maiorum ſententias, quibus æquum & bonum inter homi-
nes ſtatuitur ac decernitur, quæ cum ad amicitiam & concordiam inter homines
plurimum momenti habeant, temere contemnenda non ſunt à quamlibet ſapien-
te. Iuxta quoſdam ex Hebræis, ad eos dirigit ſermonem, quorum crudelitatem in
ſuperiore ueſiculo notauit: Quare lectum tuum accipiet ſubtus te? quaſi dicat, Heus
tu, qui tanto rigore fœdera exigis & debita, ab eo qui fideiuſsit, terminum & nor-

mam

A mam antiquorum patrum noli tranſgredi. Iam enim ab illis ſtatutum eſt, ne ueſtem aut ſtragulum pro pignore detineas, ſed ſub ueſperam ſemper reſtituas, cùm ſit in quo dormiat tenuis frater. Si pignus à proximo tuo acceperis ueſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei: ipſum eſt ſolum quo operitur indumentum carnis eius, non habet aliud in quo dormiat. Denique terminos patrũ tranſgredi, eſt noua dogmata excogitare, ſectas introducere, Deos alienos colere, aut ritum colẽdi Deum traditum à patribus immutare, ſecundum id quod ſcribitur: Si ſurrexerit in medio tui prophetes &c. & dixerit, eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis, non audies uerba prophetæ illius, aut ſomniatoris. *Vidiſti uirum uelocem in opere.*) quaſi dicat, in transferendis B terminis à patribus ſtatutis, nõ eſt laus aut aliqua pars ſapientiæ, ſed in tuis operibus laudem habebis, non in alienis ſtudiis & laboribus euertendis, quod ignaui & otioſi hominis ſignũ eſt. Relictis igitur his, quę ab antiquis rectè ſtatuta ſunt, integris, ad aliud quodcunq; ſtudium honeſtum cum diligentia accingere. Nam qui in opere diligẽtiam & fidẽ præſtãt, etiam regibus ſunt chari: apud reges eam ineũt gratiam, ut eorum præſentia perpetuo fruantur. *Coram regibus ſtare ſolent*) non in priuatis uerſari familiis, inter obſcuros & ignobiles. Cogita igitur quanta laus ſit & quanta uirtus in tuo labore & opere, ſtudioſum eſſe & ſedulum. Et haud dubiè quod Salomonis tempore, noſtro quoq; locum habet: nam quocunq; ſtudio, quacunq; ſciẽtia aut arte, non tam ipſa facultas cõmendat hoC minem, quàm induſtria & fides ac uigilantia. Prouerbium in genere dictũ, ad omnes ordines poteſt accõmodari: Iuxta proprietatem ſermonis Hebr. poteſt & alium habere ſenſum, nẽpe, ante reges ſtatuet ſe. q.d. Labor omnia uincit improbus, & uel ad regiã euehit dignitatẽ, maxime labor qui in uineã domini impenditur, ut ad ſpiritualem ſenſum ueniamus. Si quis cum Paulo dicere poſsit, Plus omnibus laboraui in eccleſia Chriſti, ſtabit ante reges & principes, de quibus ſcriptum eſt: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij conſtitues principes ſuper omnem terram, non coram Iudæis ubique obſcuris.

Cap. 23.

Exo. 22.

Deute. 13.

Pſal. 45.

D

CAPVT XXIII.

QVANDO ſederis ut comedas panem cum principe, diligẽter attende, quæ poſita ſunt ante faciem tuam. Et ſtatue cultrũ in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam. *Sic Hiero. confundens duos uerſiculos in unum. Hebr.* Cum ſederis ad comedendum cum principe, intelligendo intellige quod coram te eſt. Et pones cultrũ in gutture tuo: Si dominus animę ſis, uel, ſi eſt E tibi animus. Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij. *Hebræum,* " Ne deſiderio traharis ad delicias eius, & eſt, uel cum ſit, ſup. inter eas, panis " mendacij.

Quanquam fœlices uidentur habenturq; qui ſtant coram regibus, tamen accitus ad tantum honorem, magna prudentia uti debes, & moderate uiuere, ne per luxum & crapulam laudem amittas, quam ſumma induſtria & uigilãtia nactus es. Cum fueris igitur ad F menſam regiam admiſſus, iterum atq; iterum attende & conſidera quod poſitum eſt ante te. q.d. Nihil incõſiderate attingas: uel, inter comedẽdum noli properare, neque in hoc opere eſſe uelocem, ſed modis omnibus retrahe & cohibe appetitum tuum, ne quid de intelligentia tua tibi pereat. Sic enim interpretor illa uerba, *Diligenter attende quæ poſita ſunt ante faciem tuam.*) Siue ut eſt in Heb. intelligendo intellige quid poſitum ſit ante te: ut natura eſculentorum, & uini meri intellecta, nihil ſumas quod tuam impediat intelligentiam. Et quod ſequitur: *Et pone cultrum,*) exponit Aben Hezra, uel pone, copulatiuam uidelicet pro diſiunctiua particula. quaſi dicat: Si non poteris intelligere & cognoſcere naturam eorum quæ ponuntur ante te, pone cultrum in guttu-

re tuo: hoc eſt potius pone cultrum in gutture, quàm incidas in crapulam. Aliter, ſi fueris dominus animæ & compos appetitus, potius pone cultrum in gutture, quã quid delinquas. Aliter, *Si dominus es animæ.*) hoc eſt obnoxius appetitui tuo, ut nequeas temet moderari, pone cultrum in gutture: hoc eſt, cogita tantùm eminere periculum, ac ſi cultrum immitteres in gulam tuam. Denique niſi diligenter attẽderis, quid poſitum ſit ante te, tu pones cultrum in gulam, in uino uidelicet efficiens aliquid, unde capitalem ſubeas ſententiam, præſertim cùm ſis uir uel dominus animæ, hoc eſt deſiderij & carnalis, non uir intellectus & prudentiæ. Et proinde præſtaret, ſi uis ubique ſapere, præſtaret inquam, ad regiam menſam non accedere, ubi coguntur homines multa blandiri, & mentiri. & hoc eſt quod ſequitur, *Ne deſideres de cibis eius.*) In Hebræo מטעמותיו à guſtãdo dicitur, & pro cibis delicatis, qui guſtum bonum præbeut, accipitur, quibus facilius capiuntur homines: & hinc dicitur cibus ſiue panis fallax, quòd homines fallant, trahentes iurantes ad crapulam. Quod nos habemus in quo eſt panis mendacij, Hebræi legũt, Ipſe eſt panis mendacij, quod ſic exponit Aben Hezra: Ne concupiſcas de cibis illius, neq; de pane illius, cum ipſe ſit uir mendax, hoc eſt gaudens mendaciis, quaſi alioqui non ſis futurus gratus illi, niſi mentiri uelis. Et iſta quidem ſecũdum ſenſum hiſtoricum, qui prudentiam quendam ſecularem docet, utcunq; neceſſariam his, qui cum regibus & principibus uitam agunt. Alioqui iuxta ſenſum myſticum, Sedet cum rege comeſturus panem, qui ad menſam dominicam uariis ſcripturarum epulis, & ſacramentorum dapibus inſtructam accedũt, præſertim pane corporis dominici, & poculo ſanguinis Ieſu Chriſti: ad quod conuiuium quicunque accedit, iterum atq; iterum perpẽdere debet quid appoſitũ fuerit, ne reus fiat corporis & ſanguinis domini, & cultrũ ſtatuat in gutture, nõ diiudicans corpus domini: hoc eſt præſentem necem ſibi conciliet, dum ſenſum & carnalem rationem ſequens, cum Capernitis dicat: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum. Porrò ſunt qui uidentur opiparum & delicatum parare conuiuiũ ex ſcripturarum epulis, multa loquentes, ſed mendacij & erroris doctrinam apponunt. Non ergo concupiſcas quicquam ex deliciis eorum, quamlibet opiparè uerborum lenociniis conditis cum inter eas ſit panis mendacij, hoc eſt doctrina quã non agnoſcit eccleſia quæ eſt domus Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis, extra quam nemo regij conuiuij particeps eſſe poteſt.

G H I K

1.*Cor.*11. *Ioan. 6.*

» NOLI laborare ut diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum. *Hebræum,* Ne
» labores ut diteris, à prudentia tua deſine.

Aben Hezra legit utramque clauſulam cum negatione, ad hunc modum, Et ne à prudẽtia tua ceſſes: ad præcedentia ſpectat, nempe ad illũ locum, Vidiſti aliquem uelocem in opere, ſtabit ante reges, ſed quemadmodum nihil eſt mentiendum aut blandiendũ regibus, ob delitias & opiparas dapes: ita neq; laborandum ob opes & diuitias augendas, ſed ob ſapientiam potius. Nam labor qui impẽditur in opibus congerendis, à ſtudio intelligentiæ facit ceſſare, & erit ſenſus uerſiculi: Noli ſic laborare ob diuitias, ut ab intelligentia ceſſes: hoc eſt à quærenda doctrina & ſapientia, quæ præſtat opibus. Aliter, *Ne labores diuitem eſſe,*) imò ab hac prudẽtia & induſtria, qua conaris diteſcere, ceſſare debes: nam in illo labore, non eris gratus regi, ſed qui uelox eſt in opere ſtudioſo & in acquirẽda ſapientia, ſtabit ante regem. Simplex ſenſus uerſiculi eſt, diuitiarum copiam non eſſe neceſſariam ſapienti: imò impedire & occludere aditum ad ſapientiam.

L

» NE erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia faciẽt ſibi pẽnas
» quaſi aquilæ, & uolabunt in cælũ. *Heb.* Num uolare facies oculũ tuũ in illas
» & non erunt: nã faciendo facient ſibi alas ut aquila, & uolabunt in cælum.

M

Quanuis in Hebræo non ſatis cõſtat, qua de re loquatur, tamen quoniã ſuperiore uerſiculo de diuitiis locutus ſit ſapiẽs, hunc quoq; de diuitiis intelligũt omnes interpretes: de quibus loquitur Sapiens metaphorice, tanquã de rebus animatis: uel more poëtarũ, qui fabulantur Deum quendã Plutũ. Simul reprehẽdit auaritiã eorũ, qui cũ nullã artẽ exer-

ceant

A ceant honestã,per quã ditescere queant,tamen insatiabili habendi desiderio flagrant,ni- Cap. 23.
hil aliud respicientes,omnem cogitationem dirigentes eò, ut diuitias habeant, qui Sapienti nihil aliud uidentur facere, quàm si quis uelit aues solo uisu capere,cum illæ longius uolando elabantur,quàm quis possit oculis assequi.q.d.arte opus est & industria,ut in capiendis auibus. Ita etiam in acquirendis opibus, non desiderio solum,quod per illustrationem oculorum intelligimus,ut sit sensus,Sapientem in superiore uersiculo prohibuisse nimium laborem & sudorem : in hoc uero, mentis solicitudinem prohibere in congerendis opibus,uel etiam seruandis,cum ad quosdam temere accedere,ab aliis uero uel de industria,& sua sponte recedere uideãtur diuitiæ. Quod nos habemus, Ne erigas oculos tuos,ex Sep.est,qui sic habent, μὴ ἐπιστήσῃς τὸ σὸν ὄμμα πρὸς αὐτόν. Nam uer-
B bum Heb. התעיף duo significat,nempe illustrare,& uolare: quod cùm bis ponatur in hoc uersiculo,priore loco splendescere,secundo uolare interpretantur Heb. Tamen sensus eodem redit,siue legas cum Hierony. erigas oculum,siue cum Hebræis,illustraueris oculum,ut clarè prospicias:siue denique, quod mihi magis placet,uertatur, Facias uolare oculum tuum, quasi inexplebili desiderio in sequẽdo diuitias, id quod à sapiente ualde est alienũ.Porrò quod sequitur,*Volabunt in cælum,*)si ad opes referatur,insinuat à Deo dari, & à Deo auferri, Deum esse authorem omnium, & pro sua sapientia dispensare singula.q.d.neque tuis laboribus, neque mentis solicitudine putes te posse diuitias pos-
C sidere, sed Dei beneplacito. Mihi magis placet,ut de similitudine aquilæ intelligantur illa uerba,uolabit in cælum & erit sensus, Et faciendo facient sibi alas ut aquila sup.quæ uolat in cælum,hoc est in sublime admodum. In Hebr.cum sermo sit ambiguus,potest utroque referri,uel ad aquilam ut dixi, uel ad diuitias.

» N E comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius. *Hebræum,*
» Non comedes panem mali oculi, uel illius cuius oculus est malus, neque
» tenearis desiderio ciborum illius : quoniam in similitudinem arioli & con-
D iectoris æstimat quod ignorat. Comede & bibe dicet,& mens eius non est
» tecum. *Hebræum,* Nam quemadmodum æstimat in animo,sic ipse.s.loqui-
» tur.Comede & bibe dicet tibi,&c.Cibos quos comederas euomes, & perdes
» pulchros sermones tuos. *Hebr.* Buccellam comedisti,euome eam,& cætera.

Ne comedas cum homine inuido.) Septuag. qui sic uertunt μὴ συνδείπνει ἀνδρὶ βασκάνῳ,secutus est Hiero. Sunt ex Hebræis in hac opinione,ut putent aliquot esse homines,quorum oculus & aspectus damnum adferat,more crocodili : quod malum fascinus uel fascinatio uocatur,Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.Dicitur,inquit Hieron.pro-
E priè infantibus nocere & ætati paruulæ:hoc utrum uerum sit,néc ne Deus uiderit, quia potest fieri,ut dæmones huic peccato seruiant.hæc ille in epist. ad Gal.3. cap.Vtcunque sunt haud dubie aliquot usqueadeò sordidi & illiberales, ut ne buccellã quidem panis animo liberali impertiant:& quãuis ore tenus quandoque præ se ferant hospitalitatem quandam & humanitatem, dum ad conuiuium nos inuitant,tamen cùm id ex animo non faciant, rectis oculis non possunt intueri eos, nec bene uelle illis, qui ex pane illorum comedunt. Et proinde iubet Sapiens filio suo,ut neque quicquam comedat, neque desideret ex cibis illorum:imò hyperbolico sermone,iubet eum euomere,si quid comederit,hoc est pœnitere,quòd cum huiusmodi domesticam contraxerit amicitiam: & co-
F gitet se perdidisse pulchros sermones, quibus est usus in eo conuiuio,dum uel gratias ageret hospiti,uel laudaret dapes,aut denique si quid pro more in mensa locutus fuerit. Fere supra hunc sensum, qui humilis est admodum, non ascendunt Hebræi. Nos non dubitamus Sapientem altiorem sensum etiam iuxta historiam innuere uoluisse, & sub metaphora comedendi panem, doctrinam intelligimus & cibum animæ, quam non debemus ab homine inuido, siue mali oculi accipere. Malum habet oculum qui fœlicitatem & sanitatem alienam non libenter intuetur,qui ex suo animo æstimat & mensurat omnia, non iuxta mensuram quam mensus est nobis Christus,hoc est,non iuxta

euangelicam normam, qui fratrum ſalutem non minus charam, quàm noſtrã nos habe- G
re iubet. Huius panem & doctrinam, tantum abeſt ut concupiſcas, ut ſtatim ſit euomen-
dum, ſi forte quicquam ab eo didiceris, & obliuioni tradendum, imò delendum per pœ-
nitentiam: Si doctrina hæreticorum delectatus, & quã ipſi libenter impertiunt, nõ quòd
ſuis auditoribus bene uolunt, ſed quòd humanam laudem quærunt, quibus ſi conſenſe-
ris, pulchra uerba confeſsionis fidei catholicæ perdes. ad hunc modum Beda. Aliter per
metaphoram comedendi, non abſurde intelligitur domeſtica & familiaris conſuetudo
cum homine maligno oculo, hoc eſt cum homine, qui de religione Chriſtiana malè
ſentit: qui tametſi beneuolentiam præ ſe ferat erga nos, ex animo tamen ſuo æſtimat
omnes. Et proinde ſi quid contulerit in te beneficij, cum te ex animo non amet, hominẽ H
uidelicet diuerſæ ſectæ, reſtituendum eſt quod acceperis, ut liberius poſsis amicitiam
diſſoluere. Vult igitur Sapiẽs, nos uentris cauſa aut lucri, nullius hominis maligni & in-
fidelis aut hæretici ſectari amicitias, ut neque regum inire gratiam opum cauſa, ut ſu-
perius dictum eſt.

» IN auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpiciẽt doctrinam eloquij tui.
» *Hebr.* In auribus ſtulti ne loquaris, quia deſpiciet intellectum uerborum
» tuorum.

Aben Hezra uult hunc uerſiculum referri ad id quod dictum eſt ſuperius, Et perdes uer I
ba tua pulchra, quibus uſus es dum eſſes particeps menſæ hominis inuidi: à cuius cibo,
ut abſtinere debes, ita etiam à colloquio. Nam ſtultus & alienus à ſapientia contemnet
uerba, non de rebus humanis & uanitatibus, ſed uerba intellectus, quæ audiẽtibus præ-
bent intellectum & prudentiam. Iuxta Hebraiſmum, in auribus loqui, eſt ſalubrem ad-
monitionem inſtillare, ſed incorrigibilis eſt homo mali oculi, quem hoc in loco ſtultum
uocat. Et Chriſtus Ieſus ſenſum hunc expreſsit, ſed prouerbio magis iucundo, inquiens,
Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas porcis. Salomon innuit, ſtultos carere
intellectu, qui contemnunt uerba pulchra. Inſignis ſtultitiæ, aut potius impietatis eſt, K
contemnere quæ non intelligas.

» NE attingas paruulorum terminos, & agrum paruulorum ne introeas.
» *Heb.* Ne transferas terminum antiquum, & in agros pupillorum ne introeas.
» Propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe iudicabit cõtra te cauſam illorũ.
» *Heb.* Quia redemptor illorum fortis eſt, ipſe litigabit litem illorum tecum.

Quod in calce cap. ſuperioris ſumptũ eſt, repetit exponẽs quos intelligat terminos ſecu-
li, nẽpe limites in agris ab antiquis collocatos, cũ dicat, *Et in agros pupillorum ne introeas,*)
ad metendum. ſ. aut ad colligendum fructum. Aliter, ne transferas terminos, quò tuos L
dilates agros cum iniuria aliena, præſertim orphanorum. Nam quanto facilius iniu-
ria fit orphanis, & uiduis, tantò grauior eſt offenſa. Ab agris fortiorum uirorum abſtine-
re, non tantæ laudis eſt aut ſapientiæ, quantæ abſtinere ab iniuria inferenda his, qui pa-
tre & defenſore carent in terris. Carent iuxta opinionem ſtultorum: ſed quid ſapientia
dicat audiamus. *Redemptor eorum fortis eſt.*) q. d. Longe deciperis, ſi putes te impune pu-
pillorum agros ingredi poſſe, fundos occupare per uim. Reddes aliquando rationem, &
cum potentiſsimo aduerſario cogeris aliquando litigare. Qui redemit filios Iſraël à ſer-
uitute Aegyptiaca per manum ualidam, & brachium extentum, collocauit in terra Cha M
naam, & per ſingulas tribus, & familias terram diuidi iuſsit, ut quiſque ſuis finibus &
agris eſſet contentus: qui hæc, inquam, omnia fecit inuitis regibus, reclamantibus po-
pulis & nationibus, infirmorum non tuebitur hæreditatem? Ex his quæ fecit, illius fortitu
dinem poteris æſtimare. Atque hæc quod ad hiſtoricum ſenſum ſpectat. Quod uero
ad myſticum, præter ea quæ diximus ſuperius, adiicimus: Reges & principes, qui uel ec-
cleſiaſticam authoritatem ſibi uendicant, uel eccleſiaſtica bona contra ius & fas fiſco
applicant, aliquando reddituros rationem potentiſsimo iudici, ſiue litigatori & patro-

no

A no pauperum, tanquam limitum & terminorum tranſgreſſores, tanquam per uim & iniuriam pupillorum inuadentes agros. Iam enim ab apoſtolis in huiuſmodi rebus ſunt fines poſiti, inter ſecularem & eccleſiaſticam functionem manifeſtè diſtinguentes. Quos utinam nemo tentaret transferre neque mouere. Tentãt autem paſsim per orbem Chriſtianum, principes & magiſtratus, qui fortiſsimum orphanorum redemptorem Chriſtũ Ieſum litigantem cum ipſis aliquando ſentient. Cap. 23.

„ INGREDIATVR ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad uerba ſci-
„ entiæ. *Heb.* Introduc ad diſciplinam cor tuum, & aurem tuam ad eloquia
„ ſcientiæ. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum uir-
B „ ga, non morietur. *Hebræum*, Ne prohibeas: Tu uirga percuties eum, & ani-
„ mam eius de inferno liberabis.

Quanuis non multum interſit, quòd ad ſenſum ſpectat inter uerſionem noſtram, nempe, ingrediatur cor tuum ad doctrinam, & Hebræam ueritatem, fac ingredi ad conditionem ſiue diſciplinam cor tuum: tamen hæc plenior eſt, & efficacius ſignificans multos non habere dominium neque regimen cordis, neque potentiarum animę, ut qui ab affectibus & perturbationibus rapi uidentur. Et quoniam ad uana deſideria trahuntur iu-
C uenes, ad uoluptates & uanitates huius uitæ, uel in primis neceſſarium eſt, ut hic ſe uincant, ut ex animo uelint ſapientiam acquirere. Sic interpretor, *Introduc ad diſciplinam cor tuum.*) Fac ut ex animo uelis diſcere, hoc eſt uince reliquas cogitationes, quæ cor tuum à doctrina alienum reddunt. Aben Hezra, Fac tuum cor uenire ad domum, ſiue locum, ubi ſapientiam diſcas: id quod conſuetudine fiet, quæ moleſtiſsima facilia facit. *Et aures tuas ad eloquia ſcientiæ,*) adducito, ſup. Videtur alludere ad conſuetudinem, qua uulgò ſolent pueri, ad præceptores per pædagogos adduci, ut literas diſcant. Quod alij facere coguntur, uult ſuum filium ſponte facere, auertere aures ab indoctis nugis, & cãtilenis, & in ſalubri doctrina audienda ſeſe oblectare. Sed cum ſtultitia ſit ligata fere in corde
D pueri, ut rariſsimus ſit, qui in ea ætate ſapiat, ad præceptorem ſiue parentes ſermonem dirigit. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam:*) hoc eſt, ne ſic diligas filium, ut caſtigari nolis. *Cum uirga percuſſeris eum, non morietur.*) q.d. multi ad mortem ante diem perueniunt, quod pueri à parentibus non uapulauerunt, ſed in omni licentia educati, neque cor ad doctrinam, neque aures ad uerba ſcientiæ uolentes applicare, flagitia digna morte nonnunquam committunt, ad quam mortem uirga percuſsi minime deueniſſent. *Tu percuties eum uirga,*) unde damnum capere non poteſt, & eris in cauſa, ne ſecuri percutiatur: atque ea ratione eripies animam eius ab inferno: ſiue à ſepulchro (ut interpretantur Hebræi) liberabis, hoc eſt uitam illius ſeruabis, iuxta priorem interpretationem, dum bene
E inſtitutus & doctus in iuuentute, nihil committit morte dignum.

„ FILI mi, ſi ſapiens fuerit animus tuus, gaudebit cor meum tecum. *Heb.*
„ Fili mi, ſi ſapiens fuerit cor tuum, gaudebit cor meum, etiam ego. Et exulta-
„ bunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua.

Sunt ex Hebræis, qui ſubtilius explicant hęc uerba, Gaudebit cor meum, etiam ego, & exultabunt renes mei: ut in corde uulgaris lætitia intelligatur: eſt enim cor membrum gaudij, inquiunt. Sed per hæc uerba, etiam ego, intelligatur mens & ratio, quæ proprie
F homo eſt: per renes uero, lætitiam incredibilem. Nam non ſunt inſtrumẽtum gaudij renes, ſed concupiſcentiæ, hęc illi. Neceſſaria & utilis admodũ eſt pueris & adoleſcentibus tempeſtiua correptio, quam amãs pater à filio ſuo non prohibet, ſiue ſubtrahit, ídq; magno erga filium amore, cæleſtem patrem imitatus. Quem enim diligit caſtigat. Sed adoleſcẽtes longe aliter ſentiunt, parũ uidelicet amare patres, qui flagellant filios, quod etiã teſtatur Paulus: Omnis diſciplina in præſenti, quidem uidetur non eſſe gaudij, ſed mœroris. Et hinc eſt quod Salomon, poſt ſermonem de conceptione filij ſui, ſtatim oſtendit, quanto eum proſequatur amore, utputa in quo magnum ſolatium habeat, neque ulla *Hebr.* 12.

in re magis ſeſe oblectet, quàm in ſapientia filii ſui, hoc eſt quòd modis omnibus co- G
Ioan. 17. natur, nempe reddere filium ſapientem: ſapientem, inquam, in corde. Nos fidem in unum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, qua corda purificantur intelligimus, & ſuper quam gaudet Apoſtolus, & Salomon hoc in loco de ſapientia cordis filij ſui, & de confeſsione oris, hoc eſt, *Cum locuti fuerint labia tua recta, exultabunt renes mei.* Aliter, labia recta loqui, eſt bene dicere. Manifeſtius enim eſt labiis loqui quàm corde ſapere, hoc eſt apud ſe doctum eſſe. Datur doctrina parentibus hoc in loco, ut recte inſtituant liberos in uera ſapientia, hoc eſt cultu Dei & fide, in eloquentia ut recte loqui diſcant, & quam in corde ſapientiam reconditam habent, eam recte profiteri & defendere ualeant.

» NE æmuletur cor tuum peccatores, ſed in timore domini eſto tota die. H
» Quia habebis ſpem in nouiſsimo, & præſtolatio tua non auferetur: uel, ſpes
» tua non ſuccidetur.

קנא ut æmulari, inuidere ſignificat, ita & imitari cum ſtudio: iuxta quam ſignificationē, erit ſenſus prioris uerſiculi, Noli imitari peccatores, uel ne deſideres ſequi rationem uiuendi peccatorum, uel denique ne inuideat cor tuum fœlicitatem peccatoribus, ſed imitare hominem timoris domini, & talem eſſe deſideres, non qualis eſt peccator. q.d. Sapiens ad filium, opto te eſſe ſapientem in corde, eloquentem in labiis, ſed cum timore domini. Et proinde propone tales imitandos, in quibus eſt timor domini, non eos qui I
male uiuunt, quantunuis alioqui uideantur ſapientes, aut eloquentes. Et iuxta hanc expoſitionē pendet ex præcedētibus, ſed melius refertur ad ſequētia: *Quia habebis ſpē.*) Qui ſunt periti linguæ, obſeruēt כי אם hoc in loco, nō pro ſed, uulgari modo capi, ſed affirmatiuè accipi pro הנה reuera, uel interrogatiue pro הלא, nōne eſt tibi merces uel ſpes. q.d. tibi & omnibus qui uiuunt in timore domini, eſt ſpes mercedis æternæ. Alij exponunt אחרית non ſpem, ut Hiero. ſed poſteritatem, uel denique pro longirudine dierum. Prior expoſitio eſt melior. *Et expectatio tua non excidetur.*) ſed ſpes peccatorum peribit. Aemulari igitur oportet eos, qui timent dominum, non aliquando, ſed tota die, non in hac K
uita, ſed in futura mercedem præſtolari: nam proſperitas peccatorum, infirmis magno
Pſalm. 53. ſemper fuit ſcandaloē, dicte Dauide, Mei autem pene moti ſunt pedes, pacem peccatorum uidens.

» AVDI fili & eſto ſapiens, & dirige in uia animum tuum. *Hebræum*, Cor
» tuum.

Et quod nos habemus, ſapiens eſto, uerti poteſt, ſapiens eris. Porrò dirige quod in Hebræo eſt אשר uerti poteſt, facire, uel deducito cor tuum. Quod ad ſenſum ſpectat, ordinem uerborum obſeruamus: primus gradus ad ſapientiam, eſt audire & L
obtemperare recte monentibus, qua ratione comparatur intelligentia. Nam ſapere non poſſunt iuuenes niſi audiant, & poſt doctrinam ſequitur opus. Dirigere per
2. Cor. 10. uiam cor, eſt iuxta præſcriptum diuinæ legis uiuere: non ſequi cor noſtrum & ſenſum noſtrum, ſed redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Quaſi præfatiunculam hunc uerſiculum præmiſit, dicturus de conuiuiis & compotationibus, à quibus non ſine magna difficultate abſtinent iuuenes.

» NOLI eſſe in conuiuiis potatorū, nec in comeſſationibus eorum, qui car-
» nes ad ueſcendum conferunt. *Hebræum*, Ne ſis inter compotatores uini: in- M
» ter comeſſatores carnis ſibi. Quia uacantes potibus & dantes ſymbola, con-
» ſumentur, & ueſtietur pannis dormitatio. *Pro uoce Hebræa, quam ſuperiori uer*
» *ſiculo comeſſatores recte uerterat interpres, hic ſymbolum ſubſtituit. Hebræum,*
» Nam potator & comeſſator ad pauperiem redigetur & laceras ueſtes, uel
» detritos pannos induet dormitatio.

Iuuentus ipſa ad luxum & otium prona eſt, præſertim ubi coæqualium turba conuenerit,

A rit,qui ſeſe mutuo ad ebrietatem & comeſſationes inuitant. Quæ res obſtant uel maxi- Cap. 23.
me ſapientiæ diſcendæ. Nam ad inopiam deueniunt comeſſatores,cõſumptis rebus nihil lucrantur,ſed ſomno indulgentes,ueſtitu quoque carent honeſto.Iſti quàm longiſsime ſunt alieni à uera ſapientia,qui ne præſentem quidem uitã cum honeſtate tueri poſſunt:ſed crapula & ebrietate, & ſomno,contemptibiles ſeipſos reddunt & pãnoſos:unde magnum dedecus redit ad parentes, qui non rectè inſtituerunt filium ſuum: uel potius ad iuuenem,qui rectè monentibus noluit auſcultare,unde ſequitur.

» AVDI patrem tuum qui genuit te, & ne contemnas cum ſenuerit ma-
» ter tua.

B Non eris inter ebrios & comeſſatores,ſi patrẽ audire uolueris qui te genuit. quaſi dicat, nemo te charius amat quàm pater. Bibaces & edaces amici menſæ duntaxat,ſuum quærunt commodum,nõ tuum honorem: nullus eſt pater uſqueadeò alienus ab effectu naturali & amore paterno,qui non cõmonefaciat aliquãdo filium,quod ex re ſua eſſe poſſit:matres quoque de liberis ſunt admodum ſolicitæ, quæ tametſi uetulæ prouectioris ætatis non uideantur tantum ſapere,neque ualere conſilio,tamen à filio ſapiente honoranda,non contemnenda eſt mater. Pater uero eſt auſcultandus potius quàm compotatores. Deum patrem audiendum,& legem matrem non eſſe cõtemnendam,per allego-
C riam etiam Hebræi intelligũt. Nos præterea ſpiritualem in Chriſto Ieſu generationem agnoſcimus,per concionatores uerbi Dei,ut ſcribitur, In Chriſto Ieſu ego uos genui,& matrem habemus Chriſti ſponſam eccleſiam catholicam,quam mũdauit ſanguine, quæ contemnenda non eſt,etiam ſi pulchritudine uirtutum non tam ornata fuerit, ut olim martyrum nece,& monachorum cõtinentia, ac uirginum integritate:pulchra ut ſol,electa ut luna,ut ſine macula eſſe uideatur.

» VERITATEM eme, & noli uendere ſapientiam & doctrinam & in-
D telligentiam.

Metaphorice ſignificat nihil charius habendum, quàm ueritatem, quam omnibus uenditis,ſi opus eſt,comparare debemus,iuxta parabolam euangelicam:Simile eſt regnum *Matt.* 13.
cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inuenta una precioſa, uidelicet ueritate catholica, dedit omnia ſua & comparauit eam. Omnes ſcientias, omnes artes & opes,contempſit præ illa:nam quę uendimus, uilius æſtimamus: quæ uerò eminus,pluris facimus.Idcirco nihil horum,neque ſapientiam neque doctrinam neque intelligentiam debemus uendere,hoc eſt uili æſtimare.Sũt ex Hebræis qui ſimpliciter intelligunt,cõducendum, ſi opus eſt,præceptorem, quò ueritatẽ diſcas,hoc eſt nullis par-
E cendum ſumptibus, ut ſapiens euadas. Verum docere gratis debes, neque pecuniis aut rebus caducis æſtimanda ſunt ſapientia & ueritas.Gratis accepiſtis, gratis date. Aliter, ſi *Matt.* 10.
uerbum קנה quod hoc in loco habetur,ſignificat poſsidere,ad hunc modum uerti debet, poſside ueritatem, & erit ſenſus in ueritate poſside quæcunque poſsides, & ſine iniuria alterius,& ne uendas ſapientiam,hoc eſt,Noli perdere uel amittere ſapientiã.dum poſſeſsionem acquiris alicuius rei abſque ueritate,uideris uendere & alienare à te ſapiẽtiam:quod ne fiat,ullam poſſeſsionem pluris æſtimans,ſuperius monuit,In omni poſſeſ- *Prouer.* 3.
ſione tua poſside ſapientiam.

F EXVLTAT gaudio pater iuſti, & qui ſapientem genuit, lætabitur in eo.
» *Hebr.* Exultando exultabitur in eo. Gaudeat pater tuus & mater tua,& exul-
» tet quæ genuit te, uel,exultabit genitrix tua.

Iuuenes ad probitatem & uirtutis amorem inducere, & à uiciis deterrere modis omnibus conatur Sapiens, nunc minas addens, uirgæ facit mentionem: nunc exultationis & lætitiæ,quam unà cum parentibus capiunt morigeri & ſtudioſi filij.Obſeruandum eſt non multum eſſe diſcriminis apud Salomonem, inter iuſtum & ſapientem, ſed unum

pro altero poni. Porro repetitio exultationis & gaudij plenitudinem & magnam co- G
piam lætitiæ ſignificat. Exultando exultabit pater iuſti. Duplex eſt exultatio, quòd fi-
lium habeat & hæredem, per quem nomen inter homines relinquet, per quem immor-
talis quodammodo uiuet in mundo, & uiuet cum laude, qui tanta cura educauit filium,
ut iuſtus eſſet & ſapiens. Cum hanc de ſe exiſtimationem ſit relicturus, meritò exultan-
do exultabit pater ſapientis filij: *Lætabitur pater tuus & mater.*) Si paternus non te moueat
affectus, ſi uſqueadeò ingratus es & inhumanus, ut neque naturę neque pietatis legibus
cohiberi poſsis, hoc eſt patris cauſa cogi ad uirtutis ſtudiũ, ad iuſtitiæ culturã, & ad ſapiẽ-
tiæ amorem, ſaltem maternus te moueat affectus. Vt ſtultus filius triſtitia eſt matris, ſic ſi
iuſtus ac ſapiens fueris, lætabitur mater tua: æquum eſt ut uices illi rependas, tua cauſa
grauiſsima quæque perpeſſa eſt, dolores ſuſtinuit immẽſos. Iuxta pœnam primæ mulie- H
Gene.3. ri inflictam, Multiplicabo ęrumnas tuas & cõceptus tuos, in dolore paries filios. Qui do-
loris igitur cauſa extiteris, uiciſsim lætitiæ materiam præbe, da operam ut mater tua de
tua gaudeat probitate. *Et exultabit genitrix tua.*) uel eſt geminata ſententia, uel nutricẽ cũ
aliquot expoſitoribus intelligimus, cuius memoria eſt uiris probis iucunda & honora-
bilis. Atqui ita totius familiæ lætitiam expleas ſolus, quod ut præſtes, ab iis uitiis maxime
cauendum eſt, quibus eſt maxime obnoxia iuuentus.

" PRAEBE fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui uias meas cuſtodiãt. Quia
" fouea profunda meretrix, & puteus anguſtus aliena. Inſidiatur in uia quaſi I
" latro, & quos incautos inuenerit, interficiet. *Hebræum*, Etiam ipſa quaſi præda
" inſidiabitur, & transgreſsores inter homines addet, uel, augebit.

Superius contra luxum & crapulam iuuentutis, hoc loco contra libidinem & impudici-
tiam dicturus Salomon, & crebris & efficaciſsimis admonitionibus utitur, quòd hæc ui-
tia altius eorum animis inhæreant: & proinde cor ſibi petit dari & oculos, qui ſunt uelut
feneſtræ, per quas ingrediuntur uana & nocua deſideria ad animum. Dare ſapienti cor, K
eſt ex animo & libenter uelle audire illius præcepta, quas uias ſuas uocat. Petit ut oculi
Mat. 5. cuſtodiant uias ſapientię, ne uideant mulierem ad cõcupiſcendam eam. Et hoc eſt quod
ſequitur: *Fouea profunda meretrix.*) Foueæ profundæ comparatur, uel quòd nullus ne-
que modus neque finis ſit in amore meretricio, creſcente uidelicet cum ſtupro & formi-
catione, peccandi deſiderio & libidine, uel quòd ut ab alta fouea facilis non ſit aſcẽſus,
ſed collapſus ſemel de uita periclitatur: ita qui ſemel in amplexus meretricũ incidit, ſeſe
facilè extricare non poterit, ſed illius uoluntati cogitur inſeruire, & ſequitur tanquã bos
ductus ad uictimam, ut ſuperius lectum eſt. *Et puteus anguſtus aliena,*) ut hinc nequeas
euadere, aut aſcendere facilè non poteris, ita tot anguſtiis implicãtur, qui impudico mu-
lierum amore ſemel ſunt comprehenſi, ut amplius ſui iuris eſſe nõ uideantur. Sequitur: L
Etiam ipſa inſidiabitur ueluti prædæ.) Si legamus cum Hierony. ueluti prædæ, erit ſenſus,
Meretricem non minus neci & pernicioni iuuenum inſidiari, quàm ſuis prædis latro-
nes: unde multos ad præuaricationem legis cogit & addit. Aliter, inſidiari ſolet meretrix
capiendis iuuenibus, ut latro inſidiatur prædæ ſuæ, hoc eſt nemini parcens. Sed ut ille
maxime inſectatur quos auro onuſtos nouit, ita hæc uirtutibus ornatiſsimos quoſque.
Porrò ut latro ſuos habet comites, ita ſcortum homines præuaricatores ſibi ſolet adiun-
gere. Sed de ſenſu hiſtorico ſuperius uariis in locis dictum eſt. Quòd ad ſublimiorẽ ſen-
ſum ſpectat, ualde profunda fouea eſt peruerſa doctrina & hæreticorum dogmata: qui M
tanquam meretricem aliam eccleſiam ſibi ſtatuunt, relicta uera Chriſti ſponſa: profun-
da inquam fouea, in qua tã facile ſubmerguntur homines, à qua magna difficultate e-
mergunt. Fouea profunda eſt hæreticorum doctrina, ut quæ fundum nõ habet, nec ſta-
bile fundamentum: ut ſcribit Hierony. Tandiu quærunt hæretici noua ueteribus iun-
gere, & eadem recentioribus mutare, donec & ſenſus humanus & ſermo deficiant. Hæc
ille ſuper quintum cap. Eſaiæ. Porrò hæreticorum inſidiæ, quibus conantur in ſuam ſe-
ctam trahere rudes & imperitos, ſunt hoc noſtro ſeculo, heu nimium noti, tot præuari-

cationibus

A catoribus inter homines conſtitutis, peruagante uidelicet ubique Lutheranorum ſecta. Cap. 23.
Sed pœnas dabunt,& qui meretricum amore, & qui hæreticorum fraude capiuntur, iuxta ea quæ ſequuntur.

" C V I uæ, cuius patri uæ,cui rixæ,cui foueæ,cui ſine cauſa uulnera,cui ſuf-
" foſsio oculorum? *Hebræum*, Cui uę, cui dolor, cui lites, ſiue rixæ, cui locu-
" tio,cui uulnera ſine cauſſa, cui rubedo oculorum? Nón ne his qui commo-
" rantur in uino,& ſtudent calicibus epotandis? *Hebræum*, Morantibus in ui-
" no, euntibus ad quærendum mixtum. Ne intuearis uinum quando flaue-
B " ſcit: cùm ſplenduerit in uitro color eius, ingreditur blande. *Hebr.* Ne intuea-
" ris uinum quando rubeſcit, cum dederit in calice colorem ſuum. Ibit per
" rectitudines, ſed in nouiſſimo mordebit, ut coluber, & ſicut regulus uene-
" na diffundet. *Hebr.* In nouiſsimo ſuo ſicut ſerpens mordebit, & ſicut regulus
" dolore afficiet,uel punget.

Modis omnibus filium conatur retrahere ab his uitiis, quibus iuuentus maximè eſt obnoxia, & ad ſanam mentem & ſapientiam perducere. Quod potiſsimum decet iuuenes
C facere,timore & amore parentum, ut pater & mater gaudeant de probitate filij. Quod ſi uirtutis amore parere noluerint,ſaltem timore pœnæ,& criminum turpitudine diſcãt à craſsis uitiis carnis, nempe luxu,libidine & crapula cauere. Ferunt enim hæc uitia, ſua ſecum mala atque cruciatus. De libidine & amore meretricio, & quantas ſecum trahat anguſtias,& uincula, à quibus non poſsis teipſum extricare, cum ſemel fueris irretitus, dictum eſt. Nunc de reliquis audiamus. *Cui uæ, & cuius patri uæ.*)ſic ſolus Hieronymus,in duas uoces reſoluens unicam dictionem Hebræam duntaxat, iuxta lectionem hodiernam omnium. Et omnino ſi proferantur hæ uoces אבוי & אבאוי, & non cernantur oculis, per ſolum auditum, diſcrimen ponere non poſsis, quanuis in ſignificatione
D diſcrimen ſit latiſsimum. Nam prima,quam in contextu habemus, Hebræo ſignificat uæ,ſiue paupertatem,uel mendicitatem. In ſecũda uerò ut Hiero. hoc in loco intellexit, ſunt duæ dictiones, nempe אב pater, & אוי uæ. Hieron. uero non ex ſcripto, ſed ex auditu tranſtuliſſe facilè adducor ut credam. Quandoquidem teſtatur alicubi ſe tres Salomonis libros triduo latinitati donaſſe. A Septuaginta omiſſa eſt hæc particula: nam cui tumultus legunt,ad Hebr.ueritatem proprius accedentes. Hebr. אוי uæ & אבוי duas dolentium uoces interpretantur.q.d. cui tantę contingent anguſtiæ, & miſeriæ, ut ohe, & aohe clamare cogatur,in corpore uidelicet malè affectus,& in rebus ad mendicitatem redactus. Cui rixæ,Septuaginta *τίνι θόρυβος*,cui tumultus. Leui Ben Gerſon, diſſenſiones irritationes quæ inter pocula oriri ſolent, cum magno compotatorum dedecore. Cui
E foueæ,in Heb.שיח,etiam hoc loco uidetur Hieron.legiſſe,uel ſine punctis,uel ex auditu non ex ſcripto traduxiſſe. Leuiſsimum diſcrimen eſt inter ſchin & ſin literas, cum quarum priore ſcribitur שיח uerbum, quòd inclinare ſignificat: unde nomen שיחה,fouea. Cum ſecunda uero uerbum השיח meditari,loqui: unde nomen שיח meditatio,locutio, & loquacitas in malam partem. Hanc poſteriorem lectionem, & ſignificationem omnes ſequuntur interpretes,& loco magis quadrat,ut ſub poculis naſcantur lites & ſermones inamœni & nocentes: obiurgationes uidelicet, ex quibus ſequuntur pugnæ & uulnera.
F Vnde ſequitur, *Cui ſine cauſa uulnera*:)uel quòd temere inter ebrios oriantur pugnæ & plagæ, aliquando inter amicos,& ob rem nihili,uel quòd uulnera ſine cauſa,& fruſtra ſuſtineant homines,ſi quæ ſuſtineant, non in defenſione patriæ, nec ob bonum publicum. *Cui ſuffoſsio oculorum*)alij rubedo oculorum,neque poteſt aliter intelligi iuxta Hebræos. Hiero. fuit offenſus,ni fallor, ea ſignificatione uocis,cum alibi ſumatur in bonam partẽ: nempe, Rubicundiores oculi eius uino. Nõ uidebatur congruere idem elogium ebrio- *Gene. 49*
ſis aptare,quos reprehendit:& Meſſiæ,quem ſpiritu prophetico laudauit Iacob. Septuag. liuidos oculos interpretantur, ſiue nigros, *τίνος πελιδνοὶ οἱ ὀφθαλμοί*; Latini codices ali-

quot, quos caſtigatiores eſſe puto, habent ſuffuſio oculorum, quemadmodum legit & G
interpretatur Beda, ad caliginem & cęcitatem oculorum referens, quæ ex immodico ui-
no quandoque accidit. Connumeratis plurimis malis & maximis damnis, quorum etſi
non omnes omnibus compotatoribus accidant, omnibus tamē ex his aliqua contingūt,
uel corporis totius uæ & miſeria, uel uæ in rebus externis ad mendicitatem deuolutis
contigit. Aliis contingit oculorum cæcitas, & rubedo totius oris, alij uel accipiunt, uel
infligunt uulnera per inſaniam, alij linguæ impotentiam frenare non ualentes, rixan-
tur & obiurgant, pluſquam muliebriter. Sunt denique, qui in futilem laxant linguam
uerboſitatem, poſteaquam cerebrum occupauerit uinum, ut amplius pro hominibus ha
beri non poſsint. Hæc longè abſurdiſsima ob oculos ponens, per admirationem, uel in- H
terrogationem, auditoris animum ſuſpendit. Vt ſi qui fuerint huic uitio ebrietatis obnoxij, tantas tamen abſurditates non poterunt non condemnare, non abhorrere. Sic abſolutè præpoſitas, quas ſi ſtatim cum uini amatoribus coniunxiſſet, minus idoneos, minúſque beneuolos aliquot habuiſſet auditores. Nunc uerò tot connumeratis malis, quæ nemo uel ſenſu communi præditus poſſit comprobare, tandem ad eos qui dies noctésque potando conſumunt ſubito deflectit ſermonem, ut iam uel nolētes ſua uitia cernere ueluti in ſpeculo cogantur, qui alioqui huic oculos flectere noluiſſent. Sequitur. *Nonne his qui morantur in uino?*) abſque interrogatione legunt Hebræi. His qui protrahunt tempus, ſup. uel qui ſeipſos immorari faciunt & tempus conſumere, & ſic Septuaginta τοῖς ἐγ- I
χρονίζοντες ἐν οἴνοις, ſuper uinum quærentes, non ſolum plurimum uini bibere, ſed quàm plurimum tempus inter bibendum conſumere. *Et ſtudent calicibus epotandis.*) Hebræum, His qui eunt ad inueſtigandum mixtum, uel potius temperatum uinum: uel qui quærunt locum, ubi uina miſcentur, hoc eſt conuiuia celebrantur. & ſic Sep. οἱ τὴν ἐχθύοντων πῦ πότοι γίνονται; Nonne inueſtigantium ubi conuiuia fiunt? *Ne intuearis uinum quando flaueſcit, uel rubeſcit*) ut eſt in Hebræo. Quanuis iſta uideantur leuia, tamen uiſum eſt Sapienti minima non eſſe negligenda. Nam ex paruis initiis res maximæ naſcuntur, & ab
1. *Theſſ.* 3. omni ſpecie mala abſtinete uos. In contrariam partem flectenda eſt uirga curua, ut ali- K
quando recta fiat. Qui his uitiis ſunt obnoxij, nempe crapula & ebrietate, amputare occaſiones, non prouocare, uel accēdere gulam debent. Accenditur autem dum quis nō naturæ neceſſitati ſatisfacit, ſed otioſé ſenſus oblectat. Quod in contextu habemus, de colore uini non contemplando, ad quaſcunque ſenſuum illecebras referri poteſt. q.d. ut hi qui ſeſe oblectant poculorum aſpectu, plus iuſto nonnunquam bibunt (*Nam rectius ibit:*) hoc eſt maiore facilitate & dulcedine per fauces uidetur deſcendere merum, quod oculis uehementer placuit: ita in reliquis morbis animæ, ingens ubique ex ſenſibus ad mentem & rationem ſubuertendam comparatur aditus. Ne cōtempleris igitur uinum, hoc eſt externos cohibe ſenſus, per quos recto tramite uoluptates ingrediuntur ad ani- L
mam, & uitia carnis facile ſuperabis. Nam ut uinum, quod ualde placuit oculis, ſine obſtaculo ingreditur, ſic uix poteſt animus recuſare, quod externis ſenſibus ſæpe ingeſtum, uehementer arriſit. Et proinde initia uoluptatum, quæ blanda ſunt, ſed exitus qui ſunt acerbiſsimi ſpectare debes: magna cum amœnitate ingreſſum eſt uinum, ſed poſteà mordebit ut coluber, dum rationis integritatem euertit, dum corporis contemperaturam confundit, & ex homine porcum facit aut canem: imò ad inſaniam transfert, non minus quàm ſi quis à colubro aut regulo fuerit ictus. Hæc abſurda, & alia quæ ſequuntur in contextu, ante uidere oportet, & cohibere ſenſus.

M

» OCVLI tui uidebunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa. Et eris ue-
» luti dormiens in medio maris, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo.
» *Heb.* Et eris ut dormiēs in corde maris, & ſicut dormiēs in capite mali. Et di-
» ces, uerberauerūt me, ſed non dolui: traxerūt me, ſed nō ſenſi, quādo euigila-
» bo & rurſus uina reperiā? *Heb.* Verberauerunt me, non ægrotaui: concuſſe-
» runt me, non cognoui: quando expergiſcar, addam, inueſtigabo illud.

A Adhuc prosequitur Salomon, absurda quæ sequuntur ex immodico uino, quod immo- Cap. 24.
dice hausтum post euersam mentis serenitatem, & inductam insaniam, in somnum grauem & amarum resoluit hominem. *Oculi tui uidebunt extraneos.*) Visiones intelligunt maior pars interpretum. Aben Hezra subintelligit mulieres extraneas: ut sit sensus nō alienus ab eo, quod scribit Hieron. alicubi, Venter æstuans mero, spumat in libidinē: Alioqui, mihi magis arridet prior expositio. Visiones intelligimus, siue quæ in somnis, siue quæ mentibus ebriorum occurrunt: unde & corda eorum loquuntur peruersa, ueritati contraria, uel contraria æquo & bono: ídque ex animo, non iocando aut ridendo, ut solent, qui hilaritatem quandam præ se ferunt: sed hi qui uino mordentur, in rebus uanis
B & somniis similibus sunt uehemētes. Aliter, cor tuum loquetur, cogitabit peruersa, cum oculi tui uiderint mulieres extraneas, hoc est, alterius familiæ, quę non sunt neque sorores neque uxor tua, uel quæ sunt alterius religionis & sectę, captum uidelicet illarum amore, iniqua cogitabit cor tuum, nempe, te uelle eis potiri per fas uel nefas: quod peruersum, & legi Dei contrarium est. *Et eris uelut dormiens.*) Qui dormiūt uel iacent in naui, putant omnia moueri, & seipsos quiescere: idem contingit ebriis, putant terram moueri. Aliter, eris uehemēter iactatus, ut ne dormire quidem possis quietè: quasi dicat, neque uigilare cum decoro, neque dormire cū quiete poteris. Nam qui in summitate mali dormire conātur, iactationes grauissimas patiuntur. Aliter, ut sit metaphorica locutio:
C Eris tanquam nauclerus, qui stertit, dum per medium maris nauigat, penes quem totius nauis salus est: aut, eris uelut ille, qui in summitate mali constitutus, quatenus uel de aduentu piratarum significet, uel portum & terram speculetur: ut istis inquam dormientibus, dum per medium maris nauigatur, omnium qui in mari sunt, periclitatur salus: Sic erit is, qui uino sepultus absurda siue cōtraria aliis hominibus, & uidet & loquitur, nauē suam in cursu huius uitæ recte gubernare non potest. Nam dormiente nauclero, hoc est mente & ratione (dormit autem quando uoluptatibus uacant sensus) reliqui nautę, hoc est reliquæ potentiæ, frustra laborant remigando. Sicut absente Christo tota nocte apo- *Luc. 5.*
stoli laborantes nihil ceperunt. Nam mens reliquis animæ uiribus præesse debet, & ui-
D gilare ueluti in summitate mali nauis, ne à piratis aut prędonibus spoliata nauicula corporis nostri submergatur ac suffocetur à uoluptatibus huius uitæ. *Percusserunt me.*) Cum multis modis misera sit conditio ebriorum, in hoc tamen miserrimi sunt, quòd sua mala minime omnino sentiant. Nam iniuriam accipiunt & opprobria frequenter, nonnunquam etiam uapulant: ut possit dicere unusquisque eorum, Percusserunt me: hoc est, uel re uera plagas passus sum & uerbera sustinui, uel iniurias sustinui & irrisiones & scommata: & tamen non ægrotaui, non sum læsus. *Traxerunt me:*) uel ut est in Hebræo, Fregerunt, cōtriuerunt me, & non noui. s. quis fecerit, uel non noui me tam absurda passum, donec expergiscerer. Sed omnium denique absurdissimum est, quod cum sentiant se o-
E mnium esse miserrimos, obnoxios iniuriis, obnoxios tot malis, & tamen statim ubi ex- 2. *Pet. 3.*
citantur, ubi ad se redierint, ad eadem mala tanquam sus lota ad uolutabrum, redire festinant.

CAPVT XXIIII.

F NE AEMVLERIS uiros malos, nec desideres esse cum illis. *Heb.* Ne æmuleris uiros mali. Quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.

Quod superius dicere instituerat, hoc in loco absoluit. Nam paulò superius lectum est, Ne æmuletur cor tuum peccatores: quod exponendo addit, nec desideres esse cum illis. Quod superius peccatores, hoc in loco appellat uiros mali, qui malum facere gaudent & student, iuxta id quod sequitur: *Quia rapinas meditatur cor eorum.*) Qui sapientiæ studiosus est, & uirtutis ab huiusmodi hominibus quàm alienissimus esse debet. Ignara & indocta iuuentus putat, aliquando fortunatos &

fœlices, qui ſine labore & ſudore ad maximas opes perueniunt, per fraudem & rapinam: ſed hæc proſperitas non eſt imitanda neque deſideranda. Socius & particeps cum iſtis, non erit filius ſapiens, cum cor iſtorum meditetur rapinam & iniuriam facere, contra præſcripta legis diuinæ: mens uero iuſti meditabitur obedientiam. In primis refert quibuſcum uerſetur, & aſſueſcat iuuenis: ab omni conſortio fortaſsis malorum cohiberi non poteſt, ſed ab his, qui nihil aliud crepant, quàm iniurias & rapinas, declinare debes, ne captus lucro, diſcas rapinis & iniuriis compendia facere, cum uideas illorum familias auctas rebus male partis: ſed finem ſpectare oportet: nam non rapina, ſed ſapientia augetur res familiaris, iuxta id quod ſequitur. G

Prou.15.

H

» SAPIENTIA ædificabitur domus, & prudentia roborabitur, uel intelli-
» gentia ſtabilietur. In doctrina replebũtur cellaria uniuerſa, ſubſtantia pre-
» cioſa & pulcherrima. *Hebr.* Et per ſcientiam cubicula replebuntur, omni-
» bus diuitiis precioſis & pulchris.

Quanuis de domo ſpirituali, quam ſpiritus ſanctus inhabitat, hæc plenius intelligenda ſint, quam ſapientia Dei & intelligentia diuinæ legis quiſque in corde ſuo conſtruere debet, & precioſis opibus uirtutum ſecretiora ſui cordis implere, poſſunt tamen & de re domeſtica, de liberorum procreatione ac educatione, cum eleganti rerum copia & ornatu, quæ uiro ſapienti, qui ſua conditione contentus eſſe nouit, nunquam deerunt, præſertim qui iuſto labore & prouida prudentia ſuis rebus proſpicit quemadmodum ſequitur. I

» VIR ſapiens fortis eſt, & uir doctus robuſtus & ualidus. *Hebræum*, Vir ſa-
» piens in robore, & uir ſcientiæ roborat uirtutem, ſiue uires. Quia cum diſ-
» poſitione initur bellum, & erit ſalus ubi multa conſilia. *Hebr.* Quia conſi-
» liis facies bellum tibi, & ſalus in multitudine conſiliariorum. K

Non rapina neque iniquitate, ſed ſapientia & uiribus erigitur domus, & ſuſtinetur familia. His duabus uirtutibus, ſapientia & robore, familia rectè adminiſtratur: ut ex ſuperioribus iuxta Hebræos pendeat. *In fortitudine uel per robur ædificabit domum ſuam uir ſapiens,*) & uir ſcientiæ roborabit uires: uel uir per ſcientiam ſuam roborat uires ſuas, quaſi dicat, uires abſque ſapientia non ſunt firmæ, neque ſufficientes ne in his quidem rebus, quæ uiribus potiſsimum adminiſtrandæ uidentur. Nam conſiliis & cogitationibus facies bellum, potius quàm uiribus. Qua de re ſuperius diſſeruimus. *Et ſalus ubi conſiliarij multi.*) Senſus eſt uel quòd in bello, potiores partes ſunt uiribus animæ tribuendæ, hoc eſt uires animæ plus ualent quàm corporis: & ſalus, hoc eſt uictoria, magis pendet ex prudente conſilio, quàm ex multitudine militum: ut intelligamus ante multa ſecula: in noſtris codicibus definitum, quod Saluſtius inter ſapientes huius mundi diu deliberatum fuiſſe teſtatur. Aliter, *Conſilijs facies tibi bellum:*) hoc eſt, conſiliis non uiribus lites & controuerſias diſſolue. Nam ea ratione erit utrinque ſalus. Quòd ſi uiribus & uiolentia res agatur, nulla ſalus corporum, neque ſanitas animarum eſſe poteſt, ubi utrinque cadunt, & trucidantur innumeri mortales. Summa eſt laus ſapientiæ, cuius ubique eſt maximus uſus, tum in pace tum in bello, in priuatis & publicis rebus. In genere dictum uidetur, ſalus in multitudine conſiliariorũ: quaſi dicat, quicquid aggredieris uiribus tantum corporis, ſiue in cura domeſtica, quam nos intelligimus in ædificatione domus & repletione cubiculorum, ſiue in adminiſtratione reipublicæ, quanuis uiribus aliquando fortaſsis ſit agendum, tamen plurimorum ſapientum moderatis conſiliis omnia melius & augentur & conſeruantur, quàm armorum ſtrepitu, & truculentia. Quod denique de bello dictum eſt, de quacunque controuerſia cum hoſte intelligi poteſt. L M

A teſt. Nobis enim non eſt colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem ſolum, ſed aduer- Cap. 24.
ſus principes & poteſtates: in quo prælio non noſtris uiribus eſt agendum, ſed Dei ſa- *Ephe. 6.*
pientia, & conſiliis quæ ſuggerit ſpiritus.

» EXCELSA ſtulto eſt ſapientia, in porta non aperiet os ſuum.

Hebræus ſermo pluralis eſt, Excelſæ ſunt ſtulto ſapientiæ: de pluribus quoque ſapientiis fuit ſermo capite nono, quas uel uarios iuſtitiæ gradus, uel uarias uirtutes & chariſmata intelligimus: de quibus, Et requieſcit ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapientiæ *Eſa. 11.*
& intellectus, ſpiritus cõſilij & fortitudinis, & quæ ſequũtur. Stultis hominibus qui ter-
B rena ſapiunt, ſublimis eſt admodum ſapientia, & ueluti in eminentiore loco, quàm ut poſsit eò pertingere: ut ſcriptum eſt, Sapientia clamitat in ſummis excelſiſque uertici- *Prouer. 8.*
bus, celſitudo uirtutum intelligitur. Quæ ueluti ab alto deſpicit diuitias & uoluptates: in quibus cum ſtultus uerſetur, totus grauis & terrenus, grauato uidelicet corde crapu-
la & ebrietate (de quibus modò dictum eſt), & curis huius uitæ, ad ſapientiam aſpirare *Luc. 17.*
non poteſt: Animalis homo non ſapit ea quæ ſunt Dei. *In porta nõ aperiet os ſuum.*) Cum ſa *1. Cor. 1.*
pientiæ non ſit particeps ſtultus, non poteſt cum ſapientibus conuerſari. Solent ſapientes ſedere in porta ciuitatis, inter quos ſtultus cogitur tacere. Aliter, In porta non aperiet os ſuum, in iudicio uidelicet ad ſeipſum defendendum. Et refertur ad ſuperiora,
C Cõſiliis bellum facies tibi: quaſi dicat, Hic ſtulti non poſſunt ſapienter litigare, & aduerſarios uincere inter iudices & ſapientes, qui ſtulto imponunt ſilentium, & reum eſſe iudicant. Aliter, *Sapientiæ ſunt excelſæ ſtulto,*) & reconditæ uidelicet, in ſacris libris: ad quarum lectionem & intelligentiam non poſſunt attingere niſi ſapiẽtes in Chriſto, qui ædificant domum ſupra petram: nihil impedit quominus intelligamus aliquos eſſe uſque- *Matth. 7*
adeò ſimplices & obtuſos corde, ut non poſsint prudentiam aſſequi talem, per quam digni habeantur inter conſiliarios connumerari, neque rerum gubernacula tractare cũ ſapientibus. R. Salomon, uocem Hebream ראמות aliter interpretatur, nempe ut accipiatur pro lapide precioſo, iuxta illud Iob, ראמות וגביש, Coralia & gabis: & erit ſenſus:
D Stultos putare ſapientias rariſsimas eſſe, neq; poſſe comparari ſicut lapides aliquot pre- *Iob. 28.*
cioſi, qui magno conſtant, nec facilè inueniuntur: idcirco deſperantes, auertunt animum à ſapientia, & ob id nunquam peruenient ad eum honoris gradum, ut in porta cum ſapientibus ſedeant, & de rebus magnis decernant.

» QVI COGITAT mala facere, ſtultus uocabitur. *Hebr.* Cogitan-
» tem mala facere, dominum malarum cogitationum uocabunt. Cogitatio
» ſtulti peccatum eſt, & abominatio hominum detractor. *Hebr.* Mala cogi-
» tatio ſtulti eſt peccatum, & abominatio eſt homini deriſor.

E Quanta ſit laus ſapientiæ, ſine qua nihil recte geritur, ſuperius oſtenſum eſt, quanta ſtultitiæ ignominia, etiam apud homines, his uerſiculis ſignificatur. Primo ut dictum eſt, inter ſapientes os aperire non audet, ſed dum deprehenditur malum cogitare, uel potius cogitabundus ut malum inferat aliis, malum nomen ſibi acquirit, & à ſapientibus, qui ſedent in porta, בעל מזמות, Bahal Mizimmoth uocatur, hoc eſt author uel inuentor malarum cogitationum: quaſi dicat, à malefaciendo quàm alieniſsimus eſſe debes. Nam uel cogitare malum aut facere, quanuis ſecretè, reddit
F hominem infamem apud ſapientes, qui poſſunt etiam ad inſtar Dei, uel cordis ſecreta introſpicere. Et ſenſus erit Sapiente dignus, oſtendens ſtultum ne ſuas quidem cogitationes celare poſſe à ſapientibus, apud quos male audit & afficitur ignominia, qui aliis malefacere ſtudet. Cauſam reddit, *Cogitatio ſtulti peccatum eſt,*) quod ſapientibus odioſum eſt & infame: uel cogitatio ſtulti ad peccatum ducit. q.d. ſunt impotentes ſtulti, & ne ſuarum quidem cogitationũ domini. Sed ſtatim ubi quid cogitauerint palam faciunt, atq; ita peccatum illorum innoteſcit & ſtultitia. Aliter, qui cogitat ſtultitiam, uel ſequitur cogitationem ſtultitiæ, peccatum. ſup. erit illi, uel ad peccatum perueniet. Et hinc eſt quod nõ ſine cauſa male audit apud ſapientes. Aliter, qui cogitat malum facere,

quem ſolent uocare dominum malarum cogitationum, cogitatio illa ſola quæ à ſtulti- G
tia procedit, eſt peccatum. Prior expoſitio eſt melior. *Abominatio hominis eſt deriſor:*) hoc eſt is, quem omnes homines execrãtur. Erit denique ſenſus utriuſque uerſiculi, ut intelligamus duplicem ſtultitiam: alteram quæ malum facere cogitat & ſtudet, quam ſapientes condemnant, quòd ſtulta cogitatio ſit magnum peccatum: alteram quę deridet aliorum dicta uel facta, & illa eſt omnibus execrabilis. Aliter, cogitatio ſtultitiæ peccatum, hoc eſt, ob ſolam cogitationẽ dãnatur ſtultus, & reus efficitur: cui ſi accidat deriſio, qua facta aliorum honeſta damnat & deridet, fit abominabilis hominibus. Aliter, cogitatio eſt peccatum ſtulto, cum non poſsit perficere cogitationem ſuam.

„ SI deſperaueris lapſus in die anguſtiæ, munietur fortitudo tua. *Hebræum,* H
„ Si remiſeris, uel te remiſſum feceris in die anguſtiæ, anguſta erit fortitudo
„ tua. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, li-
„ berare ne ceſſes. Si dixeris uires non ſuppeditant, qui inſpector eſt cordis,
„ ipſe intelligit: & ſaluatorem animæ tuæ nihil fallit, reddétque homini iuxta
„ opera ſua. *Hebræum*, Eripe eos qui capti ſunt ad mortem & qui declinant
„ ad necem: ſi ceſſes, dices enim ecce non nouimus hunc, nunquid qui dirigit
„ corda ipſe intelliget, & qui cuſtodit animam tuam, ipſe cognoſcet & reddet I
„ homini iuxta opus ſuum?

Opera charitatis ſub præcepto ſapientiæ continentur: nam per anguſtiam quancunque fratrum neceſsitatem intelligimus, in qua ſuccurrenda quicunque remiſſus eſt, & oſtendit ſe uiribus deſtitutum, cum non ſit, in ſua anguſtia carebit uiribus. Quod dictum eſt in genere de quacunq; anguſtia, intelligitur de ea quæ eſt omnium maxima, nempe, anguſtia in morte, dicendo: *Eripe captos ad mortem.*) In carcere eram & ueniſtis ad me, in-
Matt.25. quit authoritas euangelica: Interpellare pro reis, aut iis, qui per iniuriam & calumniam K
publica tenentur cuſtodia, non eſt cuiuſlibet: magnorum uirorum eſt illud, & eorũ qui authoritate pollent, apud iudicem intercedere, uel captiuos redimere, & ad mortem deſtinatos ab extrema eripere anguſtia: ut probi uiri & ſapientis eſt inquam, ita in alieno periculo ceſſare, alienas non dolere uices, inhumanum eſt & crudele, pluſquam dici poteſt. Quod ſcriptura innuit dicens: *Ne ceſſes.*) Hebr. Si ceſſes, uel prohibeas teipſum ne hoc facias, ſup. tibi erit anguſtia, in qua remiſſus erit qui opẽ ferat tibi: Alij legunt per interrogationem, Num prohibebis te ab ope ferẽda in anguſtia? quando ad interfectionem quis trahitur: quaſi dicat, abſit. Sed melius pendet hæc ultima clauſula, ut ſit ſenſus: Si cohibeas te in anguſtia aliena: cum dixeris, ſane non noui hunc, & quæ ſequũtur. Ali- L
ter, ſi prohibueris à morte innocẽtes, qui rapti ſunt ad mortem, erit etiam qui te eripiat, ſi dixeris, ſane non noui eum. Qui remiſsi ſunt & neceſsitati ſuorum ſuccurrere recuſant, multa ſolent cauſari, & cùm hominibus rationem reddiderint, ſe putant charitatis legibus ſatisfeciſſe, ut exempli cauſa, dicentes: Non noui hunc hominem, uel non noui cauſam illius, qui ductus eſt ad mortem: & hinc eſt, quòd in anguſtia illius non ſum ſolicitus. Huiuſmodi fortaſsis excuſatio hominibus, utcunque ſatisfecerit, uerum Deus qui corda & dirigit & nouit, ſiue intelligit, nihil ignorat: ipſe qui cuſtodit animam tuam, ſatis nouit animam tuam: quaſi dicat, ne dicas non noui hunc: qui ignorat ignorabitur. Deus omnes nouit, & tuas uires, & alterius neceſsitatem & anguſtiam, & hæc notitia ti- M
bi ſatisficere debet: tibi non debet eſſe ignotus, qui Deo cognitus eſt, cuius cauſa egentibus ſuccurrendum eſt. Si uis tuã animam & uitam à Deo ſeruari, alios à morte conaberis eripere: & quanuis hac ratione ſis ſatis obæratus, nempe, cùm Deus, qui omnes intelligit, tuam ſeruet uitam: tamen inſuper quo magis animeris, præmium aliquando dabit non tibi modo, ſed omnibus hominibus: unicuique reddet iuxta opera ſua, ut inquit
Rom.14. Paulus, Stabimus enim omnes ante tribunal Chriſti, & ab anguſta & ſeuera iudicis ſententia eripieris, ſi nunc operam dederis ab anguſtiis & morte, afflictos defendere: Sed à

corporali

A corporali anguſtia,ut dicere inſtitueram, miſeros eripere non eſt omnium, ſed potẽtia opibus ac authoritate pollentium: uerum peccatorum animas, quæ ad mortem & mactationem ligatæ tenentur,& anguſtiis præmũtur eripere, omnium eſt conari, uel admonitione ſana,uel exemplo uitam corrigendi,aut precibus ad Deum ſedulis,uel denique quacunque alia ratione.In eo locum habebit illud: Qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ ſuæ,ſeruabit animam eius à morte. Cap. 24. *Iacob.5.*

„ COMEDE fili mi,mel,quoniam bonum eſt,& fauum dulciſſimum gut-
„ turi tuo. *Hebr.* Palato tuo. Sic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ,quam cùm
„ inueneris habebis in nouiſſimo ſpem,& ſpes tua non peribit. *Heb.* Sic ſcien-
B „ tia ſapientiæ animæ tuæ: ſi inueneris, & erit ſpes, & expectatio tua non
„ excidetur.

Elegantiſsima ſimilitudine partim admonet filium ſuum, ut in perdiſcenda ſapientia ſeſe oblectet, partim corripit eos, qui rebus amœnis & corpori iucundis magis capiuntur,quàm uirtutibus:in quibus nõ ſolũ conſolationem habere licet in præſenti, ſed ſpem certam in futuro. Contrà,huius uitæ uoluptates,ut ſint quamlibet iucundæ,tamen ſunt momentaneæ.*Comede fili mi mel.*)quaſi dicat,ſi comedas mel, eo quòd bonum & ſuaue
C ſit, multo magis ſcientia ſapientiæ dulcis eſt animæ.Vel legendum eſt: Sic diſce ſapientiam, ut diſce reſpondeat uerbo comede, & ſapientia melli ſiue fauo: palato denique reſpõdeat anima.Et hactenus ſimilitudo quadrat.Porrò quod ſequitur, Si inuenias, ſup. ſapientiam, indicat arduam eſſe uirtutem,& difficilem inuentu ſapientiam: mel, hoc eſt illecebras huius uitæ,inuentu faciles,& ubique obuias:ſed eſt finis,uel erit merces & expectatio,quæ non excidetur ſapientibus uidelicet, hoc eſt his qui iuuentutem in perdiſcenda ſapientia, & inueſtiganda conſumunt.Erit ſpes uel merces longæ uitæ,ut exponunt Heb.uel poſteritatis & filiorum. Nos cum Paulo præſentem & futuram in uirtute conſolationem intelligimus, ut ſcribitur,Pietas od omnia utilis eſt, promiſsionem ha- *1.Tim. 4.*
D bens uitæ,quæ nunc eſt,& futuræ:dulcedo uero mellis & omnium carnalium uoluptatum, amaritudinem quandam relinquit: ſi quid dulcedinis habent,cito euaneſcit.

„ NE inſidieris & quæras impietatem in domo iuſti, neque uaſtes requiem
„ eius.*Heb.* Nõ inſidiaberis impie habitaculo iuſti, neque uaſtabis accubitum
„ eius.Septies enim cadet iuſtus,& reſurget. Impij autem corruent in malum.

Hæc quoque ad ſpem uirtutis ſpectant. Nam cum maior ſit numerus eorum, qui uoluptatibus corporeis uacant,quàm qui inueniendæ ſapientiæ ſtudeant, non uidentur boni ſine periculo uiuere,inter tot hoſtes uirtutis & iuſtitiæ.Hos iterum conſolatur Sapiẽs,
E iubens bonam ſpem habere, ſed nouo ſermonis genere per apoſtrophen impium alloquitur, admonens ne quid moliatur aduerſus iuſtum: dicens,ô impie, noli inſidias ponere contra domum iuſti.q.d.ea eſt iuſtitiæ laus & integritas,ut nemo poſsit eam aperto marte oppugnare, per fraudem & inſidias illius quietem perturbare conatur impius, & illius accubitum prædari. Sunt qui per manſionem & accubitum idem intelligant: & erit ſenſus,eſſe quoſdam,qui cùm iuſto non poſsint damnum inferre, nec auertere à iuſtitia,illius familiæ inſidiantur,& cubili,hoc eſt,uel uxori uel charis pignoribus. Et ſunt qui per accubitũ ouile intelligant,ut ad bona externa referatur.Iuxta ſenſum myſticum
F habitaculum iuſti,eſt eccleſia Chriſti,contra quam inſidias ponere, & accubitum illius uaſtare non ceſſat impius ille cum membris ſuis infidelibus & hæreticis, quos alloquitur Sapiens:non tam quòd ſpes ſit eos uelle ſapientiæ præceptis obtemperare, quàm ut iuſto conſolationem præbeat dicendo. *Nam ſepties cadet iuſtus.*) Numerus ſeptenarius quemlibet immenſum numerum ſignificat in ſcripturis: & cadere iuxta Bedam & noſtros ferè omnes,eſt peccare,ſaltem leuioribus quotidianísque peccatis, ſine quibus nec iuſtorum quiſquam eſſe potuit in hac uita. Hebræi caſum referunt ad pericula & damna,quæ iuſtis intentantur in hac uita,iuxta illud Pſal.Multæ tribulationes iuſtorum,ſed *Pſalm.32.*

ab omnibus liberabit eos dominus. Multa patiũtur iusti,& crebro in aduersitates huius G
uitæ incidunt,sed surgunt statim,uel erepti à domino, sicut illi eripuerunt eos qui ducti
& capti sunt ad mortem, ut ad superiora referatur: uel surgunt,hoc est,animo eriguntur
aduersus omnia mala,acceptáque consolatione resistunt. Cæterùm impij corruentes in
malum desperatione absorpti, non surgunt à malo, sed perpetuo dolore se cruciant &
torquent. Prior expositio est melior,sed hæc posterior magis historica.

» CVM ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius non exultet cor
» tuum. Ne fortè uideat dominus, & displiceat ei,& auferat ab eo iram suam.

Nulli malum pro malo reddentes, inquit Paulus: quanuis insidias struant impij ad- H
uersus iustum,& iniurias inferant, nihilominus tamen beneuolentiam erga omnes ser-
uare oportet, & malorum potius uices dolere, quàm uelle iniurias ulcisci. Et quanuis
in ultionem iustorum in malum frequenter corruant impij, non est tamen de ruina eo-
rum lætandum,magis autem dolendum,quòd fecerint aliquid supplicio dignum. *Non
lætaberis cum ceciderit inimicus tuus.*)Et quomodo Moyses cecinit dicendo, Cantemus do-
mino: glorioſe enim magnificatus est. Cum Pharao submergeretur in mari rubro, &
omnes sanctorum uoces nihil aliud clamant,quàm uindictam de hostibus. Sed de rui-
na inimici tui ne læteris:de inimicis Dei & hostibus totius populi,fortasis alia ratio est,
uel inimicorum & persecutorum fortasis pœnitentiam & conuersionem optare debe- I
mus quandiu uiuunt, magis quàm interitum aut perditionem, Dei Optimi Max.imi-
tantes benignitatem, qui non uult mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & ui-
uat. Verum ubi iam mortuum & prostratum cernimus, quod sine diuino nutu,& pro-
uidentia fieri non potest, in gratiarum actionem & laudem prorumpere licet cum gau-
dio: quandoquidem iuxta Dei uoluntatem, esse prolatam sententiam tandem intelli-
gimus.Et erit sensus,In casu hostis ne læteris,hoc est,cum aduersi aliquid contigerit, ne
uidearis illi fœlicitatem huius mundi inuidere,quam Deus omnibus etiam pessimis ho
minibus aliquando largitur,de sua ineffabili bonitate.In morbo igitur,uel aduersa for-
tuna inimici tui,noli lætari. Sed homo cum sis, nihil humanum à te alienum putans, de K
beneficiis Dei cuicunque collatis, per charitatem lætari debes: de malis uero alienis, ut
de tuis dolere,cùm tui iudicij nequaquam fuerit statuere, quid quisque mereatur. Si
nemo nouit,an odio uel amore dignus sit ipse, quanto minus,quid alij mereantur,iudi-
care poterimus? Quòd si per ruinam inimici,peccati lapsum intelligamus,multo minus
lætandum est: nam quî poteris gaudere in his quæ Deo displicent? Prior expositio est
melior. Sequitur,*Ne forte uideat dominus,& malum sit oculis eius.*)Tu cum uideas suppliciũ
sumi de inimico, gaudes, putãs tua causa illum dare pœnas,tuas iniurias in eo uindica-
ri,quod oculis domini displicet. Nam de bonis,non de malis alienis gaudere debemus.
Hæc tua crudelitas in hominem,Deum reddet propitium:& erga eum in quem tu tan- L
tam exerces iram,Deus erit placatus. Nam ut clemens pater, suos ipse castigare solet, sic
alienam crudelitatem in suos non fert. Prouerbium habet charitatis præceptum insigne,
Matth.6. & fere nihil diuersum ab illo euangelico,Diligite inimicos uestros, benefacite his qui
uos oderunt.

» NE contendas cum pessimis,ne æmuleris impios,quoniam non habent fu-
» turorum spem mali,& lucerna impiorum extinguetur.

Ne contendas.)alij, ne succẽseas. Aben Hezra אל תתערב,Ne commiscеas te,uel socium M
te præbeas inter impios, ut facias iuxta opera eorum, Psal. 37. Noli æmulari,ubi Hiero.
ut hoc in loco contendere uertit,& illic quidem uidetur uel contendere, uel irasci signi-
ficare: cum statim sequatur,desine ab ira & derelinque furorem, & ad eundem sensum
plurima pars psalmi tendit, uerum in hoc loco æmulari in bonam partem,ut superius
frequenter capi uidetur:ex his quæ sequuntur non erit spes malo. Prohibet igitur Sapiẽs,
ne quis impiorum fœlicitate illectus,cupiat cum illis negotium habere,cum illis uiuere,
illorum imitari mores,& studia. Nam incerta & inconstans est malorum prosperitas, ut

scriptum

A ſcriptum eſt. Adhuc puſillum & non erit peccator. *Non erit impio ſpes, uel merces:*) In Heb. Cap. 24.
Non erit finis, uel poſtremum, hoc eſt, id quod poſt opus dari ſolet, non erit impio. q.d. *Pſal.* 37.
impius in hac uita præmium habet, ut in euangelio, Recepiſti bona in uita tua, & Laza- *Luc.* 16.
rus ſimiliter mala. *Lucerna impiorum extinguetur.*) Splēdidus & clarus ob diuitias inter homines habetur malus, ſed hæc gloria euaneſcet. Aliter, impiorum liberi, quaſi lucerna illorum intelliguntur, uel potius anima quæ merito extincta dicitur, cum non fulgeat ut *Matt.* 13.
ſol, quod de iuſtis ſcribitur, ſed in tenebris conticeſcet. Prouerbium eſt contra eos, qui præſentem fœlicitatem futuræ præponunt, & impiorum æmulantur uitam, ut eorum proſperitatem momentaneam aſſequantur.

B TIME dominum fili mi, & regem, & cum detractoribus ne commiſcearis. *Heb.* Cum mutantibus uel iterantibus. Quoniam repentè conſurget perditio eorum, & ruinam utriuſque quis nouit?

Hi quoque duo uerſiculi cum præcedentibus in ſenſu conueniunt, uidelicet non eſſe imitandam malorum uitam, ſed præcepta Dei & regum edicta eſſe ſeruanda: non eſſe conuerſandum cum his, qui immutāt & diuerſum faciūt. Nā quod nos habemus, Cum detractoribus ne commiſcearis. Heb. eſt, cum mutantibus uel iterantibus, ut ſubaudiatur iniquitates ſuas. Mihi magis arridet, ne miſcearis cum his, qui quicquam mutant, aut
C diuerſum faciunt à præceptis Dei uel regis. Tertiam denique in Commentariis Heb. lego interpretationem: nempe, Cum mutantibus hunc ordinem, uidelicet timoris, time dominum & regem, & magis obediendum Deo, quàm hominibus: Cum his qui timoris ordinem immutant, ne te cōmiſceas. Prior expoſitio eſt melior. Totus hic locus à mala conſuetudine & conſortio malorum prohibet. Quæ res iuuenibus & inexpertis malorum potiſsima cauſa ſemper fuit. Salomon cum pręceptis, quæ ſuo proponit filio, ubique uel ſpem uel metum, laudem uel dedecus, uel aliquid id genus ſimilium adiungit. In hoc loco de timore domini, & regis tractans, inobedientiæ periculum ſubiicit. Quia
D *repente ſurget contritio eorum, ſiue perditio, & ruinam utriuſque quis intelliget?*) uel ſenſus eſt, ut contritio intelligatur Dei & regis, hoc eſt, Surget cōtritio qua conteret eos Deus uel rex, qui mutant præcepta Dei: uel contritio eorum. ſ. qui non obediunt, neque timent dominū & regem, ſurget ſuper eos ſubito, quādo nihil minus expectant, iuxta illud Pauli: Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Melius refe- 1. *Theſſ.* 5.
runtur ad dominum & regem, quem dominus in terris iudicem conſtituit, ut illius fungatur munere, & erit contritio utriuſque, hoc eſt contritio quam illi duo, Deus uidelicet & rex, inducent ſuper eum qui non timet.

" HAEC quoque ſapientibus. Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bo-
E num. Qui dicunt impio, iuſtus es, maledicent eis populi, & deteſtabuntur
" eos tribus. Qui arguūt eum, laudabuntur, & ſuper ipſos ueniet benedictio.
" *Heb.* Sed increpantibus uel arguentibus dulceſcit. ſ. Deus, & ſuper eos ueniet
" benedictio boni.

Etiam hæc ſapientibus.) Duplex eſt intelligentia, uel quòd ea quæ ſequuntur, ſunt aliorum ſapientum dicta, quaſi iam finem impoſuiſſet ſuis Salomon, cum timore domini claudēs ſermonem, quemadmodum incepit, Initium ſapientiæ timor domini: & hæc intelli-
F gētia nō eſt abſurda. Heb. tamen magis arridet altera, quæ eſt huiuſmodi, nēpe, hæc quæ ſequuntur, ſunt uerba Salomonis ad ſapiētes iudices, ſup. uel hæc uerba ſunt neceſſaria omnibus ſapientibus, & pendent ex ſuperioribus, Non æmuleris impios. Nihil commercij debes habere cum impio, neque priuatim neq; publice. In iudicio cuiuſcunque perſonam accipere malum eſt, quanto magis perſonam impij, pronūcians eum eſſe iuſtum: maledictus & ſpretus erit ab omnibus, non ab una prouincia, ſed à populis pluribus, ut de Deo & rege, quorum ſpreuit leges, nihil dicamus. Aliter, *Qui dicit impio, iuſtus es.*) Poteſt ad priuatorum adulatores referri. q.d. qui uel uirum laudat impium, & benedicit

illi,inquiens:Iuſtus es,ei à populis maledicetur,& nationes eum ſpernent. Poteſt etiam G
intelligi iuxta aliam ſignificationem huius uerbi נקב, quod eſt perforare. q.d. ſi quis accipiat perſonam impij dicendo,iuſtus es,perforabũt eum populi enſibus ſuis:hoc eſt,crimen commiſit, quod publicè uindicandum eſt: quin iudicium peruertit,in quo totius reip. ſalus pendet. Prior expoſitio eſt melior,& non alienum uidetur in ſenſu ab eo: Væ
Eſaiæ.5. qui dicitis malum bonum,ponentes tenebras lucem,qui cùm multos decipiant, mirum non eſt, ſi à multis probris afficiantur:nam ea ratione fient multi mali. Cæterùm qui timent Deum & regem, & ſecũdum æquitatem redarguunt malos in iudicio,ut ex malis boni fiant.*Iucundus & pulcher erit)* talibus Deus, hoc eſt talibus erit Deus,iudex minime
Eſaiæ.1. ſeuerus,utputa qui quærunt iudicium,ſubueniunt oppreſsis, iudicant pupillo, defendũt H
uiduam, & oppreſſoribus iuſtam pœnam infligunt. His inquam ueniet benedictio bonitatis ſiue boni, hoc eſt Dei,qui ſolus bonus eſt per eſſentiam, uel boni ſiue bonorum
Mar. 10. omnium,ut benedictio boni reſpondeat maledictioni populi.

» LABIA deoſculabitur qui recta uerba reſpondet.

Ex ſuperioribus pendet iuxta Hebr. qui totum locum ad iudices referunt, quorum munus in primis eſt, nullius perſonam accipere in iudicio: deinde nullo modo iuſtificare impium, imò redarguere, omnibus denique recta uerba reſpondere,hoc eſt ſibiipſis conſona, ut ſermo uideatur oſculatio labiorum. Nihil enim aptius quadrat, quàm cum labium tangit labium, & uelut deoſculatur. Aliter, his qui arguunt impium,erit amœ- I
nus & dulcis Deus, ut dictum eſt: Tam dulcis, inquam,erit illi,qui reſpondet uerba recta,ac ſi oſcularetur labia illius: quod amoris maximum eſt argumentum. Poteſt alioqui in genere dictum intelligi,Labia oſculabitur,hoc eſt, charus & amiciſsimus erit omnibus,qui uerba recta loquitur.Obſcuritate quadam uerborum & ſimilitudinis umbra, facillimas & clariſsimas ſententias obnubilat Sapiens.

» PRAEPARA foris opus tuum,& diligenter exerce agrum tuum,& poſt-
» eà ædifices domum tuam. K

Ordinem in rebus & negotiis omnibus eſſe ſeruandum docet prouerbium, ea prius facienda quæ magis ſunt neceſſaria:ut exempli cauſa, magis neceſſarium eſt annonam habere neceſſariam ad alendam familiam, quàm ſplendidas ædes cõſtruere:hæc ut exempli cauſa dicta poſſunt intelligi, ita ſunt ueriſsima. In Hebræo, non ſunt diuerſæ clauſulæ, Præpara foris opus tuum, & quod ſequitur,& diligenter exerce agrum tuum: ſed quod foris dixerat,explicat per agrum,& diligenter præpara illud in agro tuo,& deinde ædificabis tibi ædes,ubi opes collegeris ex agricultura, & ſumptus tibi ſuppetunt,poteris ædificiis nouis conſtruendis uacare: aliter, opera ruſticana ſuo tempore fieri debent.
Eccle.3. Eſt tempus, uidelicet ſeminandi, & tempus metendi,ædes uerò ædificandi, cura,& do- L
meſticum opus quolibet tempore fieri poteſt. Iuxta anagogen domum ædificare non poſſumus,qua perpetuo manendum eſt,priuſquam opus foris præparauerimus,hoc eſt, carnẽ ſubieceris ſpiritui,& quæ in agro, hoc eſt,in mundo ſunt,præparando contẽpſeris.

» NE ſis teſtis fruſtra contra proximum tuum, nec lactes quenquam la-
» biis tuis. Ne dicas quomodo fecit mihi,ſic faciam ei,& reddam unicuique
» ſecundum opus ſuum.

Quanuis ad hũc modũ uertant omnes interpretes:*Ne ſis teſtis contra proximum tuũ.)*& ſic M
nõ erit ſenſus diuerſus ab illo præcepto legis, quo prohibetur falſum teſtimoniũ dicere: Tamẽ propter clauſulam ſequentem, *Nec lactes eum labiis tuis,*)magis quadrat ſenſus cõtrarius fere,hoc eſt, non eris teſtis fruſtra, uel falſus teſtis pro amico tuo. q.d.in cauſa,ne amici quidem eris teſtis falſus,*Nunquid perſuadebis illi,*uel potius.*nũ perſuaſisti illi labiis*:)id eſt,blandis uerbis obtinuiſti ab eo,ut eſſet falſus teſtis in cauſa tua, & uicem reddere uis dicendo,quemadmodum fecit mihi, faciam illi, ſecundum opus illius reſpondebo unicuique. Caldæus qui ſic reddit ſecundam partem primi uerſiculi, Et ne errare facias

eum

A eum labiis tuis. In quocunque mendacio, falſum teſtem intelligit: ut ille dicatur falſus teſtis, qui proximum ducit in errorem. Sed huic ſenſui non tam quadrat ſequens uerſiculus. Sunt qui uerbum הפתית, non pro perſuadere aut lactare accipiunt, ſed in alio ſenſu, nempe confringendi, ut ſit ſenſus: ne ſis teſtis falſus contra amicum tuum, & ne confringas ſiue conteras eum uerbis tuis, putans te hoc licite poſſe facere, quandoquidem ipſe tali iniuria te affecit. *Reddam illi iuxta opera ſua.*) Iſta non ſunt ſapientum uerba. Prior expoſitio eſt melior, & prouerbiali obſcuritate magis digna, ut intelligamus non licere cuiquam opem ferre modis illicitis, neq; falſo teſtimonio proximos aut amicos defendere, neque denique huiuſmodi defenſionem ab illis exigere. Vſurpari poteſt B prouerbium in eos qui mutuo ſeſe malis doctrinis & opinionibus imbuunt & corrumpunt. Cap. 24.

» PER agrum hominis pigri tranſiui, & per uineam uiri ſtulti. Et ecce to-
» tum impleuerant urticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria
» lapidum deſtructa erat. Quod cum uidiſſem, poſui in corde meo, & exem-
» plo didici diſciplinam. *Hebræum*, Vidi ergo appoſuíque cor meum, ui-
» di, accepi diſciplinam.

C Inter ea, quæ modo dicta ſunt de officio iudicis & teſtium. Inſertus eſt unus uerſiculus, de colendis agris, & de opere foris parando, antequam domum ædifices: ad quem ni fallor referendi ſunt aliquot uerſus, quibus ſegnities & otium damnatur. Et prius ordinem in negotiis & tempus opportunum obſeruandum docuit, ut quæ maxime ſint neceſſaria, prius curentur. Cæterum hoc in loco docet proſequendum opus, & abſoluendum, quod recte incœptum eſt. Quod de agro & uinea dicitur, ad quodcunque negotiũ referri poteſt, ut nihil profuerit agros colere, arare, & ſeminare, uineas plantare, niſi cætera quoque quæ ſpectant ad agriculturam perficias: ſpinæ & urticæ niſi extirpentur, tri-
D ticum ſuffocant, niſi macerie aut ſepe munias uineam, conculcatur. Ita in agro domi- *Luc. 10.*
nico, in quo meſsis multa operarij pauci, & in uinea domini, in quã ſummo mane hora
tertia, ſexta, nona, & undecima mittit operarios paterfamilias, nihil profuerit bene do- *Matt. 21.*
cere, bona ſeminaſſe ſemina, & uineas plantaſſe plurimas, ac poſtea per ſocordiam uitiorum urticas, & ſpinas, cupiditatum omnia undiq; occupare permittere. Alioqui ſimplex ſiue nuda intelligentia horum trium uerſuum erit. Sapientes undique occaſionem arripere, & ex aliena ſtultitia ſapientiam diſcere, cum non obiter ſed accuratè ſingula perpendant, id quod innuitur his uerbis: Contemplatus ſum, appoſui cor meum, uidi, accepi diſciplinam, eam uidelicet quæ ſequitur.

E PARVM dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conſeres ut
„ quieſcas. Et ueniet tibi quaſi curſor egeſtas, & mendicitas quaſi uir armatus.
„ *Heb.* Parum ſomniorum, parum dormitationum, parua complexio ma-
„ nuum ad cubãdum. Et ueniet quaſi uiator paupertas tua, & defectus tui ue-
„ lut uir clypei.

Hæc eſt diſciplina quam accepit Sapiens ex conſpectis agris & uineis pigri, nempe paupertatem ex otio fere prouenire & creſcere paulatim: ſed tãdem inualeſcere uſqueadeò,
F ut expelli non poſsit ex ædibus. Ex ſexto capite huc tranſlati ſunt hi duo uerſiculi, quorum duplicem expoſitionem ibidem inuenies: quod ad hunc locum ſpectat. Somnolentos excitat agricolas, & uinitores, è quibus ſuum filium exemplum diſciplinæ uult accipere: partim ne à ſapientibus uiris ſtultitiæ notetur, partim ne dum otium ſectatur & ſomnum, ad egeſtatem perueniat.

CAPVT XXV.

HAE quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt uiri Ezechiæ regis Iuda.

Transferre, hoc in loco, non intelligimus de lingua in linguam, ſed potius de loco in locum, & de membranis in librum: quaſi dicat, undique collegerunt. Sic Leui Ben Gerſon. Caldæus paraphraſtes, ſcripſerunt habet pro tranſtulerunt: hunc uerſiculum adiecit ſcriba, quem fuiſſe Sobnam putat Aben Hezra: uiri uel amici Ezechielis tranſtulerunt, hoc eſt præceperunt transferre has parabolas de libris ſuis, uel de lib. Ezech. ut unum eſſet uolumen ex omnibus parabolis. Nam priores inuentæ ſunt eo ordine, quo nunc ſunt, tunc temporis conſcriptæ. Cæterùm quæ ſequũtur, ſunt in hunc locum tranſlatæ per ſapientes uiros, qui fuerunt in tempore Ezechiæ regis Iudæ. Sunt ex Hebrẽis, qui huius uerſiculi per modum tranſitionis inſerti, hanc reddunt rationem: uidelicet dum uiri ſapientes Ezechiæ transferrent parabolas Salomonis, ubi ad hunc locum uentum eſt, inuenerunt aliquot, quas publicare dignum non eſſe putabant, & quas prætergredientes, ſequentes adiecerunt dicendo. Hæ quoque parabolæ Salomonis, ut præcedẽtes, & ob id initium ſumpſerunt, Gloria Dei occultare uerbum, quaſi reliqua uerba celare ad gloriam Dei ſpectaret. Sed hęc ſunt Rabbinorũ ex Cabala. Nihil impedit quominus de lingua in linguã tranſlatas intelligamus elegantiorem, aut magis uulgarem. Sunt tamen qui uerbum העתיק non transferre, ſed retinere uolunt ſignificare, ſiue roborare: quaſi dicat, hę quoque parabolæ ſequentes, ut priores, robur & authoritatẽ acceperunt, à uiris ſapientibus, qui fuerũt ſub Ezechia: tanquam ueræ parabolæ Salomonis: & hæc eſt optima interpretatio, mea quidem ſententia.

„ GLORIA Dei eſt celare uerbum, & gloria regum inueſtigare ſermonem.
„ Cælum ſurſum & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile. Aufer rubiginem de argento, & egredietur uas puriſſimum. *Hebræum*, Remoue ſcorias
„ ab argento, & egredietur conflatori uas. Aufer impietatem de uilla regis, &
„ firmabitur iuſtitia thronus eius. *Hebræum*, Remoue improbum, qui eſt co-
„ ram rege, & firmabitur in iuſtitia ſolium eius.

Non ſine cauſa diuiſa ſunt ueluti in tres ſectiones Salomonis prouerbia: utpote in quibus plurimum diuerſitatis inuenerit prudens & oculatus lector. Sunt enim pleraq; quæ in prima parte continentur humiliora, & teneræ ætati informandæ magis accommodata. Secunda pars, quæ à decimo capite ſumit exordium, per omnium uirtutum & uitiorum latiſsimum campum excurrit, nullam ætatem aut conditionem hominum relinquens intactam. Quæ uero ſequũtur ſublimius aliquid ſapiũt, & ad regum, principum, ac totius reipub. prudentiam ferè ſpectant. Non omnino fixam & certam, ſed maiori ex parte hanc ſectionem intelligimus. Nam alioqui in prima parte habes doctrinam cæleſtem, & maieſtate plenam, & in hac tertia humiliora quædã. *Gloria Dei eſt celare uerbum.*) Sunt qui intelligunt per uerbum, opera uerbo Dei creata, quæ cùm nemo digno ſermone poſsit aſſequi, omnibus imponitur ſilentium, & celare coguntur. Inter opera porro, quæ pro gloria Dei ſunt occultanda, connumerant Hebræi opus creationis, principiũ Geneſeos, & plauſtrum Ezechielis, hoc eſt uiſionem de rotis, & plurima legis præcepta, quæ ſatis explicare nemo poteſt. Aliter, Gloria Dei eſt celare uerbum, ne quis uelit curioſius ſcrutari, quid agatur ſuperius in cælo, neque quid inferius in profundo terræ, ut ad ſequentia referatur. Aliter, multa prophetis ſunt reuelata, quæ in uulgus temere non fuerant ſpargenda, & hinc laudatur Moſes, In tota domo mea fidelis ipſe, quod multa uidiſſet in monte per quadraginta dies colloquiis Dei uſus, & quæ uulgò non publicauit. Et Eſaias peccauit iuxta Hebræos duntaxat, eo quòd dixit, Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium, &c. Et Ezechiel quoque ſemper audit, filij hominis, ut ſit memor conditionis ſuæ

Nume.12 *Eſaiæ.6.*

A nis ſuæ & fragilitatis humanæ, quia dixerat, & uidi uiſiones Dei. hæc utcunq; accipiuntur. Nos ex Paulo, qui audiuit uerba, quæ non licet homini loqui, intelligimus arcana multa prophetis reuelata, in quorum ſilentio eſt gloria Dei. Denique gloria Dei eſt, ne quis ueluti ignarũ alicuius rei Deum exiſtimans, conetur multis uerbis, uel exponere ſuam indigentiam, uel inter orandum utatur multiloquio: Nouit enim antequam petamus, qua re indigeamus: uerum gloria regis terreni, ut oſtendantur illius opes & potentia, quo maiori ſit terrori hoſtibus. Gloria regis eſt aliorum ſecreta cognoſcere: quid domi & foris agatur ad regem ſpectat, & ignominiam putat ignorare, quid ipſius hoſtes contra eum moliantur: uel ſi quid præclare agat rex, ubique uult palam fieri ad gloriam ſuam. Verum opera Dei ſunt inſcrutabilia, iuxta id quod ſequitur: *Cælum ſurſum.*) Cap. 25. 2. *Cor.* 12.

B quaſi dicat, neque ea quæ ſunt in profundo ſub terra inueſtigare poteris, quanto minus ea quæ ſunt ſurſum in cælo, nemo ſcire poterit, ne reges quidem quantũuis glorioſi & potentes? Nulla potentia, nullæ uires regum ſufficiunt iſta penetrare, ac inueſtigare. Aliter, gloria Dei eſt, quod iudex ſit omnium, quòd nouit omne uerbum etiam abſconditum, eſt punire crimina uel occultiſsima, & maxime abſcondita. Sed regis gloria eſt, inueſtigare malefactores, & iuxta reuelationem factam per inueſtigationem, purgare remp. à ſceleribus: & non eſt gloria regis ſcrutari, quæ ſurſum ſunt in cælo, uel quę deorſum in terra, hoc eſt, uacare ſtudio philoſophiæ, neglecta ſalute reipu. Hæc functio priC uatorum hominum eſt, non regis, cuius gloria eſt, ut per iuſtitiam purgata reſpublica ſplendeat, ueluti uaſa argentea quæ nuper à conflatorio prodierunt: & hoc eſt quod ſequitur, *Aufer*, uel *amoue ſcoriam ab argento.*) q. d. ut mixta cum argento ſcoria aurifabro eſt impedimento, quo minus poſſit conflare uaſa argentea, modis omnibus pura & nitida. Sic ad regem ſpectat, cuius ſolium iuſtitia firmatur, ab aula ſua, imò à regno omnẽ amouere impium, ut non ſolum cum magna gloria, ſed magna ſecuritate regnet. Nam ut ſplendidum eſt argentum in conflatorio, amota ſcoria, ſic firmum erit regis ſolium, quod omnem impietatem à rep. diſcutit.

D NE glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne ſteteris. Me„ lius eſt enim ut dicatur tibi, aſcende huc, quàm ut humilieris coram princi„ pe, quem uiderũt oculi tui. *Hebræum*, Ne honorabilem te præbeas coram re„ ge, neque in magnorũ ſtabis loco. Nam melius eſt ut dicat tibi, aſcende huc, „ quàm ut humilem te reddat, coram principe quem uiderunt oculi tui.

Heb. intelligunt gloriam quam prohibet Sapiens, iactantiam & oſtentationem in ſplendore ueſtium, in equis & curribus, non eſſe certandum cum rege, uel principibus, quaſi cum illis te conferendum oſtendere uelis. Si coram rege terreno cum magna animi E ſubiectione uerſandum eſt, & ab omni ſuperbia & arrogantia alienos eſſe oportet eos, qui gratiam inire uolunt: quanto magis apud regem regum, & cælorum principem, nos oportet conditionis noſtræ & fragilitatis meminiſſe? dicentes: Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Ex hoc loco ſumpta uidetur parabola quam dixit Ieſus ad inuitatos, intendens quomodo primus accubitus eligerent: Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouiſsimo loco. Poſtremam particulam poſterioris uerſiculi, nempe, *Quem uiderunt oculi tui*,) connectit Hieron. cum ſequentibus, ſecutus Septuagin. Sunt ex Hebr. qui ſubaudiant aliquid ad hunc modum: Coram principe, &. ſ. hominiF bus, quos uiderunt oculi tui, hoc eſt, quos noſti, & qui te nouerunt, uel coram principe cum ignominia, non illata tibi abſenti, ſed quam oculi tui uideant. *Pſal.* 112. *Luc.* 14.

„ QVAE uiderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito, ne poſtea emendare „ non poſsis, cum dehoneſtaueris amicum tuum. *Hebræum*, Ne exeas ad litem „ celeriter, ne fortè facias aliquid in nouiſsimo illius, dũ ignominia te afficiat „ inimicus tuus. Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne „ reueles. Ne fortè inſultet tibi cùm audierit, & exprobrare non ceſſet. *Heb.* Ne

» fortè exprobrauerit tibi, & infamia tua non reuertetur. Mala aurea in lectis G
» argenteis, qui loquitur uerbum in tempore ſuo. *Heb.* Mala aurea in picturis
» argenti, uerbum dictum in ordine ſuo. Inauris aurea & margarita fulgens,
» qui arguit ſapientem & aurem obedientem.

Arrogantiæ ſoror eſt lis & contentio: per illam regibus eris odioſus, per hanc uero omnibus etiam amicis. *Quæ uiderunt oculi tui.*) Iuxta Hebræã ueritatem, hæc uerba ſunt uerſiculi præcedentis, ut expoſuimus. Septu. quos ſequutus eſt interpres, ſic incipiunt hunc uerſiculum, ἃ εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σε, λέγει: quæ uiderũt oculi tui, dic: deinde ſequuntur iuxta Heb. ueritatem, ne incidas in iurgium: ne proferas, pro ne properes habemus. Deinde H ex duobus uerſiculis habemus unum, quorum prior cum nõ ſit in Hebr. à nobis negligitur. *Ne exeas ad litem celeriter.*) duplicem habet ſenſum: uel quòd ipſe non debeas litem cuiquam temere intentare, uel quòd alienis contentionibus ſeſe immiſcere, uiri prudentis non ſit, ne amicorum quidem cauſa. Optimum ſane conſilium, & fere idem quod dixit ille, Mallem iudicem eſſe inter inimicos meos, quàm amicos. Nam ex illis alterum ad amicitiam pertraham, ex his uerò alterum ex amico inimicum reddam. Idem aut omnino ſimile docet Salomon, inquiens, Quid facies in fine ipſius litis, cum ignominia te affecerit amicus tuus, quòd homo inciuilis leges amicitiæ ſeruare non noueras, ut qui maluiſti iudiciorum ſeueritate, quàm amica & benigna diſputatione ſecum contendere, ſiue tua ſiue aliena cauſa. Equidem in aliena intelligo cum Aben Hezra, qui ſic exponit, Ne egrediaris celeriter ad litigandum in lite aliorum, ne fias ignominioſus, quaſi lites conſectans. Alij ſic, ne exeas uel progrediaris ad litigandum, niſi in cauſa optima, & quam noueris, quem finem ſit habitura. Nam non aſſecutus quod cupis, ſed uictus, eris ignominioſus etiam amicis tuis, non ſolum aduerſariis. Aliter uox Hebr. מהר quæ fere cito, uel cum celeritate uertitur, iuxta ambiguitatem ſermonis Hebraici, uerti poteſt per uerbum accelera: & erit ſenſus, ne egrediaris ad litem, ſed feſtina componere lites, ne forte couſque progrediaris litigando, ut nõ poſsis ubi uoles teipſum in integrum K reſtituere: & huic ſenſui quadrat quod ſequitur: *Cauſam tuam tracta cum amico.* Heb. *Litẽ tuam litiga cum ſocio tuo.*) Videtur nullam partem humanæ uitæ intactam relinquere, ſed quid publice, quid priuatim agendum ſit, omnia plenè docere: partim obſcurius parabolis & ſimilitudinibus, ueluti ænigmaticè ſaluberrima obumbrare præcepta, partim ſimplici ſermone & ſcripturis accommodo docens, quæ ad amicitiam uel imprimis ſpectant, & pacem fouendam: nempe ſi quid ſuboriatur controuerſię, aut ſimultatis, pro humana inconſtantia, quam minimo negotio tranſigendum priuatis colloquiis, ut ſecretũ proximi ſeruetur illæſum: ne ſi in publicum prodeas litigaturus contra ſocium, illius fa-
Matt. 18. ma lædatur. Senſus non uidetur alienus ab illo, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolũ. *Ne forte inſultet, uel exprobrauerit tibi,*) & pœna reſpondebit cul L pæ. Si ſecretum crimen alterius per te palam fiet, qui audiũt, ſceleſtum te facient, & infamia tua non reuertetur, ſed diu durabit. Aliter, malam famam quam ſparſiſti, non poteris reuocare. Mihi placet, ut ad utrunque referatur. q.d. neque ſecretum quod feciſti palam, poteris reuocare, neque tua reuertetur infamia, cum auditores non ceſſent de te malè loqui. Accuſandi ſunt amici & caſtigandi etiam chariſsimi, ſed pro tempore & loco: prudentia & moderatione ubique opus eſt, quod admodum elegantibus parabolis oſtẽdit Salomon. *Poma aurea in lectis argẽteis.*) Heb. in picturis uel figuris, alij in foraminibus, M uel cancellis argenteis. Et ſenſus eſt, ut iucundiſsimus eſt aſpectus rerum precioſarum, quando non plene intuentium oculis obiiciuntur, ſed abſconduntur etiam ſumptuoſe, ut aurea mala in cælaturis uel cancellis argenteis, hoc eſt quando non plene cernuntur. *Sic uerbum dictum tempore.*) Hebr. Cum modis ſuis, uel rotis ſuis, uerbum dictum, in quã, in caſtigatione amici, ut ipſe Salomon exponit, dum uelut argẽtum clarum, lucet amor inter uerba caſtigationis, qui corripit amicum, ea debet uti moderatione uerborum, ut in eloquio argenteo ſcripturarum, lateant poma aurea, hoc eſt charitas infinita, & quæ modum neſciat. Poma ex auro intelligimus, non ut Vergilius, Aurea mala decem miſi,

cras

A cras altera mittam. Talis igitur debet esse sermo, qui litem sedare & dirimere conatur: Cap. 25.
nempe, plus intus occultans, quàm foras præ se ferat nitore eloquentiæ. Quòd si incidat
sermo in aurem obedientem, tunc tandem erit duplicata gratia ut inauris aurea, & ut
monile in massa auri, uel ut monile in corona & diademate: decorum enim & gratum
dum sapiens reprehenditur, uel dum reprehensus à sapiente, patientem & obtem-
perantem accommodat aurem. Habemus in hoc prouerbio litem inter amicos condem-
natam, amicam uero castigationem & tempestiuam admonitionem, si modo cum pru-
dentia & grauitate fiat rebus preciosissimis comparatam.

» SICVT frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei qui miserit eum, ani-
B mam ipsius requiescere facit. *Heb.* Animam domini sui requiescere faciet.
» Nubes & uentus & pluuiæ non sequentes, uir glorioſus & promissa non
» complens.

Quod superius cap. 13. dictum est, de legato fideli repetens, eleganti similitudine con-
firmat: uidelicet ualde charum esse nuntium fidelem, his qui mittunt eum. Messores præ
omnibus aliis operariis solent torqueri calore & siti, ut qui maximis ardoribus anni,
procul ab umbra, procul à fontibus summa fatigatione laborant, refrigerari uehemẽter
C cupiunt: quibus nihil amœnius possit contingere, quàm uel niuium uel glaciei frigora,
in quibus facilis esset labor, & iucundus sudor. Sed istis simul frui non licet, messe ui-
delicet & frigore præsertim australibus plagis. Talis fere est conditio regum & princi-
pum. Qui de magnis rebus in longinquas regiones legatos mittũt, interim magno æsti-
mantes desiderio, impatientes moræ, animo tranquillo ferre dilationem non ualent.
Quorum tandem reuersus legatus fidelis, cũ nuntio & responso ex eorũ animæ sentẽtia,
laborantem animam & anhelantem præ desiderio, tranquillam & pacatam efficiet: uel
iuxta aliam huius uerbi ישיב significationem, restituet animam ueluti egredientem è
corpore, ut eorum animæ qui siti uehementer torquentur & calore: ut totus locus sub
D hyperbola intelligatur, & similitudo melius quadrabit. Prouerbium admonet legatos
& nuntios sui muneris: præsertim eos quos dominus misit operarios in messem suam:
Horum fides & diligentia magnopere grata & spectata est Christo domino suo, utputa
quos constituet super omnia bona sua. Cum interim tranquillo animo non uideatur es- *Luc.* 10.
se (ut uerbis humanis scripturam exponamus, sicut ipsa ubique loquitur) uel si quis talis 1. *Cor.* 12.
est qualis erat Paulus, qui omnium ecclesiarum solicitudinem sustinuit: hic inquam ani-
mo tranquillo esse nequit, donec lætum accipiet nuntium de his rebus, quarum gratia
misit legatos: hoc est, ut ad caules reducantur oues, pro quarum salute Christus effu-
dit suum sanguinem: hi legati si fideliter fungantur suo munere, refrigerium habebũt
maius quàm frigus niuis in die messis: iuxta illud quod scribitur, Lætabuntur coram te, *Esaiæ.* 9.
E sicut qui lætantur in messe, sicut exultant uictores capta præda, quando diuidunt spolia.
Vt in magno desiderio & expectatione uoti compotem fieri admodum est iucundum,
ut de fideli legato audiuimus: ita contra, spe falli, & expectatione frustrari, molestum
est: non minus quàm post nubes quæ spem præbent pluuiæ, & post uentum qui terram
sitientem reddit, non uenire pluuiam. Duplex incommodum, cum neq; necessitati ter-
ræ & segetum, neque expectationi hominum satisfiat. Tale aliquid usuuenit his, qui li-
beralitatem plurimum iactant suam, & multa promittunt, cum tamen dictis facta mini-
F me respondeant: ad utrunque referri potest, nempe ad eum qui mittit, siue ad legatum
qui mittitur. Quod si hic post datam fidem legationem non obeat, ille uero si non præ-
stat mercedem, quam pollicitus est legato suo: erit ueluti nubes obscuritate mendacij,
uentus uero sterilitate uerborum. Quod si nolumus ex sapientiori pendere uersiculo,
simplicem sensum habet contra iactantiam, monet nihil esse promittendum, quod non
possis præstare, uel quod nolis. Iuxta sensum mysticum contra hypocrisim facit, qui ma-
gnam sanctimoniã præ se fert exterius, cum nihil minus præstet: qualis solet esse in con-
cionatoribus, qui cùm bene loquantur, male uiuunt.

» PATIENTIA lenitur princeps, & lingua mollis confringit duritiem: G
» uel, confringet ossa.

Vtrosque monere uidetur, & principes inquam, & subditos: illos ne temere prosiliant ad uindictam: hos uero ut uerbis benignis & dulcibus, principum mitigent furorem. *In longanimitate flectetur*, uel *flecti solet princeps.*) hoc est dum iram protrahit, & non statim punit. Interim enim dilatione sedatur furor, cuius rei legitur exemplum historia ecclesiastica, de Theodosio, qui indignatus in ciuitatem Thessalonicam, iracundiæ non refrenauit impetum. Et proinde iuxta sensum huius prouerbij, longanimitate flectitur princeps, diuo Ambrosio monente, legem promulgauit, quæ extat historiæ tripartitæ libro septimo, capite trigesimo. Quod sequitur, *Lingua mollis siue tenera.*) Iucũda alluso inter molle & durum, siue carnem & ossa, contra naturæ ordinem uidetur esse, quòd lingua quæ non habet ossa, frangeret ossa. Metaphorica est locutio, pro frangit furorem, & mitigat quamlibet duram ac osibus similem. Durissima est sententia in peccatores lata, iuxta parabolam euangelicam de seruo, qui decem talentorum debitor iussus est uenundari, una cum uxore & filiis. Sed hanc sententiam mitigauit lingua mollis, quæ dicit, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: nam sequitur, Misertus autem dominus, omne debitum dimisit ei. Principis etiam cælestis igitur, iram frangit lingua mollis, si modo linguæ molli cætera respõdeant. Cæterùm *longanimitate lenitur princeps terrenus*,) non autem cælestis, nisi pœnitentiam agas, iuxta illud Pauli. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans, quòd benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit. H I

Matt.18.

Rom.2.

» MEL inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud.

Huius parabolæ sensus uariis modis explicari potest, quod etiam Salomon ipse superiore capite innuebat, dicens: Comede fili mi mel, quia bonum est. Sequitur, sic & doctrina sapientiæ: & in sequentibus, Qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Vt igitur, mel quod dulce est admodum & salubre, si mediocriter sumatur, si quis nimium comedat in nauseam uertitur, uentriculum dissoluit & uomitum prouocat: sic etiam quæ sunt alioqui amœnissima, siue animo siue corpori, nisi modum adhibeas amaritudinem suam ostentant. Quæ corporis sunt, quisque secum cogitare potest: Salomon sublimiora meditatur. Quam iucunda & suauis sit piis hominibus, & his qui credunt in Christum, sobria & humilis scripturarum lectio ac meditatio, norunt sibi illi qui contemptis rebus mundanis, ad alteram uitam anhelant: & tamen qui ex scripturarum dulcedine plus præsumunt quàm ualeant concoquere, hoc est suo iudicio nimium fidentes deuorant male intellectas, coguntur mel euomere, dum ex male intellectis scripturis, fidem quam bonam habuerunt, magna ex parte amittunt. Quid amœnius, quid dulcius, quàm amicorum congressus, & fida colloquia? tamen hic tenendus est modus, ne mellis dulcedo in amaritudinem uertatur, iuxta id quod sequitur. K L

» SVBTRAHE pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus
» oderit te.

Verbum הוקר rarum & preciosum facere significat. Vilescunt iuxta uulgi prouerbium quotidiana. Hebræi tamen uertunt prohibe, & Caldæus כלה, hoc est prohibe. Et sensus est ut dixi, pendens ex priore uersiculo: omnium rerum esse uidelicet satietatem, etiam iucundissimarum. Nam amarum est quicquid nimium est, mel quoque si nimium est, ut eleganter scripsit quidam, & non solum de frequentatione domus monet, sed de quacunque importuna apud suos audacia: nam re aliena abuti non debemus præter æquum & bonum amicitiæ prætextu, ne ex amicis, inimicos nobis constituamus. Domus amici nostri est ecclesia Christi: Vos, inquit, amici mei estis: ad quam quicunque importunus M

A nus accedit,hoc eſt non intrans per oſtium, ſed aliunde. Contra ius & fas aſcendens,ex amico facile fiet inimicus.Poteſt & de his intelligi, qui ſacram domini menſam in eccleſia frequentant illotis pedibus, & parum purgatis affectibus animi: aut denique de his, qui ad quancunque functionem eccleſiaſticam properant, niſi precioſis pedibus: iuxta Hebraiſmum,hoc eſt puris & purgatis affectibus. Cap. 25. *Ioan.* 10.

» IACVLVM & gladius,& ſagitta acuta,homo qui loquitur contra proxi-
» mum ſuum falſum teſtimonium.

Non iaculum in Hebr.ſed malleus eſt: & particula ſimilitudinis ſubauditur,uelut malleus.Ex his rebus ſumitur ſimilitudo, quarum ictus omnino mortiferus eſt: ut oſtendat
B criminis magnitudinem falſi teſtis, quod homicidio, uel crudeliſsimo minus non eſt: imò quicunque falſum teſtimonium perhibet contra proximum in iudicio, & in crimine capitali,perinde facit,ac ſi caput hominis malleo tũderet, cultro iugulum peteret,aut denique ſagitta cor transfigeret.q. d. non ſolum in rebus externis damnum infert, ſed uitam extinguit,non iudex,non carnifex, aut lictor innocenti uitam eripit,ſed falſus teſtis, ne quis putet leue eſſe crimen. Sed quanto maius eſt crimen teſtimoniis ſcripturarum male intellectis, non uitam uni eripere, ſed animas totius populi corrumpere, ac interficere.

C DENS putridus & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ. Dens
» confractus,*in Heb.* Et pes lapſus, uel labens: fiducia præuaricatorum in die
» anguſtiæ.

Quauuis fiduciam intelligant fere omnes interpretes eam, quam quis ex præuaricatore expectat. Tamen intelligi poteſt fiducia & ſpes illius qui præuaricatur legem: ut ſit ſenſus, ſua ſe ſpes fruſtrabitur in die anguſtiæ,hoc eſt mortis. Alioqui monet prouerbium non eſſe fidendum illi,qui amicos ſolet fallere,præſertim in re magni momenti,nec prę-
ter periculum & damnum, non exiguus quoque dolor ſequatur.Per dẽtem confractum
D comedendi neceſsitatem,& quæcunque alia maſtigandi, aut digerendi inſtrumenta intelligimus,quibus naturæ officia non præſtantibus,iam ipſa periclitatur uita.Per pedem reliqua membra, quorum motu uel corpus exercemus, uel ad comparandum uictum progredimur: Quemadmodum in his dentibus,inquam,& pedibus,maximam & ſummam uitæ fiduciam collocamus, quibus non peragentibus ſua munera,uitæ longitudinem ſperare non poſſumus, & interim non mediocrem patimur dolorem: ſic non ſolum uana, ſed damnoſa eſt ſpes in eum collata, qui ſolet decipere ſuos. Monet prouerbium non omnibus eſſe fidendum. Qui præcepta præuaricatur, tanquam dens fractus cibum animæ ſuæ non poteſt commolere: & tanquam pes labens, ad brauium ſupernæ hæreditatis non poteſt currere,tanto minus aliis ſe ducem itineris præſtare,aut præman
E ſum aliis præbere cibum, hoc eſt à quo neque exemplum uitæ, neque doctrinam bene credendi poteris accipere, quam fiduciam in eo ponere licet.Si maledictus ſit,qui ſpem ſuam ponit in homine, quanto magis qui in præuaricatore?

» QVI amittit pallium in die frigoris, acetum in nitro, qui cantat carmina
» corde peſsimo. *Hebr.* Qui remouet ueſtem in die frigoris,acetum ſuper ni-
» trum, & cantans in carminibus ſuper cor malum,uel confractum.

F Vox Hebræa ידע eſt ambigua. Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus iubet Paulus: & muſica in luctu, importuna uacatio, ſcripſit alius ſapiens. Idem duabus docet ſimilitudinibus Salomon. In tempore hyberno non ſunt amouendæ ueſtes, quas portare ſolemus, ſed plures addendæ potius pro ratione temporis. Ad nitrum quo ueſtes, ſeu lauantur ſeu intinguntur, acetum non eſt addendum, ſed aqua. Ita ſi quis eſt animo dolente, ſiue malo, uel iuxta Aben Hezra,corde confracto,pro mœſto,huic carmina & ludicrum aliquod ingerere, ualde importunum eſt, & malum quodammodo duplicat:Prouerbium ſignificat omnia tempus habere. *Roma.* 12.

» SI esurierit inimicus tuus,ciba illum: si sitierit,da ei aquam bibere. G

Rom.12. Euangelicum plane præceptum est, non solum de diligendo, sed etiam iuuando inimico. In pane & potu,quæ sunt res omnium maximè necessariæ,etiam quancunque necessitatem intelligimus: & sensus est, bonum pro malo esse reddendum, benefaciendum omnibus, inimicum superandum beneficiis. Nam uix ullus usqueadeò durus, aut implacabilis est,ut non sese pœniteat damnum dedisse illi, qui nullo damno abalienari possit,iuxta id quod sequitur.

» PRVNAS enim congregabis super caput eius, & dominus reddet tibi.
» *Hebræum*, Nam prunas tu accipis,uel incendis super caput eius. H

Tria maximè bona consequutus es eadem opera. Primò uindictam piam de inimico sumes. Quid enim grauius,uel quã maiorem pœnam poteris infligere, quàm igne succendere hominem: reuera tam grauis erit illi uindicta, ac si ardentes prunas illi suffundas in caput: cogitare uidelicet, & tuam bonitatem cum sua ingratitudine conferre, facti sui pœnitentia ardebit in animo,& infectum uolet esse,quod iniquè contra te gessit,tanto desiderio tanto ardore, ut igne cremari uideatur. Hac ratione ubi uindictam hanc piam sumpseris de inimico, fidelem effeceris amicum, ut posthac sibiipsi potius damnum intulerit quàm tibi, à quo prẹter omnem expectationem & meritum,tantum I acceperit beneficium. *Et dominus reddet tibi.*) Quod si parum putas ad hunc modum teipsum uindicasse,imò lucrasse fratrem,præter hæc,mercedem accipies à domino. Ne putes perire beneficium,quod in hominem contuleris quamlibet ingratum, quamlibet de te malè meritum: imò tanto maiorem accipies retributionem à domino, quanto minus meretur inimicus tuum beneficium. Amicis benefacere,mutuis certare muneribus est omnium nationum: etiam infideles & ethnici hoc faciunt: Benefaciunt,inquam,his
Matt.6. à quibus beneficia acceperunt. Tu imitare potius eum, qui solem suum facit oriri su-
Rom.12. per bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: Noli uinci à malo, sed uince in bo- K
no malum. Inimicus malefecit, hac in re similis illi esse noli. Tu benefacere studebis in
Marc.9. omnes, & pro ingratis qui uel nolunt, uel non possunt retaliare beneficium, fide iubet dominus,& remunerabit etiam calicem aquæ frigidæ, in illius nomine porrectum.

» VENTVS aquilo disipat pluuias,& facies tristis linguam detrahentem.
» *Heb.* Facies irata linguam occulte. s. detrahentem.

Sensus prouerbij est, Non solum non oportet male loqui,ac detractare,sed neque præbere aurem his qui malè loquũtur. Nam si non fuerit,qui auscultet,non erunt detractores: ut enim diuersi sunt uenti, & unus cogit nubes, & ad pluuiam disponit, nem- L
pe austrinus: alius uero nubes dispergit, & pluuiam prohibet:sic si quis tristem & iracundum ostendat uultum, his qui famam lædunt alienam, statim illis imponit silentium. Quemadmodum igitur aquilonari uento siccitatem acceptam ferimus, sic his qui obloquentes audiunt libenter, & auscultant, debemus acceptum ferre, quod sint qui in occulto male loquantur,& discordias seminant inter fratres. Monet denique prouerbium,sapientis esse sic cohibere detractores, ut se sentiant reprehensos ea moderatione,quam nec molestè poterunt ferre,nec postea te præsente male loqui audeant.

» MELIVS est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & M
» in domo cõmuni. *Superius cap.* 21. Melius sedere super angulum tecti. s. quàm
» manere cum muliere rixarum, & in domo societatis.

Quod superius exposuimus super angulum tecti, sub dio,intelligi potest aliter, nempe in summitate ædium & angusto loco,quæ mansio est maxime incõmoda: quasi diceret, tranquillitas animæ omnibus aliis huius uitæ uoluptatibus est præferenda, ut sine qua neque uxor neque liberi,neq; ædes magnificæ & capaces gratæ esse possent, ut inquit ille,

A e, Valeat possessor oportet, si comportatis rebus bene cogitat uti. Cap. 25.

„ AQVA frigida animæ sitienti: & nuntius bonus de terra longinqua, siue,
„ auditus bonus de terra longinqua.

Nuntius qui de terra longinqua expectatur, desiderium auget: & tandem tãto maiore lætitia auditur, quanto longius uenit: & ut aquæ frigidæ animam lassam & iam deficientem reuocare uidentur, sic nuntius, quem diu multúmque audire anhelamus. Docet prouerbium, corporis necessitati satisfacere non esse difficile, uerùm animæ desideria esse insatiabilia, in his qui præsentibus non sunt contenti, sed peregrinas merces
B quærunt. De terra longinqua nuntium tulit, homo quidem peregre profectus ut acciperet sibi regnum & reuerti. Quodnam melius nuntium audiri potest, quàm captiuos in libertatem restitui, quàm uinctos dissolui, exules in patriam reduci, cęcos denique uisum recipere, leprosos mundari, pauperes hæredes regni, & cohæredes Christi designari, cum aliis id genus infinitis beneficiis, quæ nobis in euangelio, è terra longinqua referuntur, & super animas in uia peccatorũ lassas effusa est aqua frigida baptismatis & pœnitentiæ cum inæstimabili refrigerio: iuxta illud, Venite ad me omnes qui laboratis & *Matt. 11.* onerati estis, & ego reficiam uos.

C FONS turbatus pede, & uena corrupta, iustus cadens coram impio.

Per fontem turbatum, siue potius conculcatum pedibus & uenam, sup. aquarum corruptam, idem intelligimus. Corrupta dicitur uena, uel quòd obturata sit sordibus & puluere, ut aquam non reddat, uel quòd maligne reddat, neque copiosam neque limpidam aquam fundens. Porrò iustus declinans coram impio, hoc est concedens & dans locum impio, uel superatus ab impio: uel denique iustus qui blanditur impio, & illius improbitatem uel approbat uel non damnat, is est tanquam iustus cadens coram impio. Erit igitur sensus uersiculi quodammodo pendens à priore, ostendens quæ sunt illæ aquæ
D frigidæ, tam gratæ animæ fatigatę & lassæ. Sunt aquæ fontis puri, & uenæ siue scaturiginis perennis, quæ non corrumpitur: alioqui gratiam omnem & amœnitatem perdunt aquæ fontis. Porro quales sunt aquæ istæ frigidæ & claræ lasis ab itinere, puluere & sudore consperſis: talis est doctrina uiri iusti, iuxta id quod scriptũ est 10. cap. Vena uitæ os iusti, & os iusti parturiet sapientiam. Cæterum iustus cõculcatus à malo, hoc est redactus in potestatem impij, ut olim Ioan. Baptista in carcerem ab Herode, quanuis eandem doctrinæ puritatem & loquendi libertatem ubique seruauerit iustus, tamen populo qui doctrinam illius audire solebat, fons ab Herode conculcatus est & uena corrupta, uel potius obturata. Aliter, Iustus declinans coram impio, dans locum impio, uel timens tyrannidem impij, non audet eam doctrinæ puritatem, aut eam copiam in uulgus spargere, merito fons conculcatus & uena corrupta dicitur. Secunda expositio est melior. Vsus prouerbij est in eos, qui primò recte prædicant & docent, pòst uerò à malis hominibus, uel perterriti uel persuasi tacent: & fit uena corrupta non amplius scaturiens, aut quod peius est, bonam & salubrem doctrinam in errores & adulationem commutant, fonte conculcato pedibus lutosis, hoc est terrenis affectibus, & mundanis. Coram impio denique declinare uel cadere intelligi potest, iuxta illud: Et ostendit ei omnia regna mun- *Matth. 4.*
E di, & gloriã eorũ, & dicit ei, Hæc omnia tibi dabo, si cadẽs adoraueris me. Et proh dolor, quot bonos uiros, eruditos & concionatores optimos, sacerdotes, abbates, monachos,
F & episcopos uidimus nostra ætate declinare, imò tãtum non cadere & adorare cacodęmonem: hoc est, eccleſiastica & purissima fide ac doctrina patrum cõculcata uena perenni canonicæ disciplinæ obturata, corruptáque ad nouam formam religionis, nouósque ritus declinare, & repugnante conscientia hominibus magis obedire quàm Deo.

„ SICVT qui mel multum comedit, nõ est bonum, sic qui scrutator est ma-
„ iestatis, opprimetur à gloria. *Heb.* Scrutari gloriam eorum, honor. sup. est.

Hieron. Subaudiuit quædam quæ non sunt in contextu Hebræo, & scrutari gloriã eo-

rum,quod ambiguum eſt,refert ad ſacram triadem,ſubintelligens opprimetur. Hebræi G
gloriam eorum, referunt ad iuſtos, quorum mentio in priore uerſiculo facta eſt: & per
diſſimilitudinem exponitur uerſiculus,ad hunc modum.Quemadmodum bonum non
eſt comedere multum uel nimium mellis, ita honorabile eſt ſcrutari gloriam iuſtorum,
hoc eſt doctrinam illorum,ſiue uirtutes in quibus gloriam habent, non quod re uera iu-
ſti ſuis uirtutibus glorientur, Nam qui gloriatur in domino,glorietur:ſed quod uirtus &
doctrina eorum ſint huiuſmodi, ut in quibus merito quis gloriari poſsit. Alij ſic,come-
dere multum mellis non eſt bonum,ſed comedere mediocriter bonum eſt, ut modo le-
Prouer.4 ctum fuit:Mel inueniſti,comede quod ſufficiat:Et comede(fili mi)mel,quia bonum eſt:
Vt igitur comedere mel nimium, non eſt bonum, ſed ad mediocritatem comedere bo- H
num eſt, ſic ſcrutari doctrinam iuſtorum, gloria eſt. Alij per gloriam eorum, ſcien-
tiam rerum ſublimium & ſyderum intelligunt. Et ex prima clauſula,negationem in ſe-
cundam transferunt,ut ſit ſenſus, *Scrutari & inueſtigare gloriam eorum corporum,*) uidelicet cæleſtium,aut quarumcunque rerum ſublimium,ſcietiam & cognitionem,nimium,
non eſt gloria. Locus eſt ualde difficilis,in quo exponendo mihi maxime arridet Cal-
dæus,qui relatiuũ,ſcrutari gloriam eorum,refert ad ſcripturas,ad hunc modum:Come-
dere mel multum non eſt bonum, neque inueſtigare uerba ſcripturæ, ſubauditur ni-
miũ:rectè intelligens per mel ſacram paginam. Nam ut mel corpori dulciſsimum eſt, &
ſaluberrimum mediocriter ſumptum: ſic animæ. Sacri codices cum humilitate & mo- I
deſtia intellecti,alioqui qui gloriam diuinæ maieſtatis,quæ in illis latet,curioſus ſcruta-
tur,non gloriam aſſequetur aut ſapientiam, ſicut neque dulcedinem qui nimium mel-
lis comedit.

» SICVT urbs patens & abſque murorum ambitu,ita uir,qui non poteſt in
» loquendo cohibere ſpiritum ſuum. *Hebræum*, Vrbs dirupta ſine muro, uir
» cui non eſt prohibitio ſpiritu ſuo.

Prouer.21 Prouerbium in ſenſu fere non diſtat ab eo,quod ſcriptum eſt: Qui cuſtodit os ſuum, & K
linguam ſuam,cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.Docet uterque locus ſermonis ſum-
mam eſſe habendam cuſtodiam:ut puta ex quo ſalus animæ pendet. Nam ut urbs pro-
be munita, & bene murata, ab hoſtium incurſu facillime defendi poteſt: ſic & homo
qui ſpiritum,hoc eſt, flatum & loquelam cohibet,ne quid loquatur prẽter æquum ac bo
num,animæ arcem facilè tuebitur. Poteſt per ſpiritum ira intelligi, quam uel in primis
prouer.12 cohibendam ſuperius docuit Sapiens,inquiens: Fatuus ſtatim indicat iram: qui autẽ diſ-
ſimulat iniuriam,callidus eſt.Sunt qui per ſpiritum intelligunt appetitum carnis,quem
niſi cohibeas & refrenes,hoſtes facilè penetrabunt in animam:ut in urbem muris deſti-
tutam.Hieron.qui de ſuo addidit,in loquendo, ad unum ſenſum contraxit prouerbiũ. L
Mihi uero in genere dictus uidetur ſpiritus, pro quocunque affectu, quibus qui laxant
habenas animi ſui, murum & propugnacula diruunt.

CAPVT XXVI.

QVOMODO nix in æſtate,& pluuiæ in meſſe,ſic indecens eſt ſtulto gloria.

Præter decorum rerum ordinẽ eſt,ut ſit nix in æſtate, hoc eſt duo ma- M
xime pugnantia ſimul: æſtatis calor maturandis frugibus inſtitutus
eſt, ſiccitas uero meſsis colligendis,quibus nix & pluuia uehementer
obſtãt. Quod eſt æſtati calor & maturitas fructuum,& quod eſt meſsi
ſiccitas ad recondendam annonam, hoc eſt gloria ſiue honor ſapientibus: quem ſi quis
tribuat ſtulto,præter hoc quòd naturæ inuertat ordinem, non mediocri damno mundũ
afficit,ſtulto uidelicet tribuẽs honorem, debitum ſapienti. Omnes mali & improbi ſtul-
ti ſunt apud Salomonem, quibus honorem uirtutis præmium uidelicet attribuere non
debemus,

A debemus, ne & illis in ſtultitia permanendi, & aliis eos imitandi præbeamus anſam: nam ut erudite ſcripſit Cicero, Honos alit artes. Hoc noſtrum ſeculum uehemẽter condemnat prouerbium, in quo non pro ratione ſapientiæ & uirtutis habetur honor hominibus, ſed pro ratione opum & ſecularis pompæ. Cap. 28.

» SICVT auis ad alta tranſuolans, & paſſer quolibet uadens, ſic maledictũ
» fruſtra prolatum in quempiam ſuperueniet. *Hebr.* Sicut auis ad uagandũ,
» ſicut hirundo ad uolãdum, ſic maledictio fruſtra non ueniet. Flagellũ equo
» & camus aſino, & uirga in dorſo imprudentium. Ne reſpondeas ſtulto iux-
B ta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam
» ſuam ne ſibi ſapiens eſſe uideatur.

Sicut auis uel paſſer & ſicut hirundo.) A duabus auium ſpeciebus, eadem ſimilitudo trahitur, & per uagari & uolare idem intelligimus. Ex poſteriore clauſula uerſiculi, ſupplendum eſt in pare clauſula uerbum, ſuperuenient, uel reuertẽtur, & erit ſenſus huiuſmodi: Sicut hæ auiculæ, paſſer uidelicet & hirundo, quæ inter homines uerſantur & nidificant in ædibus, frequenter coguntur aufugere & nido relicto auolare: ſed tamen
C reuertuntur, & ueniunt iterum ad nidum. Sic maledictio fruſtra prolata, hoc eſt quæ in immeritum profertur, non ueniet ad innocentem, ſed reuertetur ad eum ex quo exiuit. Hebræi pro לא non, לו illi, & erit ſenſus idem, ſed magis lucidus. Maledictio temere, & ſine cauſa prolata in aliquem, reuertetur ad eum qui protulerit, ſicut paſſer uel hirundo reuertetur ad locum unde exiuit. Sic Hebræi. Quod ſi nihil ſupplẽdo legamus: non ueniet ei maledictio fruſtra prolata: erit ſenſus, non ueniet, pro non nocebit ei, in quem eſt prolata: ſicut auiculæ ſtatim aufugiunt ſine damno, quoties periculum eminere uidẽt. Prior expoſitio uidetur magis quadrare loco, quam etiam Beda ſequutus eſt. Quaſi dicat, qui male dicit alteri, ſibiipſi maledicit. Cui enim non debemus malum pro
D malo reddere, neque maledictum pro maledicto, ut ſequitur: non reſpondeas ſtulto, ſed potius correptionem dignam imponas ei. *Flagellum equo & camus aſino.)* Camus retinaculum equorum uel frenum. Domeſtica hæc animalia utroque egent, & freno uidelicet & flagello: hoc progrediendi ac feſtinandi cauſa: illo uero, ne à recta uia declinent: uirga hominibus ſtultis utrunque præſtat: Fortaſsis utriuſque animalis naturã reſpiciẽs Salomon, equo tribuit flagellũ, quo poteſt incitari ad curſum: aſino uero tribuit camum, quo lento gradu deducitur. Sic inter ſtultos homines ſunt qui niſi ſuo malo quaſi flagello diſcunt ſapere, neque uiam uirtutum tenere, & ſunt quos camo uel freno ducere debes: hoc eſt moderatius refrenare. Simplex ſenſus eſt: Stulti non emẽdantur, niſi flagris
E & correptionibus, & proinde cum illis non maledictionibus, ſed uerberibus agendum eſt: ut ſequitur, *Ne reſpondeas ſtulto*) qui maledixit tibi, maledictionibus uel opprobriis aut deniq; ſtultis uerbis, quemadmodum ille. Sic enim illi ſimilis eſſe uideberis: & hoc eſt, quod dicit, *Iuxta ſtultitiam ſuam.)* Sed reſponde ſtulto ſup. uerbis ſapientibus ſecundum ſtultitiam ſuam: hoc eſt tua reſponſione oſtendatur ſtultus, qui interim ſibiipſi uidetur ſapiens. Beda putat bene habere, ut ſtultitia ſuperba alia ſtultitia retundatur: quaſi cum ſtultis ſtulteſcere liceret: iuxta illud Pauli, Factus ſum inſipiens, uos me coegi- 2. *Cor.* 12.
ſtis. Prior expoſitio eſt melior.

» CLAVDVS pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit uerba per nũtium
F ſtultum. *Heb.* Succidit pedes, iniquitatem bibit, qui mittit uerba per ma-
» num ſtulti.

Significat prouerbium, nihil ineptius poſſe fieri, quàm res ſecretas & magni momenti committere nuntio ſtulto. Similitudines uidentur longius petitæ, ſed maxima incõmoda & damna hinc euenire ſignificare uoluit Salomon. Et ſunt qui exponant de pedibus mittentis, quaſi dicat, uidetur ſibimet ſuccidere pedes, qui mittit legatum ſtultum, cum deberet ipſe potius ire: & ſunt qui exponant de pedibus legati: quaſi dicat, tam abſurdè

facit ille,qui mittit ſtultum,ac ſi mutilum & claudum mitteret. Nã ut claudus caret in- G
ſtrumento eundi,ita ſtultus caret ingenio & animæ dotibus:quibus opus eſt his qui res
bene tractare debent inter principes. Perinde impoſsibile eſt ſtulto prudenter fungi le-
gatione,ac claudo ambulare abciſis pedibus. Porrò non ſolum hoc habebit damni, qui
mittit legatum imprudentem:ſed etiam de iniquitate, quam per ſtultitiam committet,
bibet,hoc eſt particeps erit,ſi uel perperam referat mandata,uel reſponſionem iniquam
reportauerit. Prouerbium monet eſſe uidendum iterum atque iterum,cuius fidei res ſe-
i. *Cor*. 6. rias committas. Maxime ad eos ſpectat admonitio, qui in terris pro Chriſto legatione
funguntur,& legatos ac ſubſtitutos(ut aiunt) nonnunquam coguntur mittere. Quod ſi
ſtultos mittant ad domini familiam, qui non norunt dare menſuram tritici, de iniqui- H
tate illorum bibent,& pœnas dabunt cum ſtultis legatis, qui non fuerunt magis idonei
ad gregem Chriſti paſcendum,quàm ad ambulandum ſunt hi,quibus pedes ſunt am-
putati.

» QVOMODO pulchras fruſtra habet claudus tibias,ſic indecens eſt in ore
» ſtultorum parabola. *Heb*. Inæquales fuerunt tibiæ claudo,& parabola in ore
» ſtultorum: uel eleuatæ fuerunt tibiæ claudo: uel denique, attollite tibias
» claudi. Alij,exaruerunt tibiæ claudo.

In uerſione huius uerſiculi magnam ambiguitatem inuenio. Sed in ſenſu eſt ſummus I
cõſenſus interpretum:nempe,quemadmodum eleuatæ ſunt tibiæ,una ab altera in clau-
do,& ſunt inæquales,ſic parabola & ſententia grauis non conuenit cum reliquis uerbis
ſtulti:aliter ablatę ſunt tibiæ à claudo,ſic parabola in ore ſtulti.q.d.ut corpus ſine tibiis,
ſic parabola,ſine intellectu. Prior expoſitio eſt melior:nam ut in claudo tibia non reſpõ-
det tibiæ,ita in ore ſtulti cætera uerba non reſpondent parabolæ. Locum habebit pro-
uerbium,cum is qui male uiuit,bene loquitur:Sunt enim omnes mali ſtulti,apud Salo-
monem:hos de uirtutibus philoſophari nihil aliud eſt,quàm claudicare. Claudicãt quo-
que & inæqualibus tibiis incedunt,qui partim bene, partim male credunt & confiten- K
3. *Reg*. 18. tur:iuxta illud quod ſcribitur, Vſquequo claudicatis in duas partes,ſi dominus eſt Deus
ſequimini eum,ſi uero Baal ſequimini eum.

» SICVT qui lapidem mittit in aceruum mercurij,ita qui tribuit inſipienti
» honorem. *Hebræum*, Sicut ligare lapidem in funda, ſic eſt qui tribuit ſtul-
» to gloriam.

Sic Caldæus paraphraſtes.ſic Septuag. Sunt ex Hebræis, qui ſic uertunt:Sicut qui ligant
lapidem in aceruum:quos ſequutus eſt Hieron. Cæterum mercurij acerunm refert Ly-
ranus,Bedam ſecutus,ad idololatriã:quaſi impium eſſet, & idololatriæ conferendũ da- L
re honorem ſtulto. Hebræi magis referunt ad abſurditatem rei, apud quos duplicem
expoſitionem inuenio, ob duplicem ſignificationem huius nominis מרגמה uel acer-
uum ſignificantis:& erit ſenſus, Vt qui ligat lapidem precioſum in aceruo aliorum lapi-
dum,inter quos illius perit precium & bonitas:ſic honor attributus ſtulto, inter tot uitia
perit: uel potius,ut indecorum eſt illud,cumulare lapidem precioſum una cum aliis la-
pidibus, ita ſtultum inter alios honore afficere. Quòd ſi מרגמה pro funda capiatur,erit
ſenſus uerſiculi:ut qui ligat lapidem precioſum in funda,ut ſtatim proiiciatur & pereat,
ſic qui tribuit ſtulto honorem. Aben Hezra מרגמה uocẽ Heb. uult ſignificare purpurã, M
& lapidẽ communem intelligit:quẽ in rem precioſam mittere,eſt abſurdũ,ſic ſapientib.
præbere honorem honeſtiſsimũ eſt,ſtultis uero abſurdum. Eſt deniq; & alius ſenſus qui
mihi maxime arridet,nempe Quemadmodum ligare lapidem in funda, non ſolent ho-
mines: nã ſi ligetur,erit inutilis iactus fundæ,ita tribuere honorem ſtulto,inutile eſt:ne-
que mihi diſplicet ſenſus qui accipitur ex eo,quòd nõ ponitur lapis in funda ut maneat,
ſed ut ſtatim proiiciatur, ſic quemcunque tribuens honorem ſtulto ſtatim euaneſcit,
permanens non eſt.

QVOMO-

AQVOMODO ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in Cap. 26.
„ manu ſtultorum. *Hebr.* Sicut ſpina quæ aſcendit in manu temulenti.

Hoc eſt, ut ſpina geſtatur in manu ebrij, non ob aliud quàm ad lædendum & uulnerandum eos, qui accedunt ad eum: ſic parabola ſiue ſapientia & doctrina in ore ſtulti, aliis non prodeſt, ſed nocet. q.d. ſi quid nouerit ſtultus, aut ſi uerba ſapientum poterit imitari, tamen cùm intellectu careat, non poteſt aliis prodeſſe, ſed moleſtare. Superius ſimilitudine tibiarum claudi oſtenſum eſt, parabolam non conuenire ſtulto: hoc in loco oſtendit, parabolam eſſe damnoſam in ore ſtulti, ídque uel aliis ut expoſuimus, uel ſibimet. Nam ut ebrius ſpinis facile decipitur, cùm ſpinas apprehendit incautè, tractans ut alia
B ligna, ſic inſipiens in ore parabolam habens, hoc eſt diuinam ſcripturam legens & reuoluens ſine intellectu & fide, deterior efficitur: pungitur enim in animo & conſcientia ſua, quam tamen non corrigit. Sunt ex Heb. qui in bonam partem prouerbium exponãt ad hunc modum: Quemadmodum eſt aliquod ſpinarum genus, quod acceptum ac geſtatum in manu ebrij, hominem reddit ſobrium: ſic prouerbium ſiue parabola in ore ſtulti, facit ex ſtulto ſapientem: & per parabolam, uel librum legis, uel hunc Salomonis librum intelligimus, ne quis de una quapiam ſententiola dictum putet.

„ IVDICIVM determinat cauſas, & qui imponit ſtulto ſilentium, iras
C mitigat.

Difficile eſt diuinare quid legerit diuus Hieronymus, dum ſic uertit hunc uerſiculum, cum fere nihil ſimile reperiatur, neque in Septua. neque in Heb. ueritate, quæ ſic habet, Magnus format uel creat omnia, & mercedem dat ſtulto, & mercedem (dat) tranſgreſſoribus. Alij ſic, Princeps uulnerat uel coërcet omnes. Duplicem huius loci interpretationẽ habet Dauid in libro radicum. Primo intelligens per magnum ſiue principem, omnium creatorem & formatorem, Deum, qui mercedem dat ſtultis & tranſgreſſoribus, hoc eſt, paſcit ac nutrit eos, qui ſtulte agunt, & tranſgrediuntur illius mandata, non aliter quàm iuſtos & ſapientes, ſecundum illud euangelij, Qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos *Mat. 6.*
D & malos. Hanc diſpenſationem uocat ſcriptura mercedem, quaſi diceret, Deus paſcit bonos & malos, tribuens illis mercedem debitam, quaſi ſeruis ſuis: facit enim pro ſua bonitate, quod ad dominum & principem ſpectat. Illis uerò ſtultis tranſgreſſoribus, qui illius bonitatem non agnoſcunt, neque illi tanquam creatori & paſtori obtemperant, mercedem quoque tandem dabit, nempe ſupplicium debitum. Alij per mercedem intelligunt iuſtam pœnam ſtultis & tranſgreſſoribus deſtinatam: & uidetur uerſiculus, iuxta hunc ſenſum pendere ex præcedente loco, Qui dat ſtulto honorem: ut duplicem iuxta Paulum intelligamus honorem, quorum alter, qui in uictus diſtributione cõſiſtit, non ſolum ſapientibus, ſed etiam ſtultis impertiendus eſt, hoc eſt, malis & ſtultis de-
E bemus dare quæ ſunt ad uitam neceſſaria. Secundo exponitur uerſiculus, ut pendeat ex præcedente, nempe Spina in manu ebrij, ſic parabola in ore ſtulti. & prima dictio uerſiculi רב non pro magno, uel principe, ſed pro multo accipitur: & מחולל, non pro formare uel creare accipitur, ſed pro uulnerare, uel interficere. Et erit ſenſus, Stultus qui multus eſt in prouerbiis, uulnerat omnes, ſicut ſpina in manu ebrij: & qui dat mercedem ſtulto propter parabolas ſuas, hoc eſt propter doctrinam ſuam, perinde facit, ſup. ac is qui dat mercedem tranſgreſſoribus. Tertia denique expoſitio eſt hagaru ſahadia, qui præcedentem una cum hoc uerſiculo interpretãdo ſic connectit. Quum ad ſtultum per-
F uenerit parabola, hoc eſt aliqua pars ſapientiæ, ut plurimum corrumpit & inuertit ſenſum, ſicut ebrius qui fert ſpinas in manu ſua, quibus digitos ſuos & ungulas lædit, & non ſentit: ſic ſtultus multum uulnerat omnes, moleſtus uidelicet ſua parabola & doctrina omnibus, ad iracundiam prouocabit corda filiorum omnium. Hæc ille, quæ nobis non multum arrident, quòd ſecunda pars uerſiculi huic expoſitioni non reſpondeat, iuxta primam expoſitionem quæ eſt optima. Monet prouerbium ſtultos & tranſgreſſores, imò omnes, quò meminerint ſe eſſe mercenarios illius, qui omnia formauit, & omnibus dat mercedem.

„ SICVT canis qui reuertitur ad uomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat G
„ ſtultitiam ſuam.

Quod ſæpe monuimus, nempe ſtultum pro malo accipi, uel alieno à lege Dei, & euangelica doctrina, in qua ſumma ſapientia eſt, ex hoc loco conſtat, citato uidelicet à diuo
2. Petr. 2. Petro: Melius erat illis non cognoſcere uiam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti, ab eo quod illis traditum eſt ſancto mãdato. Contigit enim illis illud ueri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum uomitum, & ſus lota in uolutabro luti. Ab agnitione ueritatis, & à fide euangelica conuerti ad coinquinationes mundi, ut Petri uerbis utar, eſt ad ſtultitiam reuerti, tãquam canis ad uomitum: quo nihil eſt immundius, nihil turpius, H
ita nihil ſtultius quàm ad ſtultitias, quas ſemel reliqueris, reuerti. Sed ut canis non ſentit damnum, denuo deuorare quod euomit: ita ſtultus nõ uult intelligere, ſiue damnum ſiue dedecus, quod ex ſtultitia ſua contraxit.

„ VIDISTI hominem ſapientem ſibi uideri: magis illo ſpem habebit in-
„ ſipiens. *Heb.* Vidiſti ſapientem in oculis ſuis: ſpes eſt de ſtulto magis quàm
„ de illo.

Sapiens in oculis ſuis is eſt, qui cùm ſtultus ſit, tamen ſibimet apparet ſapiens: hic enim
Eſaiæ. 5. à ſapientia maximè eſt alienus, ſecundum illud Eſa. Væ qui ſapientes eſtis in oculis ue- I
ſtris, & coram uobiſmetipſis prudentes: de quibus multa ſpes eſt, ut aliquando ſapientes fiãt. Ab aliis ſapientiam diſcere nolunt, qui perſuaſum habent ſe eſſe ſapientiſsimos. Hoc noſtro ſeculo, qui lõgiſsimè abſunt à uera religione inter Chriſtianos, ut puta maximis erroribus inuoluti, ſibimetipſis tamen maxime placent, & cum Apoſtolis ipſis, & euangeliſtis ſeſe comparant, uel etiam prę ferunt: tanta eſt in quibuſdam fiducia ſuæ partim doctrinæ, partim ſanctitatis: hi ad ueram fidem catholicam conuerti nullo pacto poterunt. Cæterùm qui ſtultos ſe eſſe cognoſcunt, & uel à doctrina euangelica, uel à uita Chriſtiano homine digna alienos ſe eſſe cognoſcunt, conuerſionis magnã ſpem habent. K

„ DICIT piger, Leo eſt in uia, & leæna in itineribus. *Heb.* Leo eſt in uia, &
„ leo in plateis.

Superius cap. 22. hunc uerſiculum expoſuimus, quod ad uoces ſpectat Heb. שחל leo, & אריה leo, diuerſa ſunt nomina eiuſdem ſpeciei, & ſententia eſt eadẽ uerbis diuerſis explicata. Leo eſt in uia, & leo eſt in plateis: ſic reſpondet piger his qui monent ut honeſtis uacet operibus. q. d. tã difficile eſt perſuadere pigro, ut in bonis operibus ſit ſedulus, quam eſt urgere & extrudere aliquem, ut cum leone congrediatur: & hunc ſenſum poſſumus
L elicere ex uerbo dixit, hoc eſt, reſpondit piger his qui hortantur, reſpõdet inquam, otium eſſe tutum, negotium uero periculoſum. Quid enim leone fortius, quid crudelius, ut iam uideatur excuſatio iuſta: ſed per uiam uirtutum, & per plateas piorum hominum oportet progredi, his qui ad ſapientiam tendunt, etiamſi præſens mors ſit intenta. Nec beſtias, nec enſes, nec ignes, aut ullum tormentorum genus timent, qui per uiam chari-
Rom. 8. tatis ad Chriſtum Dei ſapientiam tendunt, dicente Paulo: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?

„ SICVT oſtium uertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo. Abſcon-
„ dit piger manus ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eas conuertit. *Heb.* M
„ Abſcondit piger manum ſuam in ſinu, (uel in patella) laborat reducere eam
„ ad os ſuum. Sapientior ſibi piger uidetur, ſeptem uiris loquentibus ſententias. *Heb.* Sapientior eſt piger in oculis ſuis, ſeptem reſpondentibus ſententiã.

Heb. hoc in loco non diſtinguũt inter pigrum & ſtultum, qui nec foras egreditur ad aliquod opus egregium, nec domi uacat rebus honeſtis: ſed uſqueadeò deditus otio, ut ne otium quidem ferre poſsit. Sed ut oſtiũ in cardine uoluitur, & nunc clauditur, nunc aperitur,

A ritur:ſic piger nunc in hoc,nunc in illud latus uoluitur. Aliter ut ex priore pendeat uerſi- Cap. 26.
culo, nempe leo eſt in plateis. Oſtium uoluitur in cardine, dum egrediuntur & ingrediuntur quiſq; pro neceſsitate ſua, tamen piger nullius exemplo prouocatus uult ſurgere,ſed uoluit ſe in lecto, inquiens,Leo eſt in uia,ab his qui egrediuntur & ingrediuntur ſatis redargutus,& eorũ exẽplo correptus. Prouerbiũ ſignificat eos,qui uitiis & uoluptatibus carnis indulgent, à ſapientia eſſe alienos: qui malè agunt lucem oderunt, in plateas uirtutum non progrediuntur:neque ut in die honeſtè ambulant,ſed in cubilibus,ut inquit Paulus, & impudicitiis ſopiti opera,tenebrarum exercent,non minore facilitate quàm oſtium uoluitur in cardine ſuo. Quod ſequitur, *Abſcondit piger.*)duplicem ſenſum *Roma.13.*
B ſuperius cap.19.contexuimus. Frequens eſt in uariis locis uerſiculi repetitio eiuſdem,uel quòd à diuerſis collectio facta fuerit,uel quòd eadem ſatis aptè quadrẽt diuerſis in locis, ut ex eo quod dictum eſt, pigrum ſeſe in lecto uolutare, conſequens eſt,ut ad ſummam pigritiam perueniat & egeſtatem. Manus ſub aſcellis cõplicare, hominis eſt egentis. Cæterùm non ſine fatigatione manus à patella ad os reducere,pigritię & ſocordiæ eſt extremæ. De duplici ſignificatione huius uocis שלחת ſuperius diximus,unde ſenſus uerſiculi duplex exoritur,ut ſuperius explicauimus. *Sapientior piger ſibi uidetur.*)Cum multa recitauerit uitia pigri ſiue ſtulti,tandem quod eſt maximum infert, nempe,quòd ſapientiã non poſsit diſcere,cum perſuaſum ſit ſibi,neminem ſe eſſe ſapientiorẽ. Per ſeptem ſapiẽ-
C tes,plurimos intelligimus,neque qualeſcunque;ſed tales à quibus reſponſa ſolent homines petere:uel ſeptem dicit,propter ſeptem dona ſapientiæ. Et uerſiculus pendet ab eo, quod dictum eſt, Vidiſti ſapientem in oculis ſuis, ſpes eſt de ſtulto potius,quàm de illo. Hoc in loco quàm nulla ſit ſpes oſtendit, cum adeò alienus ſit à ſapientia,ut ſapiens aliquando euadat, nulla ſpes eſt. Neminem interrogare uel audire ſuſtinet ex omnibus ſapientibus. In ſcripturis ſcrutandis ualde piger & ſtultus eſt populus Iudaicus, quibus dixit Chriſtus:Scrutamini ſcripturas,illę teſtimonium perhibent de me,& meritò propter *Ioan.5.*
pigritiam & ſtoliditatem comparãtur aſino: Inuenietis aſinum ligatum & pullũ, ſoluite. *Matt.21.*
Quanuis uſqueadeò tardus & ſtultus ſit Iudæus, ut ad ſalutem accedere,& relictis um-
D brarum tenebris,ad ueritatis lucem ſurgere nolit, tamen de ſua in rebus diuinis ſapiẽtia ſeſe iactans, à ſeptem ſapientibus,hoc eſt à Chriſtiano, qui ſeptem eccleſiæ ſacramentis, & ſeptem ſpiritus chriſmatibus dotatus eſt,interrogare uel diſcere non uult. Imò ſeptem reſpondentibus ſapientiam ſibi uidetur Iudæus ſapientior,hoc eſt omnibus Chriſtianis, qui iamdudum uniuerſo mundo reſpondent ſententiam,ſiue bonum ſenſum ſcripturarum. Vox Heb. טעם guſtum proprie ſignificat,& ad ſcripturarum intelligentiam optime refertur: quæ ſi bene & ſanè intelligantur, guſtum habent ſalubrem. Hęreticus quoque cũ omnia probe intelligere & tenere ſeſe exiſtimat,à catholicis diſcere non uult, qui ut iubet Petrus,parati ſunt rationem reddere & reſpondere de ea, quę in illis eſt,ſpe & fide.

E SICVT qui apprehendit auribus canem,ſic qui tranſiit impatiens,& com
" miſcetur rixæ alterius. *Heb.* Apprehendens per auriculas canem, tranſiens,
" iraſcens in lite non ſua.

Prouerbium monet non eſſe prouocandas quorumcunque inimicitias. Apud prophanos authores ſententia legitur huic non admodum diſsimilis, Auribus lupum teneo. Quod locum habet in re nimis ambigua,quãdo neque perficere poſſumus, neque ſine periculo dimittere negotium quod habemus in manibus,cuiuſmodi eſt lis aliena:in quã
F ſi quis ſemel intrauerit, cogitur tanquam pars litigantium unà cum illis iraſci, multas moleſtias ferre. Ex auribus luporum,ſiue canum,ſumitur ſimilitudo, uel quòd difficile ſit tenere canem uel lupum ea parte: uel quòd iram prouocat & furorem, auricularum apprehenſio. Sic dum homines inter ſeſe litigant, ad iram ſunt procliues, & proinde tũc minime ferunt iniuriam. Quare qui ad lites accedit alienas, dum alteri parti ſtudet & fauet,alteri uehementer diſplicet, & ueluti crabrones irritans,hoc eſt eos qui ſunt animo amaro,ſentiet indignantes,apprehendens uidelicet ea parte,quam minime tractabilem habent,qualis eſt canibus & lupis auricula. In contextu iuxta compendium linguæ He-

braicæ deſunt quædam particulæ,& ad hunc modum compleri poteſt: Velut is qui tenet per auriculas canem,ſic ille qui tranſiit ad litem alienam, uel ingreditur litem alienam. Vterque abſurde facit: nam canem apprehendere per ceruices ſolemus, non per aures,& homines amicitiis nobis conciliare & beneficiis, non ad inimicitiam prouocare ſine cauſa debemus: quod facit is qui in lite aliena ſeſe intermiſcet. Quod additur, iraſcens,ad utrunque referri poteſt: nempe ad eum qui tenet canem per auriculas,& qui litibus ſeſe immiſcet alienis: utriſque enim iram excitans, iraſci cogitur uiciſsim, ille cum canibus, hic uero cum hominibus. G

» SICVT noxius eſt qui mittit ſagittas,& lanceas in mortem. *Heb.* Sicut ab-
» ſcondit ſe qui iacit ſcintillas, ſagittas & mortem. Sic uir qui frauduléter no- H
» cet amico,& cum fuerit deprehenſus,dicit ludens fieri. *Hebr.* Sic uir qui de-
» cepit amicum & dicet,nunquid ludo?

Vel uehementer malum uel inſanum eſſe,qui dolo malo & fraude imponit amico, docet prouerbium, ſimilitudine accepta ab his qui maxima damna inferunt hominibus. Sunt autem ij,qui ſecreto iniiciunt ſcintillas uel faces ardentes in aliena tecta:uel qui iaculantur ſagittas repente, aut denique quæcunque tela mortis in necem hominum parant ſic ſecrete & abſcondite, ut uitari nequeant, omnium peſsimi, ac perniciosiſsimi habentur. Talis eſt ille qui decepit amicum & dicit,ludẽs ego,uel ludebam: quaſi dicat, I tanto peior,quòd poſt fraudem & damnum illatum,petit pro amico haberi,dicens,non feci ſerio,mala amici ſuos iocos æſtimãs: Vel,ludens feci, referri poteſt eò quòd rideat, non doleat de alieno malo. Quemadmodum qui proiiciunt ſcintillas aut ſagittas cum maximo aliorum damno,& tamen illi interim iocantur & rident, uel per malitiam uel per infamiam. Sunt enim qui ſic uertunt uocem Hebræam מתלהלה, nempe inſaniam ſimulat,uel ſeſe inſanum facit. Alij ſic uertũt,cum fatigatione laborat,qui proiicit ſcintillas ignis uel ſagittas. Interpres ſenſum reddidit magis quàm uerba, peſsimis hominibus comparatur: & excuſatione caret, qui quocunque animo fraudem facit amico ſuo. K

» CVM defecerint ligna,extinguitur ignis: & ſuſurrone ſubtracto,iurgia cõ-
» quieſcunt. *Hebr.* Cum non fuerint ligna, extinguetur ignis:& cum nõ fue-
» rit ſuſurro, ſilebit contentio. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem,
» ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. *Hebræum*, Vir contentionum ad ſuſci-
» tandam litem.

Non erit criminator atque ſuſurro in populis, ſcripſit Moyſes Leui. 19. Ex quo crimine quãta mala proueniãt,oſtẽdit Sapiens hoc in loco: nẽpe diſcordiæ & lites, quibus omnes L cõſumuntur uirtutes:nã ut ignis alitur lignis, ſic ſermone eorum qui inter fratres ſeminant diſcordias,perpetuo uigent diſſenſiones,neque aliter poteſt coaleſcere amicitia,niſi ſublatis his qui diſcordias ſeminãt. Sublata cauſa etiam effectus tollitur. Et ut qui carbones habet, & prunas habere poteſt: & qui ligna, poteſt & ignem habere: ſic ubi fuerit uir contentionum,erunt lites,& diſcordiæ. Recte confert diſcordiam igni qui omnia deuorat,ſic diſſentio in unis ædibus,in rep. una,aut inter eos, qui ſunt eiuſdem fidei & inſtituti,omnia uaſtat: Cõcordia paruæ res creſcunt,diſcordia maximæ dilabuntur. Cuius rei exempla utinam ætas noſtra haberet pauciora: ſed domini clementia deficientibus ſuſurronibus,hoc eſt malis concionatoribus & pſeudoprophetis,quorũ uerba blan- M de ſerpunt ut Cancer, extinguetur tandem noua ſecta diſcordiarum,qua conflagrarunt multorum domicilia & conſcientiæ.

» VERBA ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad intima cordis.
» *Hebræum.* Verba ſuſurronis ſunt uelut hi qui ſe blandos oſtendũt,& ipſa de-
» ſcenderunt ad cubicula uentris.

Alij uocem Hebræam מתלהמים per metatheſin dici uolunt, pro מתהלמים uelut qui contun-

A contũdunt,uel frangunt.Parem uerſionem ſequitur Dauid Kimhi,cui libenter ſubſcri- Cap. 26.
bimus hoc in loco, Suſurro qui alienæ detrahit famæ,magnam ubique præ ſe fert ami-
citiam & ſtudium,erga eos quibuſcunque loquitur,quo maiorẽ fidem inueniat. Aben
Hezra uero in contrario ſenſu exponit uocem מתלהמים nõ ſimplicia,ut nos habemus,
ſed percutientia,ſiue plagam inferentia.Verba detractorum feriunt,& deſcẽdunt ad in-
teriora uentris,hoc eſt,ſunt mortifera,uel plagam infligunt quæ non poterit curari.

„ QVOMODO ſi argento ſordido ornare uelis uas fictile, ſic labia tumen-
„ tia cum peſſimo corde ſatiata. *Heb.* Argentum ſcõriarum obductũ ſuper te-
B „ ſtam,labia ardentia & cor malum. Labiis ſuis intelligitur inimicus,cum in
„ corde tractauerit dolos. *Heb.*Labiis ſuis fit extraneus,uel alienus eſt qui odio
„ habet,& in corde ſuo ponet dolum. Quando ſubmiſerit uocẽ,ne credideris
„ ei,quoniam ſeptẽ nequitiæ ſunt in corde ipſius. *Heb.* Cum gratioſam fecerit
„ uocẽ ſuã,ne credideris ei:nam ſeptem abominationes ſunt in corde ipſius.
„ Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in conſilio. *Heb.*
„ Teget ſe odiũ in deceptione,reuelabitur malitia eius in cõgregatione. Qui
„ fodit foueam incidit in eam,qui uoluit lapidem reuertetur ad eum.

C De maledicis totus hic locus tractat:à quo uitio quàm longe alienum eſſe ſapiẽtem de-
cet,& linguam nitidam ſeruare, & ut puritati linguæ cordis mundicies reſpondeat. Ar-
gentum ſcoriarum intelligi poteſt,uel plenũ ſcoria, uel purgatum à ſcoria:tamen priorẽ
ſenſum fere ſequuntur expoſitores:& labia ſuccendentia intelliguntur in malã partem.
Lingua ignis eſt,quæ inflãmat rotam natiuitatis noſtræ,inflãmmata à gehenna,ut inquit
Iacobus,hoc eſt ad iram & diſcordiam excitatur. Reſpondet uerſiculus præcedentibus:
Vbi non ſunt ligna, ignis extinguitur: quaſi diceret, ubi malæ linguæ & labiis ſeminãti-
bus diſcordiam,cor malum reſpondet, nullus neq; decor,neq; utilitas eſt in tali homine,
D non plus quàm in uaſe fictili,quod obductum eſt argento ſcoriis pleno:& iuxta hanc in-
telligentiã uox רולקים,quam Hieronymus tumentia uertit,nos ardentia,ſiue perſequẽ-
tia labia uertere poſſumus,& argentum ſcoriarum, hoc eſt plenum ſcoriis : ut uas fictile
ſub argento malo,ſic cor malum ſub labiis ſuccendentibus litem uidelicet. Sunt qui ar-
gentum ſcoriarum purgatũ à ſcoria intelligant,& labia ardentia,ſplendẽtia & polita ue-
lut argentum:ut ſit ſenſus, Sicut argentum purum obductum ſuper uas fictile, ſic purus
ſermo & politus cordi malo:in utroque enim magna fraus eſt, & argentum purum non
poteſt ſeruare uas fictile, quo minus frangatur,neque blanda uerba cor malũ ab odio,
uel dolo:& hoc eſt quod ſequitur. *Verbis ſuis noſcitur inimicus.*) uel qui odio habet, quaſi
E dicat,Quanuis cor malum blande loquatur, tamen ſubinde prodit ſeſe. Sicut uas fictile
non poteſt ſic tegi argento, ut non deprehẽdatur,uel ut uas fictile non minus eſt fragile,
quia tegitur argento,ſic cor malum non minus ſtruit dolos, ſi blande loquatur: denique
poteſt ſimilitudo ſic explicari. Quemadmodum uas fictile argento tectum abſcõditur,
ut quàm uile ſit ſcire nequeas, ſic ardentia & ſplendentia labia cor doloſum occultant.
Et hoc eſt quod ſequitur,iuxta quorundam interpretationes: *Labijs ſuis extraneus erit ini-
micus.*) uel odio habens,hoc eſt amicitiam præ ſẽ ferens uerbis odium occultat, & frau-
dem molitur.Cum in corde ſuo tractauerit dolos,ut uertit Hiero.in corde ſuo ponet do-
F lum.Duplex ſignificatio uerbi נכר, ſcire & alienare, duplicem ſenſum uerſiculi gignit,
ut dictum eſt:uel quòd labiis oſtendet odium doloſe occultatum in corde, uel quòd la-
biis amicitiam præ ſe feret,cum odium in corde ſtatuerit ac fixum habuerit.Hæc poſte-
rior expoſitio eſt melior ac magis congruens cum his quæ ſequuntur. *Quando ſubmiſerit
uocem*, uel *cum gratioſam fecerit uocem*, aut *cum orauerit.*) uerbis eorum quæ ſunt hoſtes
fidei,nullo modo credendum eſt,quantumuis gratioſa ſunt,uel quantumuis humilia &
benigna: nam ſeptem abominationes ſunt in corde hæreticorum, ut qui ſeptem eccle-
ſiæ ſacramenta reiiciunt,& ſeptem ſpiritus chariſmatibus ſunt deſtituti.Aben Hezra re-

Prouer. 6. fert ad id quod ſcriptum eſt, Sex ſunt quæ odit dominus, & ſeptimum deteſtatur anima G
eius: nempe eum qui ſeminat inter fratres diſcordias, de quo crimine hoc in loco tractatur. Nos neminē putamus maiores diſcordias inter fratres ſeminare poſſe, quàm noſtra ætate fecit Lutherus, unitatem fidei uidelicet in uarios errores deſecans: quos ſeptem abominationes ſunt ſecutæ, tametſi uoce ſubmiſſa & ualde gratioſa ubique uidebantur loqui illius farinæ homines, in malo corde dolos ponentes, quos argēteis labiis & ſonoro ac eleganti ſermone diu occultabant, ut ſequitur: *Qui operit dolum fraudulenter.*) In Hebræo eſt ſermo uehementior: nam ponitur odium pro homine laborante odio, quod deceptione poteſt latere. Latuit aliquando odium quo laborant hæretici, contra fideles: latet inquam per deceptionem qua utuntur, neque poteſt à ſingulis deprehendi: reuela- H
bitur tandem in cœtu & cōgregatione, quod hactenus uſuueniſſe nouimus omnibus ſectarum authoribus. Et cum in cœtu & eccleſia Dei nota & manifeſta fuerit iniquitas & odium quod conabatur occultare per deceptionē, meritas pœnas dabit. Poteſt uox Hebræa משאון ſolitudinem ſignificare. Caldæus uertit contritio: & erit ſenſus, Odiū quod in ſolitudine occultauerit ſeſe, reuelabitur, & malitia eius in cœtu: quaſi dicat, nihil oc-
Matt. 10. cultum, quod non ſciatur. Et qui malum machinatur aliis, in ſimile malum fere incidere ſolet: quod uerſiculo ſequenti oſtenditur per ſimilitudines, quæ ex ſeptimo Pſalmo deſumptæ uidentur, Incidit in foueā quam fecit, & conuertetur dolor eius in caput eius, quod Dauid de Saule, aut alio quocunque hoſte bonorum uaticinatus eſt. In multis lo- I
cum habuiſſe uel gentium hiſtoriis conſtat.

» LINGVA fallax non amat ueritatem, & os lubricum operatur ruinas.
» *Hebr.* Lingua mendax odio habebit contritum, & os blandum faciet ex-
» pulſionem.

Sermo Hebræus eſt ambiguus, neque ſatis conſtat ex proprietate linguæ, uerteré ne debeamus, linguam mendacem oderit contritus, an lingua mendax odio habebit contritum. Poſterior uerſio magis arridet: ut ſit ſenſus pēdēs ex ſuperioribus, in quibus mul- K
ta dicta ſunt de uitiis malæ linguæ. Inter quæ mēdacium uel maximū eſt, quod ſit incorrigibilis neq; monitorem admittat, ſed odio habeat eum, qui conatur conterere, & refrenare mendacem, hoc eſt, uirum linguæ mendacis cohibere. *Os lubricum operatur ruinas,*) uel os blandum faciet impulſionem, hoc eſt impellet uiolenter quodammodo homines à uia uitæ, id quod contra naturam rerū uidetur eſſe, ut res mollis, cuiuſmodi eſt os blādum, ſiue politum, uim inferat & uiolenter homines impellat, & in ruinā iuxta uerſionē Hieron. detrudat. Aliter Leui Ben Gerſon. Vir linguæ mendacis ſolet odio habere cōtritos, ſiue oppreſſos, non quòd mali quidpiam contulerint illi, ſed quòd exiſtimat ſe odio haberi ab illis, qui ſunt contriti, & oppreſsi falſis illius teſtimoniis, idcirco illos habet L
odio: iuxta illud, Odio habuerunt me gratis. Porrò os blandum intelligit, os contriti & oppreſsi, qui blandè & manſuetè reſpondet, faciet expulſionem illius odij. Aliter, os blandum ſiue æquabile & politum, quod nihil niſi uerum loquitur, expellet linguam mendacem. Ad bonos concionatores referri poteſt, qui in cœtu fidelium falſos concionatores & mendaces impellunt, ſiue expellunt atque reiiciunt. Locus eſt ualde obſcurus. Beda utramque clauſulam eodem refert, nempe ad malos concionatores, quorum lingua blanda multos impellit à uera fide. De quibus hunc totum locum ſumus interpretati. Quanuis poſsit de quouis intelligi, qui fraudulenter agit cum amico ſuo, tamen M
ex omni cœtu & numero hominum, nemo eſt cuius labia & ſermo tot mala inferat, ut hæreticorum, quæ uel orbem inficere conantur, & mala doctrina corrumpere.

CAPVT

Cap. 27.

CAPVT XXVII.

A NE GLORIERIS in craſtinum, ignorans quid ſuperuẽtura pariat dies. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.

Per craſtinum diem, futurum tempus intelligimus, quo cùm ſit incertum quid acturi ſimus, gloriari de his quæ facturi ſumus prohibemur: & de operibus uirtutum ſiue quibuſcunque artium muneribus, & functionibus uidetur intelligendum. Et Iacobus ex hoc loco tranſtulit (ni fallor) quod ſcribit: Hodie *Iaco. 4.*
B aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino: quæ eſt enim uita ueſtra? uapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Cùm ob breuitatem, tum ob incertitudinem humanæ uitæ, nemo debet gloriari, neque ſe iactare de iis quæ factu rus eſt, imò in præſenti bene uiuendum eſt, in præſenti agenda eſt pœnitentia pro peccatis: hodie ſurgendũ à ſomno peccati, hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Hodie prope- *Rom. 13.*
randum eſt in occurſum ſponſi, propterea quòd neſcimus neque diem neque horam. *Neſciẽs quid paritura ſit dies.*) Longius petita metaphora, ſed elegantiſsima, tẽpori tribuit partum: ſic Paulus, Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt: tempori uidelicet ad-
C ſcribens ea quæ fiunt in tempore. Non eſt diſsimile, & quod eſt in euangelio, Nolite eſſe ſoliciti in craſtinum. Vtrobiq; monemur fragilitatis humanæ, quæ de futuro nec cruciari debet, nec iactare ſeſe: nã qualis es, non qualis tua opinione futurus es, apud Deum iudicaris, hoc eſt, ſecundum præſentem iuſtitiam. Sed (inquis) gloriabor & oſtẽtabo me de iuſtitia, quam nũc facio. minime: *Laudet te alienus*:) ſordeſcit enim laus in ore proprio. Verti poteſt per futurum: & erit ſenſus, Non eſt, quòd de laude & gloria ſis ſolicitus: tantum ſtudioſe ſecundum præſcriptum ſapientiæ uiuito, & non deerunt qui laudes tuas celebrent: qui tibi ſunt extranei & alieniſsimi, cogentur uel inuiti famam decantare
D tuam. Vt umbram corpus, ſic uirtutem quocunque in loco apud quaſcunque gentes gloria ſequitur: tantum ſtude in præſenti bene uiuere, & laude non carebis. Vt de futura actione non es ſecurus: ita neque gloriam de eo quod facturus es, expetere debes.

" GRAVE eſt ſaxum, & oneroſa arena, ſed ira ſtulti utroque eſt grauior.

Stultus hoc eſt malus, & à ſapiẽtia alienus, iraſcitur cum iis, quibus ſua ſtultitia diſplicet, qui illius ſtultitiam uituperant: ſi de ſtultitia ſua laudem non reportauerit, iraſcitur: quod omnino eſt intolerabile. Lapis cui magna eſt grauitas, & arena cui põdus ingens, portari poſſunt, de loco in locũ transferri poſſunt, uel uiribus humanis uel ingenio, omnia quãlibet ponderoſa transferri poſſunt: uerum ira ſtulti non poteſt ferri. Aliter, intelligimus
E iram ſtulti ſapientibus eſſe onus intolerabile, uel irã ſtulti non poſſe amoueri ab homine ſtulto: uel denique ſtultum hominem non poſſe ſuam iram nec ferre nec moderari. Lectoris iudicium eſto. Iuxta poſtremam intelligẽtiam, exemplum habemus ex Nabal, qui ſtulta indignatione mortuus eſt.

" IRA non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit? *Hebræum*, Crudelitas eſt in furore, ut impetus " eſt in ira, & quis ſtabit coram inuidia?

F Inuidia Siculi non inuenere tyranni maius tormentum. Inuidus eſt qui marceſcit opimis rebus alienis. Olim admodum crudelis fuit ſynagogæ furor aduerſus eccleſiam, tyrannorum impetus maxima ira ſuccenſus, quibus malis non ſolum reſtitit, ſed creuit fides catholica: hæreticorum uero inuidiã maiore difficultate ſuſtinuit, ut puta qua multæ florentiſsimæ regiones ab eccleſiæ gremio ſunt auulſæ. Alioqui iuxta ſenſum hiſtoricum, facilius eſt ferre iram ſtulti, quanuis uel crudelitate uel impetu & uiolentia grauis, quàm inuidiam quæ finem non nouit neque modum: quaſi dicat, expleta crudelitate ſua ſedatur ira, & impetu ſiue inundatione furoris tranſeunte, paulatim refrigeratur.

Sed inuidia nec ſanguine quidem aut morte unquam expletur aut placatur. Oſtendit G
prouerbium inuidiã magis eſſe alienam à ſapientia,quàm iram ſtulti,quæ uel lapidem
uel arenam grauitate ſuperat.

» MELIOR eſt manifeſta correctio,quàm amor abſconditus. Meliora ſunt
» uulnera diligentis, quã fraudulenta oſcula odientis. *Hebr.* Fidelia ſunt uul-
» nera diligentis,& importuna oſcula odio habentis.

Quàm ingens malum inuidia ſit,ex amoris magnitudine ſatis apparet, cuius tanta uir-
tus eſt,ut omnia efficiat amœna: quicquid enim facit amor, gratum eſt & utile, quan-
tumuis alioqui moleſtum ſit,quod agitur: contra, quæ ſunt amœniſsima, ſi ex inuidia H
procedant,ſunt moleſta. Quid enim moleſtius iuuenibus,quàm corripi & caſtigari? &
quid dulcius quàm oſculis & amplexibus recipi?tamen oſcula habentis odio, dura ſunt
& grauia. Cuiuſmodi erat Iudæ, qui filium hominis oſculo tradidit. Cuiuſmodi erat
2.*Reg.*20 Ioab, qui dixit ad Amaſam, Salue mi frater: & tenens manu dextra mentum Amaſæ,
quaſi oſculans eum,percuſsit in latere,& effudit inteſtina eius in terram. Cõtrà uulnera
amantis ſunt fidelia,hoc eſt,qui amat, corrigendo uel caſtigando quamlibet duriter, ut
uel uulnera uideantur infligere: tamen fidere, & te committere illi poteris. Caldæus
נאנים fidelia, interpretatur pulchra:uel,placida ſunt magis uulnera amantis, cuius o-
mnia placent, quàm oſcula habentis odio,cuius nihil placet. Quòd ad ſenſum prioris I
uerſiculi ſpectat, *Melior eſt manifeſta correptio,*) hoc eſt,plus proderit,quàm ſic indulgen-
ter diligere,ut admonere non audeas. Aben Hezra hunc ſenſum efficit, nempe ut con-
feratur correptio manifeſta, cum correptione occulta,& aſſerit illam eſſe meliorem, ſi
modo utraque ab amore procedat: efficaciorem eſſe manifeſtum, & locus non eſt diſ-
*Matt.*18. ſimilis illi,ex euangelio: Si peccauerit in te frater tuus,corripe eum inter te & ipſum &c.
Conſtat correptionem in propatulo & teſtibus præſentibus factam,longe eſſe duriorem
quàm illam quę ſecreto fit,ſed minus eſt nõnunquam efficax. A patre,& à charis amicis
omnia ſuſtinere,ſiue uerba ſiue plagas, cum ex amore proficiſcãtur, debent iuuenes ſi K
uelint aliquando ad ſapientiam peruenire.

„ ANIMA ſaturata calcabit fauum,& anima eſuriens etiam amarum pro
„ dulci ſumet.

Docet prouerbium quæ ſunt in hac uita,pro deſiderio & appetitu humano æſtimari,
quemadmodum quotidiana diſcimus experiẽtia,rerum omnium eſſe ſatietatem. Melle
nihil eſt dulcius, præſertim recente adhuc in fauis: & tamen qui iam ſatur eſt,minime
curat fauum. Calcabit, dixit hyperbolicè, pro reiicit, faſtidit. Per ſaturum & famelicum,
cuiuſque rei deſiderium & ſaturitatem intelligimus. Quemadmodum deſideriũ L
cibi quod omnium eſt maxime naturale, utputa ſine quo uiuere non poſſumus, fi-
nes ſuos habet, & ſuis limitibus coercetur,neque in immẽſum progreditur:ita pecuniæ,
honoris, & aliorum id genus bonorum corruptibilium modum ponere, iuxta naturæ
neceſsitatem,hoc in loco docemur: & neque creaturas Dei contemnere,quas ad ſuſten-
tationem huius uitæ nobis largitus eſt Deus: neq; res caducas & huius uitæ uoluptates
(quæ re uera ſunt amaræ iis, qui cæleſti ſapientia ſunt imbuti) uirtutibus animæ & re-
bus cæleſtibus anteponere, hoc eſt amarum pro dulci appetere, cum quis inſatiabili fa-
me terrenarum rerum laborat.

» SICVT auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic uir qui relinquit locum ſuum. M
» *Heb.* Sicut auis uagatur,uel aufugit de nido ſuo,ſic uir uagatur de loco.

Auis uagatur de nido,relictis pullis, ut cibum quærat:& uir ſimiliter ad acquirendum
Iob. 5. quæ uitæ ſunt neceſſaria,relictis parentibus & charis amicis, iuxta illud quod ſcribitur,
Vt auis ad uolandum,ſic homo ad laborem natus eſt. Et ſenſus pendet ex priore clauſu-
la,qua dictum eſt, Anima eſuriens amarum habet pro dulci, id quod ne fiat,& ne quis
ad tantam redigatur indigentiam hortatur: ut auicularum exemplo relictis ædibus, &

familia

familia paterna, potius uictum quærat inter ignotos, quàm inter ſuos domi otio torpeſcat, & fame laboret. Prouerbium nos admonet peregrinationis noſtræ, quam agimus ſuper terram, quòd ciuitatem manendi non habeamus, neque uictum ſine labore. Et proinde ut anima ſaturata quæ fauum conculcat: hoc eſt, diues cui nihil deeſt, gloriari non debet, ignorans quid dies craſtina paritura ſit, & incertus ſi de loco migrare debeat: ſic anima eſuriens, conſolationem accipiat, ſciēs nihil ſibi defuturum, ſi ſtudioſe uictum quærat auicularum more, quæ mane egrediuntur de nido: & dum huc atque illuc uagantur, Deus paſcit illas. Vir qui uagatur de loco ſuo, eſt omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen Chriſti. Cap. 27. *Matt.* 19.

B VNGVENTO & uariis odoribus delectatur cor: & bonis amici conſiliis anima dulcoratur. *Heb.* Vnguentum & ſuffimentum lætificabit cor, & dulcis eſt amicus magis quàm conſilium animæ.

Sunt quædam ſupplenda ad ſenſum perfectum, ad hunc modum: Et dulcedo conſilij amici ſui, ſupple, lætificabit hominē, magis quàm conſilium animæ ſuæ: hoc eſt quàm conſilium proprium. Metaphoricè dixit ſuauitas conſilij, ſiue dulce conſilium, pro fideli & amico. Magna delectatio ſumitur ex rebus odoriferis, & unguēto quod extrinſecus C applicatur corpori, maior quàm ex uino uel eſculentis, quę in ipſa uiſcera traiiciuntur, ꝙ cæteræ uoluptates ſtatim euaneſcunt: ex unguento autem & ſuffitu quàm diutiſsimè durat gratus odor, qui ſubinde lætificat animam. Haud aliter conſilium quod quiſque ſibi capit in rebus agendis, non tantum placet, neque fere tam utile eſt, ut illud quod ex fido capit amico, nos affectibus obnoxij cæcutimus: neque rationem liberè poſſumus deducere in iis rebus, quæ ad nos propius ſpectant. Conſilium fidelis amici ſemper recens & ſuaue, magnam amœnitatem affert, præſertim talium amicorum, de quibus ſcriptum eſt. Chriſti bonus odor ſumus, quorum cōſilium fidelibus eſt odor uitæ in uitam, infidelibus uero odor mortis in mortem. 2. *Cor.* 3.

D AMICVM tuum & amicum patris tui ne dimiſeris, & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ, uel contritionis. Melior eſt uicinus iuxta, quàm frater procul.

In Hebr. eſt unus uerſiculus qui docet, cuius potiſsimum amici conſilium ſequi debeamus, & quas uices amico rependere. *Amicum tuum & amicum patris tui.*) Apud alium ſapientem ſimile aliquid legimus, Ne derelinquas amicum antiquum: uinum nouū, amicus nouus, ueteraſcit, & cum ſuauitate bibes illud. Hic eſt cuius experimentum habes, qui & patri tuo, & tibi fidelis inuentus eſt. Nam neque utile, neque honeſtū eſt ſæpe mu E tare amicos, pluribus autem familiariter uti uix poſſumus. Et proinde egregium ſapientiæ præceptum, ne quis derelinquat amicum cordatum, qui & nobis & maioribus noſtris beneuolentiam & fidelitatem oſtenderit: illius conſilio ueluti flagrantia odoramentorum lætificabitur cor. Ex quo igitur iucundam ſuauitatem acceperis, caue ne moleſtiā inferas, iuxta id quod ſequitur: *Et domum fratris tui ne ingrediaris in tempore contritionis tuæ.*) Vel fratrem uel charum intelligimus amicum, quem fratris loco habemus, ut puta & noſter & paternus amicus: quē nimium moleſtare à ſapientia eſt alienum. In rebus quæ ſub deliberationē cadunt, dulce eſt conſilium amici: rebus uerò deſperatis, & ad extre- F mam miſeriam delatis, conſilij locus eſſe non poteſt. Et proinde noli tuo ſeu fratri, ſeu amico nimium eſſe moleſtus, in die afflictionis tuæ illius ædes ingreſſus, & illius oculis tuam miſeriam ingerens, & pro iucunditate quam ab illo ſoles accipere, triſtitiam rependere. Alij uolunt referre hæc uerba, *Ne ingrediaris domum fratris tui,*) ad ſequentem clauſulam, nempe melior eſt uicinus propinquus: Et ſenſus erit huiuſmodi, In magna afflictione non adibis domum fratris tui, ſed amici uicini. q. d. Poteris amico magis fidere quàm fratri, ut ſuperius legimus: Fratres omnes pauperis oderunt eum. Et uicinum qui prope eſt intelligimus, non tam loco, quàm amore propinquum & affectu: quanuis locus & *Eccleſ.* 9.

quotidiana amicorum officia plurimum iuuent ad neceſsitatem contrahendam. Deni- G
que prouerbium non eſt diuerſum ab illo Heſiodi,

Τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι·
Τόνδε μάλιστα καλεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.
Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δ' ἕκηλοι.

„ STVDE ſapientiæ fili mi, & lætifica cor meum ut poſſis exprobranti re-
„ ſpondere uerbum. *Heb.* Sapiens eſto fili mi, & lætifica cor meum, & reſpon-
„ debo iis qui probris me afficiunt uerbum. H

Quantæ lætitiæ patri ſit filius ſapiens, non ſemel dictum eſt. Hoc in loco & lætitiam & honorem ex ſapienti filio capere patrem oſtendit, & ignominiam ex ſtulto: & interim documentum iuuenibus datur, ut ſapientiam amplectantur, ſtultitiam & inſaniam iuuenilem deponant, ſcientes hac re nihil charius eſſe poſſe parentibus. *Reſpondebo exprobrantibus*:) his qui te probro afficiunt, quod ſapientiæ paternæ & uirtutibus non reſpondeas: uel his, qui me probro afficiunt, quòd filios non recte nouerim educare, & inſtituere. Aliter, *Eſto ſapiens fili mi*,)ut ex tua ſapientia duplex commodum accipiam. Magnã uidelicet cordis lætitiam, & à calumniis defenſionem. Per te enim, & tuam ſapientiam reſpondebo calumniatoribus, qui me uolunt uel damno, uel opprobrio afficere. *Reſpon-* I
debo uerbum,)hoc eſt, rationem reddam per tuam ſapientiam, quaſi dicat, patri iam ad ſenium uergenti æquum eſt ut filius adſit, & in rebus agendis opem ferat.

„ ASTVTVS uidens malum, abſconditus eſt: paruuli tranſeuntes ſuſti-
„ nuerunt diſpendia, *uel*, puniti ſunt.

Præuidere mala quæ ſolent accidere in ciuitate, famis uidelicet uel gladij, aut quodcũque genus miſeriæ & afflictionis, prudentis eſt, & hominis experti ac ſagacis: qui ex his quę fiunt, uel populi uel principum ſtultitia, colligere quodãmodo & diuinare ſolet, quę K
futura ſunt. פתאים, qui ſimplices ſunt uel imperiti (quæ uox fere in malam partem accipitur) temporum uices diſtinguere nequeunt, neque mala præuidere, priuſquam ueniant, hi in magnas nonnunquam calamitates incidunt. Verſiculus quadrat cum eo quod ſcriptum eſt ſuperius, Stultus tranſilit & confidit. Vere ſapiens & aſtutus dici poteſt, qui uidet quanta tormenta parata ſint peccatoribus, & ſeſe abſcondit in foraminibus petræ,
Exo. 33. dextera Dei protectus, donec tranſeat gloria domini.

„ TOLLE ueſtimentum eius qui ſpopondit pro extraneo, & pro alienis au-
„ fer ei pignus. *Hebræum*, Tolle ueſtimẽtum eius, quia fideiuſsit pro extraneo, L
„ & pro extranea pignus eius. Qui benedicit proximo ſuo uoce grandi, de no-
„ cte conſurgens maledicenti ſimilis eſt. *Heb.* Maledictio reputabitur ei.

Hos duos uerſiculos connectit Aben Hezra ad hunc modum, ut idem intelligas, qui ſpopõdit pro extraneo, & qui miris ac publicis laudibus amicum ſuum extollit, quaſi blanditiis cuperet placare eum, qui ueſtem ſuam aufert in pignus. De prudentia quam habere debet uir ſapiens in contractibus cum alienis, ſuperius multa dicta ſunt, partim ſexto cap. partim 17. huius. Quod ad pręſentem locum ſpectat, ambiguum eſt apud Hebrẽos, M
& uerti poteſt. Cape ueſtem eius quando fideiubet extraneus, uel ab eo qui fideiubet pro extraneo. Poſteriorem uerſionem ſequuntur fere interpretes. Vult Sapiens ſuum filium eſſe ſecurum in contractibus, & potius ueſtem ſponſoris accipere, ſi pignus aliud non præbeat: potius, inquam, quàm lites ſequi. Aliter, alienus eſt infidelis, & diuerſæ religionis cultor, cui non oportet fidere: quòd ſi quis imprudens pro infideli ſuam fidem uelit interponere, neque is fide dignus eſt: quare ab eo potius ueſtem capere, uel quicquid habet ſuis uſibus maximè neceſſarium, quàm ei fidere qui apud extraneum ſuam collocauit fidem. Veſtis cultus eſt externus & ritus, qui ab idololatris penitus detrahen-

dus

A dus eſt, cum ad fidem accedunt: uel fucata Iudæorum ſuperſtitio, quam deponant oportet, ut nudi ad Chriſtum perueniant. Superius per ueſtem, carnem & exteriorem hominem uoluimus intelligere, qui ſpoliandus eſt cum actibus ſuis, ab his qui renuntiarunt mundo & pompis eius. *Qui benedicit proximo ſuo uoce magna.*) Superius de fido dictum eſt amico, cuius conſilium eſt admodum amœnum: hic de fucato, qui ſic laudat amicum, ut præſtiterit uituperari. Nam tempus & locum habent omnia. Coram & in os laudare, non amicorum, ſed paraſitorum eſt. Tempus matutinum non humanis, ſed diuinis laudibus dicatum eſt. Senſus eſt igitur duplex huius loci, maledictio reputabitur ei qui magis & prius, hoc eſt magis ſtudet humanis quàm diuinis laudibus, & magis ſedulo uerſatur in gratiarū actione de beneficiis, quas ab hominibus accepit, quàm de his quæ accepit à Deo. Aliter, Maledictio reputabitur, & uituperiū adulatio amicorum importuna: quæ duntaxat oſtentationem habet fucatæ amicitiæ, cum reliqua non reſpondeant officia. Per uocem magnam, amicum ore tenus intelligimus, qui multa promittit, & pauca præſtat. Mane ſurgens, hoc eſt intempeſtiuus, qui non ſeruat circunſtantias illas, in omnium uirtutum officiis neceſſarias, nempe quando oportet, & quantum oportet, &c. Cap. 27.

B

" TECTA perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparatur. *Heb.*

C " Stillatio aſsidua in die pluuiæ, & mulier litigioſa æqualis eſt: hoc eſt, utrunque perinde moleſtum eſt.

In tempore pluuiæ qui in ædibus habet diſtillationem continuam, neque domi commode, neque foris poteſt manere: ſic qui uxorem habet in ædibus ſecum litigantem ſimilem habet moleſtiam. Superius cap. 19. habes hunc uerſiculum copioſius explicatum.

" QVI retinet eam, quaſi qui uentum retineat, & oleum dextræ ſuæ euacuet.

" *Hebr.* Qui abſcondit eam, abſcondit uentum & oleum dexteræ ſuæ uocabit.

D Duabus ſimilitudinibus, altera clara, altera obſcura oſtendit peiorem conditionem eſſe illius, qui mulierem ſiue uxorem habet litigioſam, quàm illius qui habet perpetuam in ædibus diſtillationem in tempore pluuiæ: quòd illius mali nullum poſsit adhiberi remedium. Nam qui mulierem clamoſam & litigioſam conatur cohibere, aut illi ſilentiū imponere, perinde facit, ac ſi quis uelit uẽtum occultare & retinere, qui per rimas erumpit. Hic rixæ malæ uxoris, non poſſunt infra parietes occultari, ſed foras diffunditur clamor: ſic ſi quis oleum myrrhæ in dextera ſua tenere uelit. In Hebr. Clamabit (oleum) metaphoricè dixit, pro flagrantiam ſuam foras emittit, oſtendens odore quid in dextera habeas occultatum. Sic mulier in ædibus incluſa latere non uult. Clamoribus toti uici-

E nio manifeſtans rixas, quas domi cum marito excitat. Clamabit, ad oleum refert, alludens ad mulieris iurgia. Sunt qui primam ſimilitudinem de uento transferant ad mulierem litigioſam & adulteram, quàm maritus non poteſt retinere domi, non magis quàm uentum palma includere.

" FERRVM ferro acuitur, & homo acuit faciem amici ſui.

Per ferrum, enſem bene intelligunt aliqui, ſeu quodcunque inſtrumentum ex ferro. Et remedium præbet prouerbium contra mulierem rixoſam, quæ abſcondi non poteſt, neque uult tacere: nempe dare locum iræ, & molliter reſpondere. Nam reſponſio mollis *Sup. 15.*

F frangit iram: alioqui unius ira alterius indignatione ſuccenditur, ut ferrū quod durum eſt, acumen accipit ex ferro. Sunt qui non ad iracundiam ſolum referunt, ſed ad alios quoſcunque motus ſeu affectiones: & erit ſenſus in bonam partem, Sicut ferrum ferro acuitur, ſic uir exacuet & incitabit faciem proximi ſui ad ſapientiam, ſeu ad ſtultitiam: facile enim induunt iuuenes mores eorum, quibuſcum uiuunt, & quorum exempla uident.

" QVI ſeruat ficum, comedet fructus eius: & qui cuſtos eſt domini ſui

" glorificabitur.

Ficui contulit dominũ ſiue herum alicuius ſerui, potius quàm aliis arboribus, partim ob ſuauitatem fructus, partim ob nouitatem & uiciſsitudinem: non enim ut aliarum arborum una matureſcunt fici, ſed maturis decerptis, ſubinde renaſcũtur aliæ recentiores: & ſubaudimus, qui ſeruat ficum, recentes fructus illius ſubinde comedit, ſic qui ſeruat dominum, hoc eſt obtemperat domino, neque exacuit faciem illius, ut ferrum ferro acuitur, hoc eſt, prouocat ad iram, ſubinde nouos & nouos honores ab eo conſequetur. Seruat dominum, hoc eſt præcepta & uoluntatem domini: Non qui ſeruat ficum legis Mo- G
Matt. 21. ſaicæ, quæ folia tantum habebat non fructus, ſed illam diu ſterilem, circa cuius radices
Luc. 13. ſtercora miſit agricola, ut mortificata quòd debita cultura eſſet deſtituta, foſsione & ſter coratione, hoc eſt humilitate confeiſsonis propriæ fragilitatis reuiuiſcat, & ſuauiſsimos H
Gala. 5. fructus ſpiritus adferat: de quibus Paulus, Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, &c.

» QVEMADMODVM in aquis reſplendent uultus proſpicientium, ſic
» corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. *Hebræum*, Sicut aquæ facies ad
» faciem, ſic cor hominis ad hominem.

Interpres de ſuo addens hanc uocem latinam prudentibus, ſenſum unum manifeſtauit: nempe ſapientes facillime decernere mores & ingenia hominum, & clare de illis iudicare. Aben Hezra lõge alium ſenſum eſt aſſecutus, iuxta ueritatem Hebræam, ſed mul- I
ta ſupplendo ad hunc modum. Sicut aquæ creſcunt ſuperueniẽtibus aquis, & facies per facies, hoc eſt, ira unius creſcit per iram alterius, ut dictum eſt: ſic etiam cor hominis repletur malo, propter cor alterius hominis, qui eum odio proſequitur. ſic ille. Leui uerò ſequitur ſenſum non multum alienum ab eo, quem reddit noſter interpres, nẽpe: Quẽadmodum in aquis uultus hominis relucet, ut uideatur facies in aqua reſpondere faciei hominis, qui in aquam intuetur: ſic cor hominis ad hominem, hoc eſt, homo ſeipſum intuebitur reuerſus ad cor ſuum, quod homini eſt pro ſpeculo, ſiue pro aqua limpida qua
1. Cor. 2. ſeipſum intuetur, ut ait Paulus: Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus K
hominis qui in ipſo eſt? Alioqui uarius eſt huius loci ſenſus, & uariis modis ſimilitudinẽ deflectunt interpretes in commentariis Hebr. Alij ſic, ut aqua una reddit diuerſas facies hominum, ſic alia ſunt diuerſorum hominum corda, uel ut aqua repræſentat uultũ quẽ in ſe non habet, atque ita fallit imprudẽtes & pueros, qui omnino putant eſſe uultũ hominis in aqua: ſic cor unius hominis amicitiam diſsimulans & præ ſe ferens, quam in ſe non habet, hominem fallit. Aliter, ut in aqua facies reſpõdet faciei: ſic cor hominis unius reſpondet cordi alterius, hoc eſt, prauum eſt cor uniuſcuiuſque hominis & inſcrutabile, priuſquam gratia illuminetur.

» INFERNVS & perditio nunquam implentur, ſimiliter & oculi homi- L
» num inſatiabiles.

שאול infernus, uel potius ſepulchrum iuxta Heb. qui gehennam intelligunt ſub hac uoce, אבדון perditio: quæ duæ res, ut nunquam ſatiantur, ita neque oculi hominum rebus terrenis. Inſatiabilem cordis appetitum tranſtulit ad oculos, eo quòd oculi potiſsimum, ad ſenſum internum rerum ſimulachra tranſportant. Quadrat ſenſus cum eõ quod ſcribitur: Infernus & perditio coram domino, quanto magis corda filiorum hominum? Quanuis utrunque inſatiabile & inſcrutabile, tamen dominũ latere non poſſunt: & pen M
det ex priore uerſiculo, iuxta Aben Hezra. Pœnas minatus his, quorum corda ſunt mala, ſepulchri & perditionis facit mentionem, ut cupiditatibus mundanis modum aliquando ponamus, ne inſatiabiles cordis oculi ab inferno inſatiabili abſorbeantur.

» QVOMODO probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum,
» ſic probatur homo ore laudantis. Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas
» feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius. *Hebræum*, Si contu-

deris

A deris ſtultum in mortario, in modio tritici contuſi. Cum piſtillo non re- Cap. 27.
„ cedet ab eo ſtultitia eius.

Docet ſtultos homines eſſe incorrigibiles,& aliis rebus eſſe inſtrumẽta, quibus purgari poſsint,ut argẽtũ cõflatorio,& aurũ fornace purgãtur.Et unũquẽq; uirũ purgat ſiue probat os laudãtis eũ.q.d.Laus quę tribuitur homini,purgat eũ à crimine,ſaltẽ iudicio & teſtimonio illius qui laudat,ſicut cõflatoriũ purgat argentũ à ſcoria.Alij איש nõ pro uiro, ſed pro re qualibet accipiũt:ſic res quælibet purgatur,iuxta laudẽ ſuã,hoc eſt, diſpoſitionem & facultatẽ laudabilẽ,ſed hi ſenſum prouerbij tollũt:utcũque,obſeruandũ eſt uocẽ Hebræam מהללו participium non eſſe,ut interpres uertit,ſed nomẽ uerbale,iuxta Da-
B uidem Kimhi in libro Radicum.A quo miror diſſentire Sanctem Pagninum,qui & ipſe uertit os laudantis, quãuis in ſuo Theſauro rectius, nempe uir iuxta laudem ſuam. Author uero Tigurinæ uerſionis,imperitiam ſuam in Hebræa grammatica paſsim oſtẽdit. *Si contuderis ſtultum in pila:*) uox Hebræa מכתש à contundendo dicitur, ſignificans mortarium, ſeu uas quodcunque, quo res contunduntur. *Inter ptiſanas.*) Vox Hebræa ריפות uel hordeum ex quo ptiſanas conficiunt,uel iuxta Dauid Kimhi,triticum contuſum ſignificat.Senſus prouerbij,ut diximus,omnia purgari poſſe,quędam facilius,quædam difficilius.Cæterum à ſtulto ſtultitia ſua auferri non poteſt,nulla neque arte neque
C labore.Maxima fatigatione contũdunt triticum,ſiue far, ut mundum fiat,purgatur tamen tandem.Stultus qui à ſapientia eſt alienus,ſeu Iudæus, ſeu infidelis, aut hæreticus, nullo labore,nulla pœna, aut percuſsione ſapere uolunt ea quæ ſunt Dei, ut inquit, Ie- *Ierem.13.*
remias:Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam,aut pardus uarietates ſuas, & uos poteritis benefacere, cum didiceritis male.

„ DILIGENTER agnoſce uultum pecoris tui, tuóſque greges conſide-
„ ra. Non enim habebis iugiter poteſtatem,ſed corona tribuetur tibi in gene-
D ratione & generationem. *Hebr.* Nam non in ſeculum diuitiæ, & ſi corona
„ in generatione generationis. Aperta ſunt prata,& apparuerũt herbæ uiren-
„ tes,& collecta ſunt fœna de montibus. *Heb.* Apparuit herba,& uidetur gra-
„ men,& colligentur herbæ montium. Agni ſunt ad ueſtimentum tuum, &
„ hœdi ad agri precium. *Heb.* Oues ad indumenta tua,& precium agri ſunt
„ hirci. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ,
„ & ad uictum ancillis tuis.

E Quod ad ſenſum hiſtoricum ſpectat,non eſt in his quinque uerſiculis magna difficultas.Ob magnam utilitatem quæ ex pecoribus prouenit, & ob honeſtatem uitæ paſtoralis,quã olim cum laude Patriarchæ frequentabant. *Diligenter agnoſce uultum pecoris tui.*) Hebræum,Cognoſcendo cognoſce,hoc eſt, tuipſe curam habe pecoris tui, & animum ad paſtoralem uitam applica,quæ & utiliſsima eſt,& uſqueadeò honeſta,ut uel cum corona regni cõferri mereatur, præſertim quod ad ſtabilitatem & diuturnitatem ſpectat, iuxta id quod ſequitur.*Nam non in æternum opes.*) ſup.durabunt.q.d.Noli fidere diuitiis reconditis à maioribus tuis,quaſi ſufficerent tibi abſque quocunque labore: imò curam habe pecoris, & paſce gregem,cuius luerum ſtabilius eſt, quàm theſaurus reconditus:
F hoc enim proprie ſignificat uox Hebræa חוסן, & ſtabilius quàm regnum.Sic enim coronam interpretantur Hebræi:ut utraque clauſula ad laudem paſtoralis uitæ referatur: utputa quam exercuerunt Patriarchæ: uel cum regibus celebritate & opibus conferendi.Quæ ſequuntur ad facilitatem uitæ paſtoralis attinent.*Aperta ſunt prata.*)quaſi dicat, ubique reperiuntur gramina,& nuſquam non uidentur. Herbæ colligũtur ex mõtibus: reponitur fœnum in tempus hybernũ,in quo fortaſsis gramina non inueniuntur.Porrò quod ad ſufficientiam huius paſtoralis uitæ,& etiam ad neceſsitatem ſpectat, ſequitur: *Agni tui ſiue oues ad ueſtimentum tuum.*) quaſi dicat, omnia familiæ tuæ neceſſaria,grex ſubminiſtrat: habes lanam ouium pro indumentis,& precium hœdorum ſiue hircorum

(ut eſt in Heb.)ad agros comparãdos,ſi deſunt herbæ,uel ad fructus agri comparandos, G
præſertim triticum.q.d.Si cum cura paſcas gregem, non erit neceſſe agros colere: nam precio hircorum,fructum agrorum poteris comparare: uel precium agri,pretium locati fundi tui,in quo habitas,poteris uenditis hœdis perſoluere. Denique quòd ad uictũ ſpectat, *Sufficiat tibi lac caprarum,*) tibi inquam, & uniuerſæ familiæ: & huc ſpectat totus hic ſermo Sapientis de ouibus & capris, ut moneat nos naturæ legibus uiuere, & habentes uictum & ueſtitum,his contenti ſimus. Monet denique ſapientis uiri non eſſe ad aulicum aſpirare faſtum,nec mercatorum inexplebilem ſectari auaritiam, ſed humilium ui uendi inſtitutum & orationem,cuiuſmodi eſt paſtoralis, ab Abelle primo, poſt ab aliis magnis uiris honeſtatum, maximopere eligendum. Huius loci elegantiſsima eſt alle- H
goria, non minus eleganter à Beda explicata: nempe de grege dominico,cuius uultum cognoſcere debent diligenter,qui curam habẽt paſtoralem, & totum ſtudium in id muneris collocare, expectantes prẽmium,non temporales & caducas diuitias,nec regnum in hoc mundo, ſed coronam iuſtitiæ, quam reddet dominus. Nam quod ad ſubſidia temporalia ſpectat,quæ ueluti germen & herba ſunt æſtimanda, ubique patẽt & obuia ſunt præparata à domino, & collecta uelut gramina ex montibus colliguntur pecoribus: ſic dominus ſuis tam ouibus quàm paſtoribus pabulum parat, ut ſcriptum eſt: Primum
Mat. 5. quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius,& hæc omnia adiicientur uobis. Aliter, in agris diuinarum ſcripturarum ubique patent gramina,& collecta ſunt ex prophetis & apoſto- I
lis, qui tanquam montes, excelſiores cæteris fuerunt uirtutibus & perfectione uitæ.

CAPVT XXVIII.

FVGIT impius nemine perſequente: Iuſtus autem quaſi leo confidens, abſque timore erit. *Heb.* Fugerunt (*ſup.*) impij cum nullus impius perſequitur.

Vel fugerunt impius,frequens Heb.hoc eſt,unuſquiſque ex impiis fu- K
git. Conſcius ſibi timet pœnas ſceleribus debitas. Ita comparatum eſt, ſeu natura,ſeu diſpẽſatione diuina,ut cõſciẽtiæ magnis & horrẽdis criminibus obnoxiæ, nuſquã poſsint ſecure cõſiſtere. Sẽper in timore uerſantur,etiãſi nullus ſit,qui audeat eos perſequi potentiſsimi tyranni,& ſanctorũ perſecutores conſciẽtię furiis agitati,in ſummo timore uiuunt:contrà pura conſcientia ſemper eſt ſecura. Vnuſquiſque ex iuſtis agit inter homines, ſicut leo inter feras: hoc eſt,ſumma ubique confidentia. *Iuſti confidet,* uel *cõfidere ſolet.*) iuxta Hebraiſmum, pro unuſquiſque ex iuſtis confidet.q.d.Non ſunt confidentes quod multi ſint,ſed ſeorſum unuſquiſque ſatis confidit ſolus, cum non ſuis uiri- L
bus fiduciã habeat,ſed in domino,ut ſuperius legimus, Turris fortiſsima nomen domini,ad ipſam currit iuſtus & exaltabitur. Verum de impiis dictum eſt,fugerũt.q.d.Omnis multitudo impiorum perinde timida eſt, ac ſi unus eſſet impius. Huius rei exemplũ le-
4. Reg. 7. gimus de Syris qui ſurrexerunt & fugerunt in tenebras, & dereliquerunt tentoria ſua, quæ poſuerant contra Samariam,& fugerunt nemine perſequente. Prouerbium conti-
Prouer. 15. net laudem iuſtitiæ,quę fiduciam & ſpem præbet & ſecuram conſcientiam. Secura uerò mens quaſi iuge conuiuium.

„ PROPTER peccata terræ multi principes eius: & propter hominis ſapiẽ- M
„ tiam,& horum ſcientiam quæ dicuntur, uita duci longior erit. *Heb.* Ob prę-
„ uaricationem terræ,multi principes eius: & propter hominem intelligẽtem
„ ſcientem, ſic prolongabitur.

Interpres adiectis quibuſdam quæ in Heb.nõ ſunt,ſenſum reliquit obſcuriorẽ, qui apud Heb.ſatis eſt apertus,ſi modo iuxta proprietatẽ linguæ unã aut alterã uocem ſubaudias. *Propter tranſgreſſionem terræ,*hoc eſt,populi terræ, *& propter hominem intelligentem ſcientem elongabitur*).ſ. uita principis, uel imperium. Imò homo prudens & intelligẽs erit in cauſa diutur-

A diuturnitatis imperij. Multos habere principes, siue simul, & semel, siue multos succedē- Cap. 28.
tes inuicem, intelligi potest: utrunq; reip. magnum est incommodum, maius tamē simul plures sustinere, inter quos dum quisq; suis studet commodis, expilatur populus, bonū publicum laceratur, decerpitur: & à quibus defensionem & moderationem habere debet: nempe, à suis principibus, ab his funditus subuertitur. *Sed propter uirum intelligentem prolongabitur.*) Ex secunda clausula intelligimus primam debere referri potius ad crebrā principum mutationem, quàm ad multitudinem simul regnantium: & per uirū intelligentem & scientem, sapientem & doctum principem intelligimus, qui sua prudētia efficiet, ut corrigātur uitia populi, & protrahatur illius imperium, & resp. quàm fœliciſsimè
B gubernetur, ut prouerbium non sit alienum ab illo celebri Platonis elogio: qui putauit fœlicem remp. in qua reges philosophantur, & sapientiæ dant operam, uel in qua philosophi regnant.

" VIR pauper calūnians pauperes, similis imbri uehementi, in quo pacatur
" fames. *Heb.* Vir pauper opprimēs pauperes, pluuia inundans, & nō est panis.
Nō ignara mali miseris succurrere disco, ut canit poeta. Nobis à natura fere inditum est, illorum dolere uices, quæ eisdem nobiscum huius uitæ miseriis sunt obnoxij. Contra uehementer inhumani sint oportet, & crudeles, qui mala augent aliena, quorum ipsi
C quoque obnoxij sunt. Pauper uices pauperum saltem dolere debet, quando alterius necessitati non potest succurrere. Cæterùm pauper ille, qui rapit à pauperibus, rerum ordinem euertit, non minus quàm pluuia quæ rigandis paratur agris & segetibus nutriēdis: quæ si impetu maiore descenderit, semina radicitus euellet, efficiētque ut ad maturitatē nequeant peruenire. Haud aliter si pauper deprædetur pauperes, quorum inopiæ condolere debuerat, omnem humanitatem exuit. Neque ad frugem ullam peruenient opes illæ, à pauperibus per pauperes raptæ. Pauperes sunt quotquot nomen Christi profitentur, & nudum Christum nudi sequuntur, id quod cùm omnes Christiani tum in primis
D monachi profitentur. Quorum si unus alios spoliet & opprimat, uel famam detrahendo uel uirtutes suffocando, quas in aliis nutrire & fouere debet, pluuia erit non irrigans ac fœcundans, sed subuertens ac corrumpens.

" QVI derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succendentur
" contra eum: uel, litigabunt cum eis.
Simile suo delectatur simili. Qui relinquunt & non seruant legem, quæ omnem damnat impietatem, illis placet iniquitas, & laudant impium, quando opera illius operibus transgressoris non sunt dissimilia: non enim illis satis est, quòd sint mali, nisi habeant & alios sibi similes in malitia: dum impium laudant, omnes illi similes conantur efficere. Sed qui seruant legem, litigabunt aduersus eos, nempe impios, uel aduersum illos,
E qui laudant impios, uel aduersus utrosque succensent, conantes eos seruare legem Dei, in qua uera est sapientia.

" MALI uiri non cogitant iudicium: qui autem inquirunt dominum, ani-
" maduertunt omnia. *Heb.* Viri mali, uel malitiæ non intelligent iudicium:
" sed qui requirunt dominum, intelligent omnia.

Qui malis operibus indulgent, & regem relinquunt, iudicium & pœnas malis & transF gressoribus debitas, non intelligunt. Non intelligunt neque credunt, omnes uenturos ante tribunal Christi, ut reddant rationem, & sententiam iudicis audiant: uel, non intelligent mali iudicium, hoc est, non sunt idonei ut iudicis munere fungantur inter homines. Nam qui sententiam in maleficos prolaturus est, debet ab his criminibus esse alienus & immunis, quæ damnat in aliis. Aliter, *non intelligent iudicium,*) qui mali sunt, hoc est, non dat operam ut intelligant, neque enim magnopere laborat scire, quid sit æquū, & quid iniquum. Potest ad iudices, & ad testes referri, imò ad quoscunque qui malis delectantur operibus. *Sed inquirentes dominum, intelligent omnia.*) Qui uerò à domino populū

3.*Reg.*3. recte regendi intelligentiam petit, ut Salomon qui dixit, Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, ut populum iudicare poſsit, & diſcernere inter bonum & malum: intelliget omnia neceſſaria ad iudiciũ. Quòd ſi in genere dictum intelligamus, intelliget omnia neceſſaria ad ſalutem. Intelliget, inquam, uel ex ſcripturis, uel ex prophetis qui ſenſum domini habent. Senſus clauſulæ non eſt alienus ab illo, Quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis. G

Luc. 11.

» MELIOR eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis
» itineribus. *Hebræum*, Melior eſt pauper ambulans in perfectione ſua, quàm
» peruertens uias & ipſe diues.

Inter diuitias & uirtutem, nulla eſt comparatio iudicio ſapientis, quanuis uulgus hominum longe aliter iudicet. Pauper ambulat in uia perfectionis ſuæ, cùm ſua ſorte cõtentus, alios pauperes non moleſtat, (iuxta ea quæ ſuperius legimus) nec egeſtate cõpulſus furatur, aut periurat nomen Dei. Hoc in loco, ſicut ſuperius 19. cap. pauperem intelligentia poſſumus intelligere: ut ex ſuperiore pendeat. Qui requirunt dominũ, intelligẽt omnia, qui melior eſt ſi ſtudioſe uiuat, quàm diues intelligentia & peruertẽs uias ſuas, hoc eſt declinans ad dexteram, uel ſiniſtram. In Hebræo dualis numerus ponitur. q. d. peruertens duas uias, legis & euangelij, neutram obſeruans: uel duas uias paupertatis & diuitiarum, hoc eſt, neutram fortunam æquo animo ferens. H I

» QVI cuſtodit legem, filius ſapiens eſt: qui autem comeſſatores paſcit, con-
» fundit patrem ſuum.

Si legem Dei intelligamus, omnia ſapiẽtiæ præcepta complectitur: quaſi iam multa de intelligentia locutus, uelit ſummatim dicere: Qui obſeruat legem, filius intelligens eſt. Equidem mallem legem patris ſui intelligere, qui filium docuit temperanter uiuere, non diſsipare bona, non frequentare cõuiuia, nec otioſos homines alere, qui nihil aliud quam lautas ſectantur menſas, & epulas quærunt. Qui bona paterna in paraſitos effundit, patrem ignominia afficit, qui filium ſuum non ſatis bene inſtructum aut educatum reliquit. *Qui paſcit edaces aut comeſſatores.*) eſt is qui genio nimis indulget, & ſenſibus ac carnis appetitui, qui comedones dici poſſunt, quòd appetendo nunquam ſaturantur. K

» QVI coaceruat diuitias uſuris & fœnore liberali, in pauperes congregat
» eas. *Hebr.* Qui multiplicat diuitias ſuas uſura & multiplicatione, uel fœno-
» re, ad opem ferendam pauperibus congregabit eas.

Hunc uerſiculum omiſit Beda tanquam manifeſtum iuxta uerſionem diui Hieron. (ni fallor) qui in bonam partem uſuras & fœnus intellexiſſe uidetur, addens dictionem liberalem, quę in Hebręo non habetur: quaſi uelit dicere Sapiẽs: Qui non ſordidis uſuris, neque fœnore per legem prohibito, ſed legitimus uiis & modis congregat opes, hic gratiam quoque cõſequitur à domino, ut liberalis ſit in pauperes, perinde ac ſi nõ ob alium finem uoluiſſet diteſcere. Nico. uero de Lyra in malam partem uſuras intelligens, & fœnus liberale, interpretatur, in pauperes, contra pauperes congregabit eas: cum in Hebræo citra omnem controuerſiam habeatur, ad largiendum uel gratificandum pauperibus congregabit eas. Hebræi primã partem uerſiculi de bonis male per uſurã acquiſitis intelligunt: legũt enim, Qui cõgregat diuitias uſuris: quaſi diceret, qui nimiũ ſunt attẽti opibus, ut quouis modo, uelint ſiue per fas ſiue per nefas diuitias augere, etiam per uſuram, quæ in lege prohibita eſt, non poterunt eas inſumere in uſus honeſtos. Acquirere poſſunt & congregare, ſed male acquiſitas opes, ipſi bene diſpenſandi animum nõ habebunt: nec tribuit eiſdẽ poteſtatẽ Deus, ut comedant ex eo. Verum in pauperes congregãt eas, hoc eſt, diſpenſatione diuina, in ſubſidium pauperũ diſtribuentur, quod hoc aliquãdo fiat, ſemper autem dignum eſt ut fiat. Aliter, qui auare per uſurã congregat diuitias, non ſibi congregat, ſed alicui qui erit liberalis & munificus in pauperes. Ille fœnore oppreſsit pauperes, uolẽs crudeliter comparare & ſeruare opes, quæ in manus benigni uiri aliquan- L M

A aliquãdo deuolutæ pauperibus proderunt. Prouerbium ſignificat per ſapientiã & æqui- Cap. 28.
tatem eſſe acquirendas opes, ſi utilitatem ex illis capere uelimus.

" QVI declinat aurem ſuã ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. *Hebr.*
" Qui remouet aurem ſuã ab audiendo legem, etiam oratio eius abominatio.

Cum orauerit dominũ in anguſtia ſua, abominabitur eum dominus. Hebræi uocãt mẽ-
ſuram contra menſuram, ſiue quod nos dicimus, par pari referre: legem audire noluit,
neq; diſciplinam aut ſapientiam, quibus inſtructus mala præcauere potuit. Qui noluit
audire, non eſt dignus ut audiatur: & ut oſtendat quàm alienus ſit à Deo, qui Deo non
B credit, neq; legi obtemperat: non ſolum execrabilis eſt in malis operibus, ſed etiam abo-
minatio eſt Deo illius oratio. *Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem,*) multiplicem ſen-
ſum habere poteſt, uel quòd non credit uera eſſe quæ in lege ſcripta ſunt, neq; iuxta legẽ
uiuere decreuit: uel quòd eos ſpernat qui legem docẽt: Qui uos ſpernit, me ſpernit. De- *Luc. 10.*
clinat deniq; aurem, qui ſoli orationi inſiſtendum putat, non etiam aliis operibus à lege
præſcriptis. Iſti cum ſint alieni à Deo, & in fide errent, nõ ſolum in moribus, audiri à Deo
non poſſunt, imò abominatio eſt eorũ oratio, ut quæ ab errore procedat: quemadmodũ
de Iudæis: non tam ſui quã noſtri temporis ſcripſit Eſaias: Ne offeratis ultra ſacrificium *Eſaiæ. 1.*
fruſtra: incenſum eſt abominatio mihi: calendas ueſtras & ſolẽnitates odiuit anima mea,
nunc uidelicet coruſcante luce euangelij, & ſanguine agni immaculati in remiſsionem
C peccatorũ effuſo. Brutorũ animaliũ pro peccatis fieri ſacrificia, eſt abominatio: præſertim
cum ea opinione & credulitate, quaſi talibus opus eſſet adhuc oblationibus. Pro ſenſu,
quem ex loco colligimus nos, plurimũ facit Hebraiſmus, ubi non declinat, ponitur, ſed
facit declinare legitur, hoc eſt qui ſciens & uolẽs & deſtinato animo amouet aurẽ ſuam
ne audiat, iudicans non eſſe audiendam legem diuinam, aut euangelicam, ut ad Iudæos
noſtri temporis peculiariter referatur, iuxta illud Eſaiæ modo citatum.

" QVI decipit iuſtos in uia mala, in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſſide-
" D bunt bona eius. *Heb.* Qui facit errare rectos in uia mala, uel per uiam malã,
in foueam ſuam ipſe cadet, & perfecti poſſidebunt bonum.

Quod ſuperius lectum eſt, Qui fodit foueã, incidet in eã, non eſt alienum à ſenſu huius
uerſiculi: nam ſic Dei prouidentia comparatũ eſt, ut mali cadẽ aut ſimilia dãna ſuſtineãt,
qualia machinãtur bonis. In erroribus & ignorãtia uerſamur omnes mortales, hoc enim
tãquã hęreditariũ malũ à primis parentibus accepimus, quod malũ ſi non poterimus pe
nitus abolere, inuicẽ tamẽ iuuare debemus: & qui minus erroribꝰ implicãtur, ſano cõſi-
lio ſubleuare alios. Quod ſi fuerit aliquis uſq; adeò malꝰ, ut alios ſecũ in errores trahere
moliatur, & à uia recta ſeducere ſtudeat, in errores incidet ille. Sunt aliqui uſq; adeò re-
E bus huius mũdi dediti, ut uelint per fraudes in pericula & mortẽ coniicere rectos & bo-
nos uiros, ut eorum bona poſsideant. Sed longe aliter eueniet. Nam qui trahere conan-
tur alios in pericula, malè peribunt, & non ſolũ non erunt hæredes iuſtorũ, ſed ſuas poſ-
ſeſsiones relinquent iuſtis, & perfectis uiris. Loquitur Sapiẽs metaphoricè de poſſeſsione
bonorũ, & de uia ac fouea. Via rectorũ eſt uia fidei, à qua declinare homines & in peſsi-
mam uiã errorũ deducere cupiunt multi, cupiũt hæretici, cupiunt infideles, cupiunt pec-
catores, atque ita per malã uiam ad foueã perditionis uenire: ſed in illã merito incident,
in quam alios trahere conati ſunt: & hæreditatem cæleſtẽ ad quam creati & redempti
F fuerant, relinquent perfectis, & his qui macula carent errorum.

" SAPIENS ſibi uidetur uir diues: pauper autem prudens ſcrutabitur eum.

Qui diuites ſunt & fœlices ſibi uidentur in hoc mundo, ſuæ prudẽtię acceptũ ferre ſolẽt,
quod præter cęteros ſint locupletes, fortunati. *Sed pauper,*) nõ tã opibus, quã ſpiritu diues,
hoc eſt humilis, & intelligens ſcripturas ſacras, *Scrutabitur eũ:*) hoc eſt ut Hebręi declarãt,
ſcrutãdo metẽ illius, redarguet eũ, & oſtendet illi oĩa eſſe à Deo, iuxta illud: Diues & pau *Prouer. 22*
per obuiauerũt ſibi, utriuſq; operator eſt Deus. Sẽſus eſt prouerbij Deũ aliis diuitias, aliis
ſapientiã dare: nam diuites fere ſapientiã Dei non aſſequũtur, ſed huius mundi potius.

» IN exultatione iuſtorum multa gloria eſt, regnantibus impiis ruinæ homi- G
» num. *Hebræum*, Cum exultauerint iuſti multa gloria, cum ſurrexerint im-
» pij explorabitur homo.

Magna gloriatio totius ciuitatis eſt, uel totius reip. cum boni uiri & iuſti habeant occaſionem lætitiæ: nam non ſolent exultare, niſi rebus & optime & fœliciter geſtis, ac bene gubernata ciuitate. Non enim priuata quærunt commoda, ſed publica, & proinde iuſtis gaudẽtibus, omnium maxima gloriatio eſt & celebritas. Verum ubi *Impij & mali homines ſurrexerint,*) hoc eſt erecti fuerint ad honores, reip. gubernacula tenuerint, tantus luctus & dolor ciuitatem occupat, ut in publicũ nemo libenter prodeat, ſeſe occultent homines. Prouerbium indicat ſalutem & gaudium reip. conſiſtere in bonis & iuſtis uiris, H
qui ſua prudentia remp. moderantur. Omnium uero confuſionem, & ignominiam fieri in ea rep. ubi impij & peſsimi homines rerum potiuntur.

» QVI abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & re-
» liquerit ea, miſericordiam conſequetur. *Heb.* Qui tegit tranſgreſſiones ſuas,
» nõ aget proſpere: qui uero confitetur & relinquit, miſericordiã conſequetur.

Commendatur confeſsio tanquam unicum remedium ad peccata delenda. Quod dicit *non dirigetur*, uel *non proſperabitur*,) referri poteſt ad cætera quæ aget, ſed melius ad id de quo fit ſermo, nempe ad remiſsionẽ peccatorum: quaſi diceret, quicquid fecerit pro pec- I
catis ſuis, non proderit ei, niſi confiteatur: uictimæ non ſufficiunt, aut aliæ quæcunque expiationes: non aſſequetur ueniam, niſi per confeſsionem, relinquendo, hoc eſt deſiſtendo à peccatis. Ex hoc loco habemus confeſsionem eſſe neceſſariam. Cuiuſmodi uerò confeſsio, an ea quæ ſoli Deo fit, ut uolunt hæretici, aut quæ miniſtro Dei, tãquam Deo præſenti, ut uolunt eccleſiaſtici doctores, nemo dubitare poteſt, qui ſymbolum apoſtolicum tenet & credit. In quo eccleſiam catholicam confitemur, hoc eſt uniuerſalem quæ docet ſacerdotibus eſſe confitendum. Sed ſoli Deo confitendum eſſe ſanctorum authoritate conſtat, inquis, nominatim Chryſoſtomi. Et nos fatemur, eos qui ſacerdoti confi- K
tentur, ſoli Deo confiteri, quemadmodum ſolus Chriſtus eſt qui baptizat, ſecundum D. Auguſtinum, ſuper illum locum Ioannis, Ecce hic eſt qui baptizat. Chriſtus ſolus eſt qui baptizat, & tamen diſcipulis dixit: Ite, prędicate baptizantes. Ecce homines tanquam miniſtri baptizant, & tamen ſolus Chriſtus baptizat: Sic confitentes ſacerdoti miniſtro Dei, ſoli Deo confitentur, quam confeſsionem habemus, non ex hæreticorum, ſed ex eccleſiaſtica traditione. Locus eſt egregius etiam contra errorem alium, qui aſſerit peccata non imputari electis, cùm neceſſum ſit peccata relinquere, ſi remiſsionem habere uoluerimus.

» BEATVS homo qui ſemper eſt pauidus: qui uero mentis eſt duræ, cor- L
» ruet in malum.

Ex ſuperiore uerſiculo pendet, oſtendens cauſam quæ urget homines confiteri & relinquere peccata: nempe timor uindictæ diuinæ. Nihil enim magis cohibet homines à peccando, quàm cogitare de ſuppliciis, uel olim inflictis peccatoribus, uel in ſacro eloquio præſcriptis. Qui perpetuo timet offendere, & facilius abſtinebit à peccato, & confitendo libenter relinquet. *Qui uero durum facit cor ſuum,*) hoc eſt rebelle & obſtinatum, ut nec minis, nec pœnis molleſcat, uel remittatur, *corruet in malum,*) quod cogitauit facere. Poteſt in genere intelligi, ut ſit ſenſus, Fœlix erit, & proſpere aget omnia, qui perpetuo & M
in rebus omnibus timidus, ut abſque diuturna deliberatione nihil aggrediatur, cauet ne quid omittat eorum, quæ in rebus agendis requiruntur. Qui uero obfirmat cor ſuũ, & durum facit, res agendas temere aggreſſus, corruet in malum, damna ſubibit, neque ex animi ſui ſententia abſoluet quod aggreditur. Prior expoſitio eſt melior, ut non ad præſentem beatitudinem referatur, ſed ad futuram.

» LEO rugiens, & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.
» Dux intelligẽs prudentia multos opprimet per calumniam: qui autem odit

auaritiam

A auaritiam, longi fient dies eius. *Hebræum*, Princeps carens prudentia, & mul- Cap. 28.
» tus in oppressionibus, qui odit auaritiam prolongabit dies.

Leo rugitu timorem incutit, ursus inexplebilis, uel undique cursitans non cessat laniare. Vtrunque patitur populus tenuis à malo principe, timorem uidelicet, & direptionem. Bonus princeps est pastor populi, & ex tenui locupletem facit. Datur admonitio principibus, & inter bonum principem & tyrannum ponitur discrimen. Verus & legitimus princeps discat non opprimere, non expilare, sed fouere, defendere populum pauperem: nam qui populum suum iniuria afficit, sibi damnum affert, & intelligentia caret, iuxta id quod sequitur: *Princeps carens intelligentia.*) quasi dicat, ex defectu sapien-
B tiæ prouenit, quòd suos opprimat, & more leonis ac ursi dilaniat suos subditos, à quibus desertus, facilè opprimetur ab hostibus suis: uel quòd tyrannis solet euenire, à suis trucidabitur, neque prolongabit dies suos: ut finis uersiculi exponat principium. Contrà princeps *qui odio habet auaritiam, prolongabit dies suos,*) qui per iustitiam & æquitatem moderatur, insidias non timebit, & à suis stipatus & dilectus, hostes facilè propulsabit. Denique qui pecunias spernit, ut plurimum spernit & cæteras uoluptates, crapulam & libidinem: quibus uitiis hominum uitæ solent citius deficere, temperantia uero & moderatione uictus prolongabit dies.

» HOMINEM qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fu-
C gerit, nemo sustinet. *Heb.* Homo uim inferens sanguini animæ, usque ad la-
» cum fugiet, ne teneant eum.

Ex uersione nostri interpretis difficile est ullum sensum eruere. Ex Hebræo uerò duplicem licet: Primus erit, si uox עשוק in sensu patientis accipiatur, homo qui passus uim aut uiolentiam aut direptionem bonorum, propter sanguinem animæ ab eo effusum, uel ad foueam fugiet, hoc est, nullo loco consistet, cupiens uitam seruare. Pro uita fugiet, & in sepulchris latitabit, ne trahant eum ad mortem. Sunt qui separatim legunt has duas uoces, בור & נום, ut sit sensus, qui sanguinem animæ oppresit, ad la-
D cum siue sepulchrum, supple, ueniet, uel deducent eum iniquitates eius. Fugiet supple, de loco in locum, & nemo tenebit aut sustentabit eum: hoc est, nemo feret illi opem. Aliter, intelligitur עשוק pro עושק, ut nos uertimus: Qui uiolentiam infert super sanguinem animæ, hoc est, qui interficit hominem, ad lacum fugiet, hoc est, ad sepulchrum: si ad mortem fuerit condemnatus, non sustinebunt eum homines, hoc est, nemo defendet eum, nemo misericordiam in eum ostendet: quasi dicat, homicidæ debetur mors: Qui gladio percutit, gladio peribit. Naturaliter homines oderunt humani generis hostem. Aben Hezra paulò aliter & optimè, qui uim intulit sanguini animæ tantam, ut ad lacum, hoc est, sepulchrum, supple perueniat anima illa, cuius san-
E guis effusus est, perfugiet interfector: hoc est, cum fugerit, non sustinebunt eum, hoc est nemo illi faueat, aut misereatur illi: quasi Salomon hoc præciperet. Potest denique de homicidio non uoluntario intelligi, & erit sensus: Cum fugerit ad locum destinatum in lege, nemo teneat eum, neque impediat quo minus elabatur, & sese recipiat in asylum. Prior expositio est melior.

» QVI ambulat simpliciter, saluus erit: qui peruersis graditur uiis, concidet
» semel. *Hebr.* Qui ambulat perfectus, seruabitur: sed peruersus duabus uiis,
F corruet in una.

Superius legimus, Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Hebraice est, perfe- *Prouer.* 10
cte, uel in uia perfecta, hoc est, qui agit uitam integram & sine macula, qui nec sanguinẽ effundit, nec uim alicui infert, ut ad superiora referatur, seruabitur: hoc est, non sumetur supplicium de eo: legem seruat, per eam uiuet & seruabitur. Qui uero peruersus est *Leui.* 18.
uiis, & à præscripto legis deflectit, si frequenter uel lateat, uel euadat, tandem tamen corruet: quasi dicat, non potest esse securus, etiãsi non statim luat pœnas. Atqui hunc sensum habemus ex Iudæis, iuxta literam. Quod si de salute non corporis, neque huius ui-

tæ,ſed animæ & futurę uitæ exponamus locum,per uiam perfectam intelligemus illam, G
de qua loquitur ſcriptura:Eſtote perfecti,ſicut pater ueſter cæleſtis perfectus eſt. Quam
uiam perfectionis euangelicæ,qui peruertit & deprauat male credendo, impie uiuendo
ſemel cadet,ut diu uiuat,ut in deliciis uiuat, tandem corruet in unum ex malis quæ fe-
cit,hoc eſt pœnas dabit.

» QVI operatur terram ſuam,ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium,
» replebitur egeſtate.

Hunc uerſiculum ſatis plene(ni fallor)expoſuimus ſuperius cap.12.de duplici terra,nem-
pe de ea quæ ſegetes profert ad præſentis uitæ ſuſtentationem, & de terra cordis mor- H
talis, quod cum cura cultum, & uelut aratro ſciſsum uomere pœnitentiæ, mirificos
uirtutum fructus proferet,præſertim cęlitus rigatum,& purgatum à uepribus. Qui ue-
ro ſectatur inanes, hoc eſt, homines rebus inanibus deditos, & ſine lucro ad paupertatē
deueniet.Obſeruandum eſt in Hebræo,non poni ſimpliciter ſectatur,ſed facit ſectari: &
ſubaudit Aben Hezra cor ſuum: quaſi dicat,ſponte ſua, ſciens & uolens & dedita opera
ſequitur homines inanes, hoc eſt, feſtinat ire cum hominibus otioſis & tenuibus: pau-
pertate ſatiabitur,hoc eſt ſatis eſuriet, famen patietur. Denique ſenſu non multum alie-
2.Theſſ.3. num eſt prouerbium ab elogio Pauli: Qui non laborat non manducet. Vita ruſticana
commendatur,& omne exercitium honeſtum,quo uictum acquirimus. I

» VIR fidelis multum laudabitur,qui autem feſtinat ditari,non erit innocēs.
» *Heb.* Vir fidelis multus eſt in benedictionibus.

Vir fidelis,)eſt qui cum fide & ueritate agit omnia opera ſua, & non eſt peruerſus in uiis
ſuis: uel uir fidelis, qui in Deo ſpem habet, & non feſtinat diteſcere per fas aut nefas,
multas benedictiones conſequetur à Deo. Nam Deus proſperare faciet omnia quæ il-
lius ſunt. Contrà, qui non aliò ſpectat, quàm ut diteſcat, non erit innocens. Diuitias
nemo colligere poteſt ſubito, niſi cum aliorum iniuria. Agricultura panem, hoc eſt, K
neceſſaria ad uictum ſuppeditat, non opes feſtinatas. Mediocritatem igitur ſeruare ſa-
pientis eſt,neque otium ſectari,quod inediam fere adducit,neque per inexplebilem aua
ritiam feſtinare ad opes,relicta uia perfecta,quæ eſt uia ueritatis euangelicæ. Inuertere
uias æquitatis, ut ſupra dictum eſt, non eſt innocentis. Prouerbium docet contemnere
mundum,& ſperare in domino. Aliter,ut totus uerſiculus ſit quaſi una clauſula, quan-
uis fuerit aliquis uir fidelis, & diues in benedictionibus,tamen ſi feſtinat diteſcere, non
erit innocens: immoderatus appetitus ad opes cum perfecta uirtute & innocentia non
cohæret.

» QVI cognoſcit in iudicio faciem, non bene facit: iſte & pro buccela L
» panis deſerit ueritatem. *Hebræum*, Et pro buccella panis prænaricabitur
» homo.

Prouerbium docet iudicia debere eſſe integra, & incorrupta, & à iudicibus ne tantil-
lum quidem accipiendum. Ex proprietate linguæ, res minimi momenti buccella panis
uocatur, quam qui accipit,ut iudicium peruertat, grauiter prænaricatur. Quanuis tam
noſter interpres, quàm Hebræorum Rabbini legant, *Cognoſcere faciem in iudicio,*) ſup-
plentes hanc uocem in iudicio,quæ in Hebræo non habetur, ut ſuperius legimus ca.18.
Iacob.2. tamen quæcunque perſonarum acceptio intelligi poteſt, de qua Iacobus. Fratres mei, M
Leuit.19. nolite in perſonarum acceptione,habere fidem domini noſtri Ieſu Chriſti: & non con-
ſideres perſonam pauperis,nec honores uultum potētis. In plurimis ſcripturarum locis,
inter diuinas laudes recenſetur, quod non ſit perſonarum acceptor. Quod igitur Deo
aduerſatur,bonum non poteſt eſſe,perſonam acceptare. Quāuis pauperibus patrocinari
pium opus ſit: tamen in iudicio cum aliorum iniuria, nec ęquum,nec bonum eſt fauo-
rem alicui præſtare. Cæterum munus accipere, quamlibet paruum,eo animo ut iudicū
peruertatur,grauiſsima eſt prænaricatio.

VIR

A VIR qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat quod egestas superueniet Cap. 28.
„ ei. *Hebr.* Festinat ad opes uir mali oculi, & non nouit quoniam inopia ue-
„ niet illi.

Sensum bene reddidit interpres noster, qui est huiusmodi: Qui sunt attentiores ad rem, & diuitiis colligendis inhiant, malo & inuido alios intuentur oculo. Hi ad inopiam deuenire solent, aut digni sunt qui ad inopiam aut defectum deueniant: præsertim qui illicitis modis festinant ditescere, per rapinam & oppressionem pauperum, ut ad superiora respõdeat. Qui festinat ditescere, non erit innocẽs: quasi dicat, uirtute carebit. Verum
B qui cum inuidia festinat ditescere, ad defectum perueniet, pereuntibus uidelicet male, quæ male parta sunt. Prouerbium deterret ab auaritia, in qua summa stultitia est, cũ qui festinant ad diuitias per inuidiam, non perueniant ad diuitias, sed ad defectum bonorum animę, & frequenter bonorũ fortunæ. Aben Hezra, uir mali oculi uocabitur, quòd alienam prosperitatem non libenter aspiciat, usqueadeò festinat ditescere, ut ad se trahere omnia uelit.

„ QVI corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quàm
C ille qui per linguæ blandimenta decipit. *Hebræum*, Qui corripit hominem
„ post me, gratiam inueniet, plus quàm qui blanditur lingua.

Vt sint uerba Salomonis loquentis de se, huius duplex est sensus: prior, Qui ideò *Corripit hominem*, sic ut *post me*) ueniat, & sequatur præcepta mea, gratiam inueniet: uel, qui corripit hominem post me, hoc est iuxta me: quasi dicat, qui me sequitur corripiẽdo, & corripit, ut ego feci in hoc libello, gratiam inueniet. Tertio modo, post me, qui corripit post tempus meum, inueniet gratiam, hoc est laudem assequetur sicut ego, & gratiam maio-
D rem quàm is *Qui blanditur lingua*.) Sunt ex Hebræis qui negant literam Iod affixam uoci אחרי indicare pronomen, sed significare duntaxat post: & erit sensus, Qui corripit hominem sup. euntem post desideria cordis sui, ille inueniet gratiam. Deniq; intelligi potest ad hunc modum, Qui post me corripit, inueniet gratiam, quasi diceret, difficile erit inuenire correptionem aliam post me, ut maxime laude dignus sit Salomon, qui nullũ uitium omisit non castigatum, qui omnes uirtutes & uitia percurrisse uidetur. Sẽsus tãdem quem reddidit interpres reprehendi non potest: Post inueniet gratiam. Correptio enim ipsa solet esse parum grata, uerum tempestiue admonitus & castigatus postea gratias referet correptori. Qui lingua blanditur fere fallit & decipit, secũdũ illud quod scri- *Esaiæ.3.*
E bitur: Populę meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.

„ QVI subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatũ,
„ particeps est homicidæ. *Hebræum*, Qui deprædatur patrem suum, & matrẽ
„ suam, & dicit non est præuaricatio, socius est uiri dissipantis uel perden-
„ tis, uel grassatoris.

Quod licitum putant iuuenes plerique, à Sapiente damnatur. Dicit, non est præuaricatio mihi, aufero quod meum est: quæ parentum sunt, mea erunt post mortem. Qui sic cogitat & rapit bona paterna, similis est, *& socius eorum, qui dissipant bona sua.*) Dissipant
F enim, qui non cum ratione dispensant, sed in usus non necessarios aut etiam malos insumunt. Verti potest, *Grassatoris erit socius.*) quasi diceret, hæc facere non tẽtaret, nisi persuasus aut exemplum accipiens à grassatoribus. Septuag. uertunt: Socius est uiri ἀνελεήμονος. Prouerbium docet omnem obedientiam & honorem habendum parẽtibus, quibus ne in bonis quidem externis debent liberi facere iniuriam, aut offendere: imò præterquam quod stultè faciunt, in Deum grauissime præuaricantur, qui bona parentum inuitis parentibus auferunt, id quod non minus rapina est, quàm aliena rapere.

„ QVI se iactat & dilatat, iurgia concitat: qui uero sperat in domino, salua-

» bitur. *Hebræum*, Latus animo excitabit litem: qui confidit in domino, im- G
» pinguabitur.

Latus ſiue amplus animo, in malã partẽ accipitur, pro eo qui magnis deſideriis eſtuat, &
2. Cor. 6. deſideria modis omnibus uelit cõplere. Alioqui apud Paulum, Os meum patet ad uos, cor noſtrum dilatatum eſt. Latitudo cordis eſt ampla charitas & amor, ſiue magnũ deſiderium ſalutis eorum & fidei. Cæterum hoc in loco, largus corde, qui undique rapit, & feſtinat diteſcere & inſatiabili opum deſiderio laborat, dum multos afficit iniuria, multos habebit inimicos, & lites excitabit. Sed qui ſuper dominũ (ſic enim legunt Hebræi) ſpem collocauit, à nemine quidpiam rapit, mori potius eligẽs, quàm aliena deprædari, huic honeſtus & ſufficiens uictus nunquam deerit: imò deliciis affluet, ſi non cor- H
Pſal. 62. poris, certe anima illius pingueſcet, & craſſeſcet cęleſti pinguedine: de qua loquitur Pſal. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Aliter, latus animo eſt, qui ad ultionem feſtinat, qui nihil uult pati ab aliis, hic lites & iurgia excitabit: ſed ſperet in domino, & illud impleat, Mihi uindicta, ego retribuam, dicit dominus: Impinguabitur trãquillitate
Deute. 35. conſcientiæ ſuæ, pacem habens cum omnibus hominibus, quantum in eo eſt.

» QVI confidit in corde ſuo, ſtultus eſt: qui autem graditur ſapienter, ille lau-
» dabitur. *Hebræum*, Qui ambulat in ſapientia, ipſe euadet, ſup. anguſtias
» & pericula. I

Ambulat autem in ſapientia, qui iuxta præcepta ſapientiæ uiuit, & actiones ſuas moderatur: Ipſe fortaſsis ad tempus anguſtias poterit ſuſtinere: tamen euangelicis inſtructus præceptis, in quibus uera ſapientia loquitur, eripietur tandem ab omni anguſtia pœnæ & mortis. Quanuis ualde interim infœlix uideatur quibuſdã, qui ſuæ prudentiæ innitẽtes, & confidentes in ſeipſis tanquam in corde haberent omnem ſapientiam, cum reuera ſint ſtulti: nam omnis homo ex ſe mẽdax & ſtultus eſt. Monet prouerbium hominem ſuæ conditionis & finis, ut qui ignorantia propria ſit uenturus ad perditionem, niſi relicta ſtultitia & fiducia in ſeipſo totam ſpem ſuam ponat in domino, quæ euangelica ſa- K
pientia eſt.

» QVI dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecãtem, ſuſtinebit penu-
» riam. *Hebr.* Ei qui dat pauperi, non erit defectus: ei uero qui abſcondit ocu-
» los ſuos, multitudo maledictionum.

Prouer. 19 Fœneratur domino, qui miſeretur pauperis, ſuperius legimus. Plurimos cõſtat diſtributis facultatibus omnibus deueniſſe ad ſummam paupertatem, quibus tamẽ nihil defuit:
Philip. 4. ſed cum Paulo didicerunt, In quibus ſum ſufficiens eſſe, ſcio & humiliari, ſcio & abun- L
dare ubique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare & penuriam
2. Cor. 6. pati. Et alibi, Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes. Quanuis ergo ad ſpontaneam paupertatem multi ſanctorum deuenerint, nunquam tamen defectum aut penuriam ſuſtinent. Hebræi, apud quos nunquam tantæ laudis fuit uoluntaria paupertas, aliter exponunt hunc locum: nempe, qui largitur pauperi, nũquam ea ratione ad egeſtatem perueniet. Et ut uerum fateamur, dare pauperi & eleemoſynas facere, aliud genus uirtutis eſt, ab ea quæ largitur & una uice malit diſpenſare omnia, & nudus ſemel ſequi Chriſtum, quã paulatim & quotidie dare. M
Qui abſcondit oculos ſuos.) In oculis eſt magna pars miſericordiæ, benignus aſpectus diuitis conſolatur pauperem: quem aſpectum benignum, qui negat, ualde crudelis eſt. Qui libẽter pauperes intuetur, etiamſi deſit illi animus liberalis alterius neceſsitatem ſubleuandi, tamen interim dum oculos figit in egenos, intus in animo operatur Deus, ut uelit facere, quod externus oculus faciendum non poteſt negare. Et quæ tandem præſtabit ille, qui ne oculum quidem dignatur accommodare? Veſtem à dorſo exuere debueras, panem uel è faucibus propriis demere, & latrante ſtomacho inediam pati: debueras labo
Ephe. 4. rare manibus, ut uult Paulus, quò habeas aliquid, quod des pauperibus, & tu ne uultu

aut

A aut aſpectu miſericordiam præſtas? quantis execrationibus & maledictis dignus es? Ma- Cap. 29.
ledictiones intelligi poſſunt ab hominibus, quod plurimi de eo loquuntur male, uel potius maledictiones Dei, quæ talem uirum intueri non dignatur, cuius aſpectus benedictionibus plenus eſt. Benedictiones in ſcripturis, rerum copiam & donorum multitudinem iudicare, nemo eſt qui ignoret: benedictionibus Dei, quicunque deſtitutus eſt, meritò multus uel plenus maledictionibus uocari poteſt.

„ CVM ſurrexerint impij, abſcondentur homines: cum illi perierint, multi-
„ plicabuntur iuſti.

Bonum reipub. conſiſtere in his potiſsimum qui primas tenent, ſi modo iuſtitia & æqui-
B tate moderentur ſignificat prouerbium: alioqui cum impij ſurrexerint & eleuati fuerint, & reip. gubernacula tenuerint, nulla rerum copia eſt, ſed ne hominum quidem. Qui uere homines ſunt, malunt ciuitatem cum patrimonio relinquere, ſolúmque uertere, quàm impiorum ſuſtinere tyrannidem, quæ noſtra ætate fieri uidimus, & quorum aliqua pars fuimus. Abſcondentur homines intelligi poteſt, uel quòd fuga dilabantur, uel quòd iniquis iudiciis abſumpti non compareant. Rurſum rerum uiciſsitudo impiis Dei uindicta abſumptis, hoc eſt ſublata tyrannide, & perſecutione in Chriſtia-
C nos, multi apparuerunt iuſti, qui prius latuerunt: Perſecutionis tempora prouerbiali breuitate perſtrinxit Salomon. Typice poſſunt hæc ad animæ ſtatum referri, in qua cum fuerint eleuatæ concupiſcentiæ carnales, quæ ſunt animales, non ſapientes ea quæ Dei ſunt. Virilis animæ ſenſus, hoc eſt intellectus & ratio, quæ Deũ agnoſcit & colit, abſconditur, occultatur, hoc eſt functiones ſuas non exercet. Abolitis tamen tandem malis cupidinibus, & per temperantiã & Dei gratiam profligatis ab animæ regno, iuſtitiæ opera plurima extabunt. Quòd ſi ad eccleſiæ regnum & legitimam adminiſtrationem referãtur & hæreticorum uiolentiam, æque facilis & aptus apparebit ſenſus.

D

CAPVT XXIX.

„ VIRO qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus
„ ei ſuperueniet interitus, & ſanitas non ſequetur. *Heb.* Vir
„ correptionum obdurans ceruicem, repente confringetur, &
„ non ſanitas.

Caſtigationem & correptionem utilem eſſe ſuperius audiuimus. Me- *Prou. 27.*
E lior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſcõditus. Sunt tamen plurimi qui uſqueadeò ſuis uitiis fauent, ut non poſsint æquo animo ferre reprehenſionem, imò peiores correptione nonnunquam fiunt, ceruicem obdurant, nolentes obtemperare monitori, quanquam nihil ſit ſalubrius, nulla medecina præſtantior peccatoribus, quàm tempeſtiua correptio, ſalutaris admonitio. Qua admiſſa exceptáq; leuatur animus, lachrymis rigata conſcientia, flexibilis efficitur ac ſanatur gratia. Contra qui præfracto animo & obſtinata mente recte monentem reiicit, quotidie durior & obſtinatior euadens, tandẽ frangetur: non ut oſſa in carne quæ nonnunquã conſolidari poſſunt: ſed tanquam uas fictile, quod amplius conglutinari nequit: quaſi dicat, De his qui male agunt, deſperandum nõ
F eſt, quandiu increpationes ſuſtinere queunt, tantiſper inquam ſanari poſſunt. Cæterùm ubi ſemel non ſolum non ſuſtinent, ſed obſtinaciter reiiciũt increpationem, nulla amplius ſanitatis ſpes eſt: imò ſubito & præter omnem expectationem frangetur. Ad fragilitatem humanæ conditionis & naturæ alludit ſcriptura. Quòd ad contextum ſpectat, qui eſt ambiguus, uariis modis uerti poteſt: hunc ſenſum iuxta noſtrum interpretem habemus. In Hebræo, *Vir increpationum qui obdurat ceruicem, ſubito frangetur abſque ſanitate.*) Vir increpationum dicitur, qui ut meretur, ſubinde reprehenditur: uel uir increpationum, qui alios libenter reprehendit dura ceruice, quaſi diceret, non corrigit ſeipſum: hic non poteſt perſeuerare, hic ſubito frangetur. Sunt qui appellãt uirum increpationũ,

cum qui à Deo frequenter caſtigatus, non poteſt ad ſanam mẽtem reduci, quí à pio me- G
dico multas & crebras medicinas oblatas, dura ceruice recuſauit, tandem ad eam con-
ſtitutionem animæ deuenit, ut non poſsit ſanari: ſed traditus in reprobum ſenſum con-
fringetur, cum ſuper lapidem iſtum ceciderit. Iſte uir increpationum, qui correptio-
nes toties dura ceruice contempſit, haud dubiè populus Iudaicus eſt, qui tandem con-
fractus, & per orbẽ diſperſus de ſanitate deſperare uidetur. Sed quæ ſequũtur, uideamus.

» IN multitudine iuſtorum lætabitur uulgus. Cum impij ſumpſerunt prin-
» cipatum, gemet populus. *Heb.* Cum multiplicati fuerint iuſti, gaudebit po-
» pulus: ſed cum dominatus fuerit impius, ingemiſcet populus. H

Sunt qui uerbum Hebræum ברבות ſenſu regnandi uertant, cum regnauerint, uel im-
perium obtinuerint iuſti. Vbique maxima pars fœlicitatis ſeu infœlicitatis reip. pendet
ab his, qui primas in rep. tenent, à regibus & principibus, qui ſi fuerint uiri probi, ſi iu-
ſtitiam faciant, ut uidelicet neque ipſi populum opprimant, neque permittant aliunde
iniuriam fieri, magna tranquillitate, pace, & lætitia agit populus. Verum cum regnaue-
rit impius in aliqua ciuitate, multa mala patitur populus, ſiue quòd leges conſtituit ini-
quas, quibus omnia ad ſe rapit rex improbus, quibus pœnas dant ſine cauſa boni ciues:
ſiue quòd æquitatis rationem non habet malus princeps, neque dat operam purgare
rempu. à facinoroſis & peſsimis hominibus, quorum importunitate uexatus populus I
mœrere cogitur, & ingemiſcere. Quanquam hoc prouerbium locum non habeat in om
ni ætate: tamen duo tempora uidetur deſignare: nempe tempus perſecutionis Chriſtia-
norum, quo regnantibus tyrannis, magno luctu & mœrore fugere, & occultare ſeſe co-
gebantur multi, & martyrum horrenda ſupplicia dolere, & tempus pacis eccleſiis re-
ſtitutæ, quo rerum potiti ſunt Chriſtiani principes, unius Dei cultu, & religione Chri-
ſtiana, unitis populis, ſumma ubique lætitia extitit & gaudium in domino. Obſeruan-
dum eſt in Heb. utrobique eſſe eandem uocem Heb. עם populus, non diuerſę dictiones,
uulgus & populus, ut nos habemus, tamen in defenſionem interpretis, eſt aliquid di- K
ſcriminis. Nam priori loco ubi reddidit uulgus, ponitur articulus qui ex proprietate
linguæ emphaſim habet, & uel numerum, uel potius dignitatem populi, qui ſub iu-
ſtis principibus fœliciter agit, deſignat. Poſteriore uero loco legitur ſine articulo. q.d. ge-
mit populus afflictus diuinitus, q. uulgus potius dici debeat, & indignus nomine populi.

» VIR qui amat ſapientiam, lætificat patrem ſuum: qui autem nutrit ſcortum,
» perdet ſubſtantiam.

Quàm pernicioſus ſit amor alienæ, & impudicæ mulieris iuuenibus, quantóque impe-
dimento ſit ſtudio ſapientiæ, principio huius libri copioſiſsime dictum eſt. Hoc in loco L
ad amorem ſapientiæ hortatur Salomon, quòd ſapientiæ ſtudium omnem honeſtum
amorem nutrit & auget: illaudatum uero & infamem extinguit. Quid honeſtius, quid
optabilius, quàm parentes colere, quàm ſenectutem patris recreare, lætam efficere. Pater
non poteſt non amare filium, quem genuit: ſed ex cuius uirtutibus lætitiam capit, filiũ
uehementer amat, & lætus migrat ab hac uita, filium relinquens ſtudio ſapientiæ dedi-
tum, in quo quodammodo immortalis futurus eſt. Tali filio ſuas opes libẽter relinquet,
quem nouit ſapienter familiam adminiſtraturum. Nõ ſolum tua cauſa igitur, quiſquis
es iuuenis ſapientiam ama, & amplectere, ſed ut patrem ſenem reddas lætum, & patri M
charus ſis. Nam ſapiens pater in filio non poterit oblectare ſeſe, quem uiderit inhoneſto,
& pernicioſo indulgere amori. Qui enim amicus & charus eſt impudicis mulierculis,
fornicariis & ſcortis, ſubſtantiam perdet, hoc eſt bona & hæreditatem à patre relictam
diſsipabit. Vox Heb. רועה ambigua, uel paſtorem uel amicum ſignificat. Senſus eodem
redit, ſiue legamus amicus ſcortorum ſiue paſtor: Nam amicus ſcortorum ſolet ea ale-
re, quod mediocri ſumptu non poteſt fieri. Porrò qui huiuſmodi amoribus indulget,
rem domeſticam negligat oportet. Atqui ita facile facultates pereunt. Prouerbium
denique

A denique docet in hominibus duplicem dominari amorem, alterum ſpiritus, alterum carnis: quorum unus filium magnopere honeſtat, & patri charum reddit, alter ad inopiam redigit. Cap. 28.

„ REX iuſtus eriget terram, uir auarus deſtruet eam. *Hebræum*, Rex per iudi-
„ cium ſtabiliet terram, & uir munerum diruet eam.

Pendet hic uerſiculus, ex eo quod præceſſit, Cum dominantur iuſti, lætabitur populus: ubi de duplici dominio dictum eſt. Hoc in loco oſtendit quid faciat legitimum principem, & quid iniquum. *Rex in iudicio uel per iudicium.*) Sunt qui intelligant regem in
B iudicio creatum, hoc eſt, qui bonis actibus, ſiue uirtutibus aut legitima ſucceſsione ad regnum peruenit. *Stabiliet uel eriget*, ſup. regnum ſuum in terra, hoc eſt diu regnabit in populo. Et uir munerum, hoc eſt, qui per largitionem, & per munera euectus eſt ad regiã dignitatem, ille deſtruet terram, expilabit populum terræ. Aliter, Rex qui per iudicium rẽpub. & ſuos ſubditos moderatur æquis legibus, & ius dicit cum æquitate inter uirum & proximum ſuum, faciet ſtare terram, ut eſt in Hebræo, hoc eſt uel regnum ſuũ in terra, uel terram ſtare, eſt remp. proſperitate florere: neq; enim cadere aut labefactari poteſt reſp. quæ ab optimo rege, & optimis legibus gubernatur. *Vir auarus, uel uir munerum,*)
C ut eſt in Hebræo. Vox Hebræa תרומות propriè oblationes ſignificat, & huius uocis frequens eſt uſus in his, que Deo offeruntur. Et eſt ſenſus, uir qui neglecto iudicio, ſuſcipit munera, uel oblationes quibus placatus ſcelera dimittit impunita, permittit fieri mala, bonos uiros opprimit: hic uir, non rex legitimus, ſubuertet terram, hoc eſt populum terræ. Vir oblationum poteſt intelligi, uir qui uendicat ſibi ea quæ ſunt Deo debita. Et prouerbiũ notat auaritiam principum, qui prouentus eccleſiaſticos applicant fiſco, & magnas oblationes altari debitas.

„ HOMO qui blandis fictíſque ſermonibus loquitur amico, rete expandit
D greſſibus eius.

Paraphraſticè extulit interpres uocem Hebræam מחלוק blandis fictíſque ſermonibus loquitur, neque abſurde: nam magnã energiam inſinuat coniugatio uerbi, quam Latina oratio non facile aſſequitur. *Qui blandum & mollem facit linguam ſuam, erga proximum ſuum*:) hoc eſt, qui ſtudio & induſtria quadã blanditur amico ſuo, non amici fungitur officio, ſed hoſtis: ſimulans amicitiam quo ſuis blanditiis pertrahat amicum in fraudem,
decipere uolens amicum blanditur. Aliter, Amici munus eſt reuocare ſocium ſuum ab errore, non ad ruinã perducere. Caſtigatus & correptus ſyncero ſermone, quę ueritatem teſtatur, ad ſanam mẽtem reduci poteſt amicus. Cæterum qui laudes ſuas audit ab ami-
E co, cùm nihil egregiè fecerit, cùm increpationem audire debeat, non poterit in uia uirtutis recte incedere, non magis quàm qui compedibus uel reti inuolutos pedes habet. Adulatores enim ueluti uenatores ſunt, aut aucupes, qui feris aut auibus eſca propoſita blanditi uidentur, interim tamen retia extendunt, atque earum animabus inſidiantur. Sic adulatores dum uanis & falſis laudibus, uelut reti pedes, hoc eſt affectus implicant, ut non poſsint progredi, ſed à diaboli laqueis detineantur ad illius uoluntatem: non amicus ſed uenator eſt appellandus: iuxta illud alterius Sapientis, In medio laqueorum tranſis. Contra ſalutem noſtram, amicorum & parentum opera crebro abutitur hoſtis
F humani generis. Non ſine cauſa de adulatoribus facta eſt mentio, ſtatim poſt ſermonem de rege auaro, qui ſubuertit terram: nam ad mala per adulationem plurimi reges & principes potiſsimum deueniunt. 2. *Tim.* 2. *Eccleſ.* 9.

„ PECCANTEM uirum iniquum inuoluet laqueus, & iuſtus lætabitur
„ atque gaudebit. *Hebræum*, Propter præuaricationem uiri, malus laqueus
„ ueniet ei, uel malo laqueo capietur: iuſtus uero, & cætera.

Pendet iuxta Aben Hezra ex præcedente uerſiculo, quo dictum eſt, cum qui blanditur amico rete extendere, ſed tamen laqueo uel reti non capietur quiſquam, niſi per tranſ-

greſsionem ſuam:quaſi dicat,rete expãſum ab adulatore, nõ impediet greſſus alicuius, G
ſed iniquitates ſuæ capiunt impium,& funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ambiguus eſt ſermo in Hebræo.Poteſt enim uerti,in tranſgreſsionem uir malus laqueo,ſupple capietur,uel malo laqueo,ut Aben Hezra legit,rationem accentuum ſecutus.Sequitur.*Sed iuſtus lætabitur & gaudebit.*) Qui laqueo tenetur, gemit: hoc eſt, qui uel carcere præſentis temporis uel futuri,& pœnas luit ob tranſgreſsionem,dolet. Vnde iuſtus lætitiæ cauſam habet,partim quòd iuſte & modeſte uiuendo, ſupplicium tranſgreſſoribus debitum,euaſit: partim quòd præuaricatores illaqueatos uidet: nam cohibitis & refrenatis peccatoribus, iuſtitiæ & æquitatis opera liberius fieri poſſunt: quibus in rebus iu-
Pſal. 57. ſtus gaudere ſolet,iuxta illud,Lætabitur iuſtus cum uiderit uindictam. H

» NOVIT iuſtus cauſam pauperum, impius ignorat ſcientiam.

Leui. 19. Cauſam ſiue litem. Non eſt contrarium hoc prouerbium legi quę iubet, Nõ conſideres perſonã pauperis.De cauſa loquitur Sapiens,non de perſona.Litem cognoſcere eſt iuſtũ iudicem ſolicitum eſſe,potiſsimum in cauſa pauperum,ne quid patiantur iniuſte: nam una lite ad ſummam inopiã rediguntur nonnunquam.Cum igitur in omni cauſa oporteat iudicem cauſam diligenter cognoſcere, priuſquam ſententiam ferat,tum potiſsimũ in cauſa pauperum,& illa intelligentia iuſtum iudicem magis oſtendit, quàm ſolicitudo in cauſa diuitum, à quibus lucri aliquid fortaſsis expectat. Vtcũque,fauoris ſuſpicio eſ- I
ſe poteſt,in cauſa pauperis,iuſtitiæ laus eſt,ſolicitum eſſe, inquam, ut ueritas cognoſcatur. Iniquus non intelliget ſcientiã, hoc eſt intelligentiam & cognitionem cauſæ pauperis.Iniquus iudex non dabit operam ut cognoſcat. Sic Aben Hezra,non ad aliam ſcientiam refert,quàm intelligẽtiam æqui & iniqui in iudicio. Prouerbium ponit diſcrimen inter iudicem iuſtum,& iniquum,& docendo monet ante omnia intelligentiã eſſe dandam iudici,ne quid illum lateat eorum,quæ ad cauſam ſpectant.

» HOMINES peſtilentes diſſipant ciuitatem, ſapientes uero auertunt fu-
» rorem. *Hebræum.* Homines deriſionis illaqueabunt ciuitatem,ſapientes ue- K
» ro auertunt iram.

Interpres ſecutus Septua.frequenter uertit peſtilentes, hanc uocem Hebræam לצון, aliquando deriſorem, ut ſuperius non ſemel monuimus. Viri deriſores ſiue peſtilentes
Pſalm. 1. ſunt doctores mali,Et in cathedra peſtilentię non ſedit.Hebr.deriſorũ,qui uidelicet maiorum leges & præcepta floccifacientes, pro ſana doctrina ridicula quædam efficiunt. Nam re uera deliramenta,& ridiculæ nugæ ſunt, ea quæ docent hæretici noſtri temporis,ſi cum patrum ſacroſanctis canonibus conferantur. Hi illaqueabunt ciuitatem, hoc eſt,homines ciuitatis capiẽt,& ſecũ trahent in impiam & ridiculam doctrinam,in quam ducent ciuitatem terrenam.*Sed ſapientes auertunt iram*) Dei à ciuitate.Poſſumus eccleſiam L
intelligere,cuius magna pars illaqueata & circunuenta à deriſoribus fuit,non ſolũ antiquitus,ſed his Lutheranorum temporibus, à ſapientibus autem & doctis paſtoribus, ad ſanam doctrinam reuerſa iram Dei euaſit.Simpliciſsimus ſenſus erit,ſi per uiros deriſores intelligamus magiſtratus imprudentes,& iniquos qui ciuitatis & reip.ſalutem negligentes,ciuitatem diſsipant:dum neque utilitate publicæ,neque concordiæ ciuiũ ſtudẽt. Et ubi non eſt gubernator,populus corruet,diſcordiis & aliis malis illaqueatus, ut eſt in Hebræo.Sapientes uero gubernatores auertent iram Dei,ſup. quæ facit hypocritam regnare.Aliter,uiri deriſores, qui contemnunt leges,& derident regem, illaqueabunt ci- M
uitatem, ut in ſeruitutem redigatur,ſed ſapientes placabunt iram regis, ſiue terreni, ſiue cæleſtis,iuxta duas priores expoſitiones. Docet prouerbiũ ſalutem cum cuiuſlibet ciuitatis, tum ciuitatis Dei,hoc eſt eccleſiæ, in prudentia gubernatorum conſiſtere.

» VIR ſapiens ſi cum ſtulto contenderit,ſiue iraſcatur, ſiue rideat, non inue-
» niet requiem.

Senſum bene reddidit interpres.Verba Hebræa ſic habẽt: Vir ſapiens iudicatus cũ uiro ſtulto,

A ſtulto, nunc iraſcetur, nunc ridebit, & non eſt requies. Prouerbium indicat ſtultum eſſe incorrigibilem. Stultum ubique intelligimus hominem ſapientiæ diuinæ expertem, qui nulla ratione, nulla ſapiẽtia caſtigari poteſt. In iudicio ratio reddi ſolet, quam ſtultus aliquando ira, aliquando deriſione conatur eleuare, eludere, neque quiete aget. Sunt qui iram & riſum ad ſapientem referunt: quaſi dicat, ſapiens qui in iudicio contendere, uel potius iudicium ſubire, & ex æquo iudicari ſuſtinet cum ſtulto, nunquam quieſcet, ſiue iraſcatur ſiue rideat: hoc eſt ſiue ſerio agat, ſiue ioco, hominem non poterit uincere, neque ad finem perducere litem, ut aliquando quieſcat. Prior expoſitio eſt melior. Nullus erit litigandi finis, nam ſtultus nunc iraſcendo, nunc ſubſannando iudicij normam, & B æquam rationem illudet: quaſi dicat, Cum ſtulto agendum eſt non æquitate rationis, quam non nouit: ſed caſtigationibus & flagris, ut ſuperius lectum eſt: Virga in dorſo eius, qui indiget ſapientia. Cap. 29. *Prouer.* 10

„ VIRI ſanguinum oderunt ſimplicem, iuſti autem quærunt animam eius.
„ *Hebræum*, Viri ſanguinũ odio habebunt integrum, uel perfectum: ſed recti
„ quærunt animam eius.

Homicidæ, ſicarij & perditiſsimi quique homines, præter alia facinora quæ perpetrant, C etiam ſimplicem uirum, ſiue ut eſt in Heb. perfectum, odio habere ſolent, ut ſi qui, ſi non uerbis, at uita & operibus ſuis eorum uiuendi rationem damnant: quaſi dicat, Mira eſt malorum hominum & homicidarum cęcitas, qui uſqueadeò longè abſunt à perfectione uirtutis, ut eam in aliis ſuſtinere non poſsint. Aegrotis in corpore aliena ſanitas nõ eſt moleſta, quiſquis ſua fame, non aliena ſaturitate torquetur, noſtro negotio & ſudore, nõ alieno otio fatigatur. Soli malefici & homicidæ, qui nihil habent uirtutis, aliena cruciantur honeſtate, & perfectione. In ſummam deteſtationem homicidij tendit clauſula. *Sed quærunt animam eius.*) hoc eſt, interfectum ſimplicem hominem, ſiue perfectum uin- D dicabunt recti, & æqui iudices, & non permittent homicidas graſſari impune, & fundere ſanguinem innocẽtem: quaſi dicat, hoc in primis ſpectat ad æquos iudices, qui ut in aliis cauſis pauperum diligenter cognoſcere ſtudebunt, ne pauperes opprimantur, ita interfecto ſimplice & perfecto uiro, facta inquiſitione, quærunt animam, hoc eſt ſanguinem interfecti. Aliter, Recti quærũt animam eius, ſup. perfecti, hoc eſt, uolũtatem eius, dabũt operam illius implere deſiderium: uel etiam, quærunt animam, ab eo conſilium petent, ſequentur illius ſententiam. Primo expoſitio loco præſenti maximè quadrat.

„ TOTVM ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt & reſeruat in po-
„ ſterum: uel, in poſterum quieſcere faciet eum.

E *Totum ſpiritum.*) hoc eſt, totam iram, uel quicquid habet in corde cum litigat in iudicio contra ſapiẽtem, ut reſpõdeat priori clauſulæ, ubi lectum eſt. Iraſcetur & ridebit, & non erit quies. Aliter, *Stultus totum ſpiritum proferet.*) Nullum maius ſtultitiæ argumẽtum eſt, quàm non poſſe ſuum ſeruare ſecretum, totum ſtatim effutire quicquid animo concepit, ſumma ſtultitia eſt. Aliter, totum ſpiritum, hoc eſt totam uoluntatem ſuam, & deſiderium & appetitum proferet, & opere perficiet: quaſi dicat, Stultus eſt, qui non poteſt refrenare, nec cohibere appetitum, & brutam portionem animæ, quæ ualde ſtulta eſt præſertim ſi actu proferatur, ſi ſeſe oſtentet in opere. *Sapiens uero in poſterum reſeruabit*) F uel faciet quieſcere eum, ſpiritum ſup. & ſunt qui referunt ad ſtultum. q. d. Sapiens cohibebit ſpiritum ſtulti, iuxta primam expoſitionem, cum in iudicium litigauerint: & ſtultus ualde incandeſcens, quæcunque inſerit flaua bilis dixerit. Sapiens reddita ratione quieſcere faciet illius furorem. Aliter, Sapiens faciet quieſcere ſuum ſpiritum, hoc eſt, ſuum appetitum, & deſiderium cuiuſque rei, ut nihil faciat abſque maturo iudicio, ut nihil præcipitanter, nihil ex primo motu, ſed in poſterum faciet quieſcere, ut quid cum ratione facere debeat, perpendat. Prima expoſitio uidetur magis loco quadrare, iuxta il- *Prouer.* 18 lud: Cor prudentis poſsidebit ſapientiam.

» PRINCEPS qui libenter audit uerba mendacij, omnes miniſtros habet G
» impios.

Prouerbium monet principes ut caueant adulatores: quod non poſſunt facere, niſi ueritatem audire uelint. Miniſtri principum contendunt, quis inter eos Regi maximè poſſit placere, uoluntatem & deſiderium regis ante omnia ſpectant: quòd ſi rex ueritatem ubique libenter audit, probos habebit miniſtros, qui nihil apud eum mentiãtur. Verum ubi ſemel corruptus eſt Regis animus, & improbus effectus, ut nolit audire ueritatem miniſtri eius, qui ex eo pendent, qui non uidentur alium habere Deum, tantopere ſtudent placere regi, ut nunquam ueritatem præſente rege loquantur: atque ea ratione im- H
probi euadant, in regem & remp. peccantes: imò maximè in Deum, qui ipſa ueritas eſt, ea ratione quoque opprimuntur, & pereunt boni & innocentes uiri, peſsimique quique ad publicas functiones uocantur: iuſtitia oppreſſa peſſum eunt omnia. O quanta reipub. & omnium uirtutum clades, ubi exoſam habet ueritatem princeps. Cuius rei utinam nullum haberemus noſtræ ætatis exẽplum, utinam non tantam conquerendi occaſionẽ.

» PAVPER & creditor obuiauerũt ſibi: utriuſque illuminator eſt dominus.

Creditor uox Hebr. תככים, duo diuerſa ſignificans reddit ſenſum ambiguum. utcunq; in defenſionem interpretis, ſiue creditor, ſiue fœnerator uertatur, à neutra ſignificatione I
uocis Heb. multum abhorret: ſignificat enim confractionem, uel fraudem. Hebræi fere paſsiue intelligunt, qui confracti ſunt paupertate & inopia, uel qui fraudes paſsi ſunt: noſter interpres potius eum qui opprimit fœnore. Prouerbium indicat omnibus ſperandum eſſe in domino, ſed præcipue pauperibus & oppreſsis qui non habent in hac uita, in quo conſolationem capiant. Pauper igitur & uir contritionum, qui contritus eſt: uel uir fraudum, qui fraudes paſſus eſt, frequenter occurrunt: Nam ſimile gaudet ſuo ſimili, ut inuicem conſolationem capiant. Sed dum in tenebris quodammodo paupertatis & miſeriarum uerſantur, mutuam conſolationem non inueniũt: unus non poteſt alterius K
oculos illuminare, miſeriam ſubleuare, ſeu opem ferre, ſed ambo deſtituti ope humana, ad dominum per preces & fiduciam recurrunt, qui amborum oculorum illuminat moleſtiis huius uitæ propemodum excæcatos. Illuminare oculos eorũ, eſt neceſsitatibus ſubuenire, ſiue cibum dare in tempore ſuo, quod eſt oculos illuminare, iuxta Hebr. ut
1. *Reg.* 14. legitur de Ionatha, qui ſummitatem uirgæ intinxit in fauũ mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi illius. uel, illuminare oculos eſt patientiam
Lucæ. 21. præbere: Et in patientia ueſtra poſsidebitis animas ueſtras. Alius erit ſenſus, ſi ſequamur uerſionem noſtri interpretis, cuius etiam meminit Aben Hezra. Pauper & uir fraudum, (ſic enim uertit Caldæus) qui prædatus eſt illius opes, facti ſunt obuij, hoc eſt contrariis L
uiis incedunt: hic per latam uiam quæ ducit ad perditionem, ille per arctam uiam, quæ ducit ad uitam. Illuminat amborum oculos dominus, ſed alterius oculum, quò ad pro-
Matt. 6. ſperitatem huius temporis reſpiciat, Solem ſuum faciens oriri ſuper bonos & malos. Atqui huius ſolis radiis illuminat oculum, fraudulenti uiri, quibus plus uidet in rebus caducis. Sed pauperis oculum illuminat dominus, ut ea expectet, Quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit. Poteſt in bonam partem capi, ut ſit ſenſus: Vtriuſque oculos illuminat dominus, utrique ſpem præbet, uim uidelicet in patientia ſua: alteri uero, per pœnitentiam & redemptionem peccatorum, per eleemoſynam, dum pauperi occurrit: & huic M
ſenſui quadrat quod ſequitur.

» REX qui iudicat in ueritate pauperes, thronus eius in æternũ firmabitur.

Iudicare in ueritate pauperes, eſt non honorare faciem diuitum, qui litigant contra eos, ſed uerum iudicium proferre. Solẽt fere pauperes opprimi in iudicio, eò quòd ad regem non pateat acceſſus illis: diuites muneribus ubique penetrant. Si pauperes iudicandi ſunt cum ueritate, hoc eſt abſque acceptione perſonarum: quanto magis diuitum perſonas nõ oportet accipere? Prouerbium monet principes ſui muneris, quod eſt pauperum

præcipuè

A præcipue audire cauſas, potius quàm diuitum: nam diuitibus non eſt periculum, ne opprimantur in iudicio, ſi ad inferiores iudices ueniant: ubique gratiam & fauorem inuenient, iuxta illud. Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis. Verum pauperes in ueritate iudicare, neque poſſunt neque audent omnes iudices, præſertim ubi ſunt aduerſarij potentes: coram minore iudice cauſa pauperis periclitabitur. Rex ut muneribus ſecreto non corrumpitur, ita neque quenquam timet, ſed aduerſus quemcũque libere ſententiã proferre poteſt cum ueritate & æquitate. Quòd ſi fecerit, & cauſas pauperum uelit iudicare in ueritate, firmabitur ſoliũ illius in æternum. Sapientia diuina lõge aliis quàm humana, ſemper incedit ueſtigiis: nam opibus & potentia, diuitum gratia
B atq; amicitia ad regnum peruenitur, armis & munitionibus ſtabiliri ſolet, & retineri diadema. Contra hæc cæleſtis plane Salomonis ſapientia, pauperum defenſione quàm diutiſsime ſoliũ firmari poſſe docet: quod qui pauperibus patrocinatur, Dei opt. maxi. uice in terris quodammodo fungitur. Nam pauperum peculiarem defenſionem ſibi uẽdicat dominus, iuxta illud, Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.

Cap. 29. *Prouer. 19* *Pſal. 9.*

„ VIRGA & correctio tribuit ſapiẽtiam: puer autem qui dimittitur uolun-
„ tati ſuæ, confundit matrem ſuam.

In ſenſu quadrat cum eo quod ſcriptũ eſt ſuperius. Stultitia colligata eſt in corde pueri, &
C uirga diſciplinæ fugabit eã. Abẽ Hezra, & alij Hebræi ſenſum reddunt paulò diuerſum ab eo, quem uerſio omnium interpretũ, quos ego uidi, præ ſe fert: nempe ut uirga & correctio inſtrumentaliter capiantur, & ſubaudiatur Sapiens, uel pater uel quicũq; dator ſapiẽtiæ, dabit eam per uirgam & correptionẽ. Nam uirga fugare ſtultitiam oportet priuſquã ſapientia poſsit intrare. Et præterea eſt infirmitas & ignorantia humanæ naturæ (cũcta enim cogitatio cordis humani intenta eſt ad malum omni tempore) ut ex ſe ſapere
non poſsit, ſed uirga & caſtigatione eſt opus: alioqui ualde raro ad frugem literarum, ad cognitionem rerum, ad timorem Dei, & per timorem ad uerã ſapientiã perueniunt. In-
D fantes in pueritia caſtigandi ſunt, dum ætas eſt idonea: nam puer ſuæ libertati dimiſſus pudore afficit matrẽ, hoc eſt à patre non caſtigatus, neq; ad frugem bonã euectus: mater illius cogitur erubeſcere, quod tam indulgẽs fuiſſet filio, ut quem neq; ipſe uoluit corripere, neq; ſignificare patri, quãuis maxima pars rectæ educationis liberorum ad matrem ſpectet: nam pro ea diſciplina quam ſub matre adhuc pueri capiunt, adoleſcunt in uirtutum & literarum ſtudio. Prouerbium monet peculiariter matres, ne ſint nimium indulgentes erga liberos, ut ſolent pro muliebri ingenio.

Prouer. 22 *Gene. 6.*

„ IN multitudine impiorum multiplicabuntur ſcelera, & iuſti ruinas eo-
„ rum uidebunt.

E Prouerbium præbet conſolationem iuſtis: qui cum uiderint tot improbos, tanta licentia perpetrare mala, niſi per patientiam & cõſolationem ſcripturarum ſpem haberent, nihil
eſſet illis miſerius, dicente Paulo, Si in hac uita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, Salomon hoc in loco eodem modo iuſtis conſolationem præbet, aduerſus improbitatem malorum, quo Dauid, Adhuc puſillum &
non erit peccator. *In multitudine uel multiplicatione impiorũ:*) hunc habet ſenſum, Inuicem ad mala perpetranda ſeſe prouocant improbi, & quo plures ſunt, tanto ſunt audaciores, quo plures ſunt impij, tanto pauciores in mundo ſunt iuſti, minus erubeſcunt impij malefacere, minus coërceri poſſunt. Scelus & tranſgreſsio, quæ uulgo fit impune, ap-
F probari uidetur, ut iam non ſit mirum, ſi in multitudine malorum multa fiant mala, & tanta ut iuſtitiæ non uideatur eſſe locus, iuſti uideantur non poſſe ſubſiſtere in mundo: quos tamen Salomon bono animo eſſe iubet, nam futurum ut breui corruant impij, ruinam eorum ſpectantibus iuſtis. Nã ut hominum effugiant manus, certe Dei iudicium non effugient, & tantò minus quantò plura commiſerunt mala, idq; ſpectantibus iuſtis. Sunt ex Hebræis, qui uerbũ ירא uidebunt interpretantur, gaudebunt, iuxta illud, Non uidebis diem fratris tui, hoc eſt non lætaberis in morte fratris tui.

1. Cor. 5. *Pſal. 38.*

» ERVDI filium tuum,& refrigerabit te,& dabit delicias animæ tuæ. G

Sæpe diximus uerbum Hebræum יסר ſignificare erudire, corripere,ſiue caſtigare. Et Salomon iam toties de correptione & caſtigatione pueritiæ locutus eſt,ſine qua ad frugem non poteſt peruenire,ſine qua tam ſeipſos,quàm parentes ignominia non poterũt non afficere liberi. Quæ res ſi patres non excitat ad erudiendos liberos, intueantur ſaltem quantam ſint habituri amœnitatem, quantam recreationem & huius uitæ delicias ex liberis bene inſtitutis. *Refrigerabit te:*) in Hebræo quieſcere te faciet,uel requiem dabit tibi.Si bene caſtigaueris filium in pueritia,nihil poſtea cum eo habebis negotij:ſemper obtemperãtem inuenies,uel requieſcere te faciet in ſenectute tua,labores ipſe ſubibit, & domeſtica tractabit negotia, ea prudentia & dexteritate,ut ipſe quieſcere poſsis. H *Dabit quoque delicias animæ tuæ,*) hoc eſt ſummam capies in animo uoluptatem & lætitiam ex filio tuo iam ſapiente, & tanto maiorem, quanto maiore cura filium erudiri curaſti,ut non ſemel legimus: Filius ſapiens lætificat patrem. Facile enim non poteſt eſſe maior lætitia uel recreatio patri, quàm laudes audire filij. Prouerbium monet filios recte inſtituere & erudire, quæ res magnam quietem ſenectuti patris affert, & uoluptatem animæ.

*Prou.*10.

» CVM prophetia defecerit,diſſipabitur populus: qui uero cuſtodit legem,
» beatus eſt. I

Diſsipabitur.) uerbum Hebræum יפרע uerti poteſt omnibus his modis,Ceſſabit populus,otioſus erit,deficiet uel rebellabit populus,uel denique retrocedet populus.Significat Hebræis hoc uerbum פרע etiam plura.Sed ex his quæ poſuimus ſignificatis, nullum eſt quod huic loco non conueniat. *Cum non ſit prophetia.*) In Hebræo eſt uiſio: Sic enim antiquitus prophetia uocari ſolet,& propheta uidens:ubi non fuerint prophetæ ſiue eccleſiaſtæ, & concionatores, qui doceant & exponant legem Dei, qui deterreant à malefaciendo: qui cõminentur,& Dei timorem rebellibus incutiãt:ſi non ſint inquam, uiri potẽtes exhortari,ut inquit Paulus,in doctrina ſana,& eos qui contradicũt arguere, K qui ſacras interpretantur ſcripturas,quæ diuinitus inſpiratæ utiles ſunt ad docendum,ad arguendum, ad corripiẽdum,ad erudiendũ in iuſtitia. Vbi non ſunt huiuſmodi pij concionatores,inquã,populus primò ceſſare à bonis operibus, & otioſus eſſe incipit:deinde penitus deficere ab iis,quæ ſunt religionis,tãdem rebellare paſtoribus, non obedire,atq; ita demũ denudari(nam id ſignificat hoc uerbũ quoq;) ab omni uirtute, ut in hũc unum locum omnia etiam uaria unius uerbi פרע ſignificata optime quadrẽt.Ita(ni fallar)diſponente ſpiritu ſancto, ut uerborũ cõpendio & ſterilitate in hac ſcripturarũ lingua,mira eſſet ſenſuum copia & fertilitas. *Et qui cuſtodit legem beatus eſt,*)ut puta bonis omnibus huius uitæ fruens.Benedictus in ciuitate,benedictus in agro, benedictus fructus uẽtris tui, L & fructus terræ tuæ,&c.Nos ſpiritualia ſpiritualibus comparãtes dicimus: Beati qui audiunt uerbum Dei,& cuſtodiunt illud.Prouerbium ſignificat non ſatis eſſe quod legem accepit populus Dei,niſi ſint qui ſubinde populum ſui officij commonefaciant. Fœlicitatem eſſe in obſeruatione diuinæ legis,ſed eam frequẽter populus non aſſequitur, quia legem Dei per negligentiam non obſeruat.

*Tit.*1.*cap.* 2.*Tim.*4.

*Deut.*28. 1.*Cor.*2. *Lucæ.*11.

» SERVVS uerbis non poteſt erudiri, quia quod dicis intelligit, & re-
» ſpondere contemnit.

Perquam neceſſarij ſunt in populo prophetæ & fideles cõcionatores,qui ad obſeruationem legis inducant,ut dictum eſt. Sunt tamen aliqui uſqueadeò ſeruili ingenio,ut more Phrigum non niſi flagris caſtigentur: *Verbis non caſtigabitur ſeruus,*)uerbis duntaxat:ſed uirga in dorſo imprudentiũ,& quod modo legimus:Virga & correctio tribuit ſapientiã. Præter uerba igitur opus eſt etiam correptione.Obſeruamus hoc in loco Hebraiſmum qui frequẽs eſt,nempe ſuppletio huius uocis,tantum.Per uerba non caſtigabitur ſeruus, hoc eſt per uerba tantum. Similem loquendi modum & in nouo teſtamento legimus: Mulier uenit hora & nunc eſt,quando neq; in monte hoc,nec Hieroſolymis adorabunt. M

*Ioan.*4.

Vel

A Vel ſupplendū eſt tantum:uel,eo modo quo nūc adorant Hieroſolymis & in mōte hoc. Cap. 29.
Quod dicis intelligit,& reſpōdere contemnit.Tametſi intelligat uerba tua,quibus eum
erudire conaris,tamen contemnet,quaſi diceret: Non poteſt erudiri uerbis,hoc non eſt,
quod non poſsit intelligere,quòd capax non ſit ſapientiæ:non enim intellectus deeſt his
qui ſuis cupiditatibus inſeruiūt,& legem non ſeruāt,ſed uoluntas: Satis bene concionatores intelligunt,ſed non eſt reſponſio,(ſic enim Hebræi legunt)non eſt obediētia. Aliter iuxta Hebræū,quando intelliget non eſt reſponſio. Seruus non poteſt erudiri uerbis
duntaxat,uerum qui uir prudens & ingenuus eſt,nec uerbis quidem opus habet,non indiget reſponſione, hoc eſt, reprehenſione: ſatis eſt ut intelligat quid factu opus ſit.
B Prior expoſitio eſt melior.

» VIDISTI hominem uelocem ad loquendum, ſtultitia magis ſperanda
» eſt quàm illius correctio. *Hebræum*, Vidiſti uirum uelocem in uerbis ſuis,
» ſpes ſtulto, præ illo.

Quadrat in ſenſu cum eo quod ſcribitur,Vidiſti hominem ſapientem ſibi uideri:magis illo ſpem habet inſipiens. Nam qui præceps eſt ad loquendum, uidetur in ſua ſapientia confidere: Alioqui ſit omnis homo uelox ad audiendum,tardus ad loquendum, & tar- *Iacobi* 1.
dus ad iram.Niſi perſuaſum haberet ſe eſſe cæteris prudentiorem, amaret audire magis
C quàm loqui:ſententiam ſuam proferre feſtinat,quaſi cæterorum præferendam. Hic cùm ſit ſapiens in oculis ſuis,quæ ſpes eſt,ut aliquando ſapiētiam diſcat ab aliis? Imò qui ſtultus eſt,& nec ignorat nec erubeſcit ſuam ſtultitiam,facilius ſciētiam diſcet,& maior ſpes eſt,ut ad ſapientiam aliquando perueniat: ad loquendum feſtinat, qui docet antequam diſcat.Nos ſuperius huiuſmodi fiduciam in ſapientia propria, ſiue in oculis propriis, ut prius lectum eſt,ſiue in uerbis,ut hoc loco,oſtenſam & iactatam tribuimus hæreticis & Iudæis.Qui cùm neque charitatem habeant de corde puro & conſcientia bona, neque
fidem non fictam,conuerſi ſunt in uaniloquium,uolentes eſſe legis doctores, non intel- 1. *Tim.* 1.
D ligentes,neque quę loquūtur, neque de quibus affirmant.Prouerbium deniq; ſignificat longe abeſſe à ſapientia eos,qui futiles & uaniloqui ſunt.

» QVI delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum,poſtea ſentiet eum contuma-
» cem. *Heb.* Poſtremo erit filius,uel tandem erit.ſup.uelut filius.

Quòd ad ſenſum ſpectat hiſtoricum quotidiana docet experientia, ſeruos & tenuioris fortunæ homines, proſperam non poſſe ferre fortunam: ſed ſtatim inſoleſcere, alios præ ſe contemnere.Idcirco ad domeſticam curam ſpectat, (cuius ſana & prudens adminiſtratio, non minima pars ſapientiæ eſt in patrefamilias) ſic ſeruos educare & inſtituere,ut quàm maxime utiles eſſe queant. Erunt autem,ſi pro conditione ſeruorum,non li-
E berorum fuerint in uictu & ueſtitu tractati.Alioqui ſi in pueritia loco liberorum habiti ſunt,in ſplendore ueſtitus,in menſę deliciis, cum adoleuerint,loco filiorum quoque eſſe uolunt.Hoc eſt quod indicat uox Hebræa מנון, quæ non ſignificat contumacem,ut nos habemus, ſed filiationem.Sic enim habet Hebræus contextus *Delicatè tractans à pueritia ſeruum ſuum,poſterius illius erit filiatio, uel tanquam filius:*) quaſi dicat, poſtea pro filio haberi uult, non pro ſeruo. In hoc uerſiculo etiam Hebræi moralem ſenſum quærunt: quaſi Salomon non tam de ſeruo loqueretur,quàm de ſenſitiua parte & bruto appetitu in homine:qui ſi à principio nimiis deliciis & magna libertate carnali laxetur,poſtea uix poterit à ratione refrenari,conditionem ſuam amplius non agnoſcet:ſed cum domi-
F na ratione de imperio contendet.Allegorice in populū quadrat Iudaicum, qui cùm ſeruilis fuiſſet conditionis,de ſeruitute Aegyptiaca à domino liberatus,& loco filij primo- *Exo.* 4.
geniti magno honore habitus:hæc dicit dominus,Filius meus primogenitus Iſraël, dixi tibi,dimitte filium meū,ut ſeruiat mihi: ſed quanto maiore honore habitus,quanto maioribus beneficiis affectus à domino eſt populus Iſraël,tanto minus tandem inuentus eſt obediens,ut ſcriptum eſt:Introducam eos in terram lacte & melle manantem, cúmque *Deu.* 31.
comederint & ſaturati craſsíque fuerint, auertentur ad deos alienos, & ſeruient eis de-

trahéntque mihi,& irritum facient pactũ meum: atqui in hunc ſenſum,canticum com- G
poſuit Moyſes:Audite cæli.

» VIR iracundus prouocat rixas: & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad
» peccata procliuior.

Sunt apud Hebræos duo nomina quaſi ſynonyma אף ira, & חמה furor:quanuis au-
thore Aben Hezra hic uehementior ſit,quàm illa:nempe חמה quàm אף, ut etiã apud
nos furor quàm ira: utrunque procul abeſſe à ſapientia oſtendit Salomon. Hebraiſmus
eſt,Vir iræ qui obnoxius eſt,& facile uictus ab ira.Priorem partem huius uerſiculi habes
ſuperius cap. 15.Vir iracundus prouocat rixas,quãuis illic non uir iræ,hoc eſt אף ſcriba-
tur,ſed furoris, hoc eſt חמה: unde intelligimus has duas uoces, quas Hezra diſtinguit, H
aliquando confundi.Ex ira magna & crebra multa ſequuntur mala, nempe rixæ & diſ-
cordiæ,ſed ex furore plura:quæ cum neminem lateant, commemorare non eſt neceſ-
ſum. Prouerbium docet ſapientem ſedatis eſſe affectibus,quos qui non nouit moderari,
litibus & multis præuaricationibus implicatus, non poteſt ſapientiæ uacare, cuius ac-
quiſitio huius libelli ſcopus eſt.

» SVPERBVM ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.
» *Hebr.* Superbia hominis humiliabit eum,& humilitas ſpiritus tenebit glo-
» riam:uel,humilem ſpiritu ſuſtinebit gloria. I

In ſenſu non eſt diuerſum ab euangelico elogio: Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe
humiliat exaltabitur,plerunque in hac uita, ſemper ante tribunal Dei. Superbi fuerunt
ualde Pharao, Nabugodonoſor & alij hoſtes populi Dei, & reliqui tyranni, Chriſti &
Chriſtianorum perſecutores, qui aduerſus Deum ſuperbientes, quaſi illius conſilium
fruſtrari aut impedire potuerint: ſed in infimis ſuppliciorum cuſtodiis, pœnas luunt.
Et cum ſumma ignominia male audientes, hominum opinione ſunt uiles, & contem-
Matt. 11. pti.Contrà qui Chriſto auſcultauerunt dicenti, Diſcite à me,quia mitis ſum & humilis K
*Geneſ.*18. corde: uel ante Chriſtum patriarchæ Abraham ſumma humilitate dicenti: Loquar ad
dominum meum, cum ſim puluis & cinis: uel denique qui Adamum à paradiſo eie-
ctum,& luciferum è cælo reſpicientes, eorum exemplo & ſpiritus Dei benignitate,hu-
militatem didicerunt, cæleſtem gloriam aſſequuntur in cælis, & apud homines in terris
nominis fama & honore, nunquam carere poterunt: etiamſi hæretici illis gloriam
detrahant, quo maiorem ipſi apud homines habeant, ſed ſuperbia eorum humi-
liabit eos.

» QVI cum fure participat,odit animam ſuam:adiurantem audit,& non in-
» dicat. *Hebræum*, Qui partitur cum fure, odit animam ſuam: maledictio- L
» nem audiet,& non indicabit.

Quod de furto dicitur, de quocunque facinore intelligi poteſt,iuxta illud:Nõ ſolum qui
*Roman.*1. ea faciunt,ſed etiam qui conſentiunt facientibus: præſertim ſi partem capiat cum fure,
amans lucrum iniquum odit animam ſuam,ut quam maledictioni & execrationi expo-
nit:nam cum audit omnem populum male precari illis, qui rem alienam abſtulerunt,
quod omnes ſolent facere,ut innocentiam ſuam declarent: ipſe audiet & non indicabit,
non reſtituet:non audet indicare rem ablatam furto,apud ſe eſſe,ne furti reus arguatur,
atque ita exoſam ſuam habet animam, quam & furto & maledictione grauat. Nicolaus M
de Lyra ex his uerbis adiurantem audit,& non indicabit diuerſum crimen excogitat,ab
eo quòd ſit particeps furti,nempe non manifeſtans furtum. Et ex nouem modis quibus
cum fure fit participatio,hunc ultimum addit,quando poſt furtum factum inquiritur de
ipſo ut inueniatur,& aliquis ſcit & non indicat.hæc ille. Equidem dubito an liceat indi-
care ſi modo fuerit ſecretum,& ſi fuerit alioqui uir integræ famæ,qui furtum commiſit:
neque puto quenquam ſpoliandum ſua fama & nominis integritate, pro re temporali:
ut huic ſuã pecuniam reſtituendam curem, illius nomen denigrabo?præſertim antequã

ſeorſum

A seorsum egerim cum proximo, iuxta illud euangelij, Si peccauerit in te, hoc est te scien- Cap. 29.
te, frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Lege Thomam secunda secun- *Matt.* 18.
dæ, quæst. 33. articul. 7. Qui hanc quæstionem exactius tractat, qua ratione uidelicet in-
dicandum sit crimen alterius, & qua ratione non debeamus lædere famam alienam. He
bræus contextus qui sic habet, Maledictionem siue iuramētum audiet, & non indicabit,
non uidetur illum habere sensum: quasi maledictus esset, qui non indicaret furtum alie-
num, sed hunc potius, qui partem capit cum fure, odit animam suam, quia cum audierit
maledictionem, in eos qui habent id quod furto ablatum est, non indicabit, sed feret
maledictionem, uel audiet iuramentum, hoc est iuramentum admittet & peierabit po-
B tius quàm indicaret furem, ne & seipsum uideretur accusare. Non est lædēda fama pro-
ximi, modo prius fuerit integra, pro re tēporali, præsertim in causa priuata. Lege Tho-
mam ubi supra.

„ QVI timet hominem, cito corruet: qui sperat in domino, subleuabitur.
„ *Hebr.* Timor hominis dabit laqueum, sed qui sperat in domino eleuabitur.

Quod ambiguum est in Heb. interpres ad unum sensum contraxit. Nam timor homi-
nis intelligitur, uel quando quis nimium timidus est, iuxta illud: Qui obseruat uentum, *Eccles.* 11.
non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet: opera præclara non audent ag-
C gredi, qui fortitudine animæ carent: timor huiusmodi dabit laqueum, & impediet quo
minus uel opes contemnat, & liberaliter in pauperes dispergat, timens ne sibi desint
aliquando necessaria: timet ieiunare ne ualetudinem lædat, aut uitam minus diuturnam
efficiat: corporalem timens mortem, Christi nomen non audet confiteri coram hominibus. Hic timor laqueus est, quo gressus in uia salutis impediūtur. *In domino collocanda est fiducia,*) qui suos nunquam deserit, sed exaltat & eleuat super omnia damna & pericula:
quæcunque euenire possunt, contra famem, pestem, & gladium. Faciendū quod domi-
nus præcepit, illius uoluntatem conemur implere, & de reliquo nihil timere. In domino
D oportet esse securos, quòd ad bona temporalia, quòd ad sanitatem, quòd ad uitam spe-
ctat. Vel timor intelligitur hominis, in eo qui hominem timet, iuxta illud: Nolite time- *Lucæ.* 12.
re eos qui occidunt corpus: post hæc autem non habent quid faciant. Sensus eodem fere
redit, nisi quòd hic sit angustior, respiciens duntaxat iniuriam, quæ ab homine nobis
adferri solet: & hic timor recte laqueus uocari potest, ut qui hominum mentes & uolun-
tates inuoluat, quo minus audeant facere quæ facienda nouerint. Timor hominis, siue
quem quisque in se habet, siue quem potentior homo imbecillioribus immittit, uterque
magno sapientiæ & uirtutum est impedimento sed contra huiusmodi humanum ti-
morem, fiducia in dominum erimus tuti & armati: nam יעגב eleuabitur significat, siue
E tuebitur, loco munito collocatus uidelicet. Metaphora tracta à munitionibus, quibus re-
cepti milites sese defendunt.

„ MVLTI requirunt faciem principis, & iudicium à domino egreditur
„ singulorum.

Ex priore uersiculo sensus huius qui est huiusmodi, Quemadmodum timor hominis
plus potest quàm timor Dei nonnunquam: ita & fauorem principis nonnulli plus quæ-
runt, quàm Dei amorem: sed qui fiduciam habet in domino, facile contemnet timorem
F hominum, ita qui cogitat Deum omnium esse iudicem, & quicquid pronūtiauerit prin-
ceps, non humanum timendum iudicium, sed Dei, hic quæret Dei non hominis placare
faciem. Nam ut superius legitur, Cor regis in manu Dei est, & quocunque uoluerit in-
clinet illud. Aliter, iuxta Hebraismum, quærere faciem, est amorem ambire & fauorē.
Quod maximè solent facere qui iudicio principis subiiciuntur, sed cum iudicium à do-
mino procedat, debemus potius domini faciem quærere: nam apud nullum principem
causam habemus usqueadeò grauem, atque apud dominum, qui iudex est omnium:
qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. illius igitur timendum *Lucæ.* 12.
est iudicium.

ABOMINANTVR iuſti uirum impiũ & abominãtur impij eos,qui in recta ſunt uia. *Hebræum*, Execratio iuſtorum eſt uir iniquitatis, & execratio impij eſt rectus in uia. G

Multa de uirtutibus,& multa de uitiis hactenus tractauit Sapiens,quorum Coronidem addens,aſſerit hæc nihil inter ſeſe penitus habere commune. Vir iniquus eſt abominatio iuſtorum,non quòd naturam humanam poſsint odio habere iuſti,ſed iniquitatem, ſed impietatem execrãtur, quæ iuſtitiæ ex diametro repugnant,communem corrumpit naturam. In Heb. עול non tam impium, quàm iniquum ſignificat:ut ſit quædam iocunda illuſio,inter æquum & iniquũ nihil eſt commune,ſicut neque inter improbũ & rectũ,iuxta illud:Quæ enim participatio iuſtitiæ cũ iniquitate,aut quæ ſocietas luci ad tenebras? *2. Cor. 6.* H

CAPVT XXX.

VERBA congregantis filij uomentis. Viſio quam locutus eſt uir,Cum quo eſt Deus, & Qui Deo ſecum morante confortatus,ait, Stultiſsimus ſum uirorum,& ſapientia hominũ non eſt mecum. Non didici ſapientiam, & noui ſcientiam ſanctorum. *Hebr.* Verba Agur filij Iache prophetia:uerbum uiri ad Etheel,ad Etheel & Vcal. Cum ſtultior ſim quouis,& non ſit intelligentia hominis mihi, neque didici ſapientiam neque ſcientiam ſanctorum noui. I

Verba Agur. Quarta pars huius libri hinc habet initium, nam prima ſectio ad decimum caput extenditur,ſecũda ad uiceſimum quintum, iuxta ea quæ ſuperius obſeruauimus. Eorum quæ ſequuntur hoc in loco ueluti inſcriptio & titulus, præmittuntur quædam, authoris nomen,& illius cui facta ſunt uerba complectentia. Nomina propria Hebræorũ fere ſunt ſignificatiua, quod in defenſionem noſtri interpretis dici poteſt. Nam nomen, Agur,originem habet à uerbo אגר quod congregare ſignificat, & יקה aliquam ſimilitudinem habet cum uerbo קאה,quod eſt uomuit. Porrò לאיתיאל in uoce & in literis affinitatem cum dictione compoſita לא אתי אל, non mecum Deus: quanuis, inquam, ad hunc modum interpretem noſtrum tueri liceret,tamen ſi quis admittat contextum Hebræum,quem hodie habemus, multo rectius ſe habet uerſio ſecunda,quam interpretando ſequemur: quod hactenus accuratè fecimus, Hebraicam ueritatem ſemper ob oculos habentes, eorum commentariis potiſsimum adiuti, hos noſtros qualeſcunque conſcripſimus. Verba Agur: Abẽ Hezra putat ſapientẽ fuiſſe hoc nomine,cuius uerba ad diſcipulos ſuos,nẽpe Etheel & Vcal habita,Salomõ ſuo adiũxit opuſculo. Alij quos noſtros ſecutos eſſe uideo, ſentiunt Salomonem ſic uocatum, nempe Agur, hoc eſt,collectio, quòd in eo homine multiplex eſſet coaceruata ſapientia. Mihi magis arridet prima opinio, propter ea quæ ſequuntur: nam ut Agur dici poſſit Salomon,hoc eſt, congregatio, filius Iache, ſiue Vomentis, quî dici poſsit non uideo: nam cum nomen uiri & nomen patris illius ponatur, ſcripturã nobis hominem aliquem inſinuare uoluiſſe credendum eſt, ut omittam uehemẽter duram eſſe metaphoram, uocare Salomonẽ filium Vomẽtis. Sunt tamen ex Heb. quos ſecutus eſt interpres,qui de Salomone interpretantur locum: quaſi dicat, uerba Salomonis qui congregauit ſapientiam magnam & euomuit, inquit Leui Ben Gerſon, cogitationes malas. Nos cum Hebræis locum interpretamur de propheta Agur filij Iache, cuius hæc ſunt uerba ad Etheel & Vcal,& ſunt illius uiri prophetia,qui quòd inſignis eſſet גבר, hoc eſt uir,à fortitudine dictus eſt,uel quod illius ſapientia confirmata conualuit,& tanto magis,quanto de ſe humilius ſentiens locutus eſt,iuxta id quod ſequitur: *Stultior ego ſum,quàm quiſquam.*) Rogatus Agur à duobus ſeu ſapientibus,ſeu diſcipulis illius,ut diceret aliquid,& doceret,Reſpõdet cum Socrate, Hoc unũ ſcio, K L M

A ſcio, quòd nihil ſcio. Sum ſtultior cæteris hominibus, & non eſt mihi intelligentia homi- Cap. 30.
nis, hoc eſt, ſapiẽtia qua alij præditi ſunt homines: mihi nõ eſt ſcientia in his rebus ſubli-
mibus, de quibus quæſtio proponitur. Non didici ſapientiam, ſupple humanam, uel ter-
renam, ſed ſcientiam ſanctorum ſupple angelorum noui: ut affirmatiuè legatur, iuxta
uerſionem interpretis noſtri. Vel ex priore particula in ſecundam quoque transferenda
eſt negatio, cuiuſmodi modus loquendi frequens eſt in ſcripturis, quod Lyranus negãs,
declaret ſe non fuiſſe uerſatũ in ſcripturis legendis. In Hebræa lingua, id quod loco ma-
gis opportuno notauimus, repetatur inquam negatio, & erit ſenſus: Non didici ſapien-
tiam, neque ſcientiam ſanctorum noui, ſupple ex meipſo, uel ſimpliciter non noui ſcien-
B tiam de his quæ ſequuntur.

„ QVIS aſcendit in cælum & deſcendit? quis continuit ſpiritum in manibus
„ ſuis? quis colligauit aquas quaſi in ueſtimento? quis ſuſcitauit omnes termi-
„ nos terræ? quod nomen eius, & quod nomen filij eius ſi noſti?

Huc ſpectant iſtæ quæſtiones, ut oſtendat hic Agur ſiue Salomon, qui ſapientiam coacer
uauit, quantis tenebris ignorantiæ uerſetur genus humanum: ut oſtẽdat non ſine cauſa
dixiſſe ſe carere ſapiẽtia, & ſcientia ſanctorũ, hoc eſt, ſcientia quã habẽt ſancti angeli, qui *Matt.* 18.
ſemper uident faciem patris. Magna eſt ignorantia, non ſolum rerũ cæleſtium, ſed etiam
C terrenarum & infimarum, quod his uerbis inſinuat, *Quis aſcendit aliquando in cælum,*) ut
quid illic agatur intelligeret, & deinde deſcẽdit, ut doceret mortales. Non cuiuſuis illud
eſſe ſentiunt Heb. neq; nullius, ſed rari cuiuſdam, ut puta Moyſi, ſi illis uelimus auſcul-
tare, qui in montem Sinai, ad præſentiam Dei, uelut in cælum aſcendit, & rurſum ad po-
pulum reuerſus portans tabulas legis, uelut ad terram deſcendit. Nos à Paulo edocti, de
præſtãtiori intelligimus: amplioris enim gloriæ iſtæ præ Moyſe dignus eſt habitus, quan *Hebr.* 3.
to ampliorem honorem habet domo qui fabricat illam. Et Moyſes quidem fidelis erat
in tota domo eius, tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant: Chri-
D ſtus uero tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos. Ipſe eſt qui aſcendit & *Epheſ.* 4.
deſcendit, primum in inferas partes terræ. Nam nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcen *Ioan.* 3.
dit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo: quaſi dicat, Iſte Agur ſiue Salomon interroga-
tus à ſuis, ut aliquid de ſua proferret ſapientia, ignorantiam propriam profeſſus, ad hunc
nos mittit qui aſcendit in cælum, & deſcendit ad terram: hunc æquum eſt confiteri tan-
quam potentiſsimũ & ſapientiſsimum, uel potius ſolum inter homines potentem & ſa-
pientem: utputa qui mundum & elementa condidit ac gubernat. Congregauit uentum
rerum omnium maximè inſtabilem, & cuius impetum & curſum nullus principum
quantumuis potens, nullus ſapientum quamlibet ingenioſus cohibere poteſt ullis ma-
E chinis aut obſtaculis. Eſt tamen aliquis qui pugillis ſuis & palmis collegit ſpiritum, &
ſubtiliſsima quæque elementa, & quod non eſt minus ſtupendum, colligauit aquas in
nubibus, quæ expenduntur ſuper capita noſtra uelut ueſtimentum, iuxta illud, Abyſſus *Pſal.* 103.
ſicut ueſtimentum amictus eius: ut de aquis in nubibus collectis fiat ſermo, quæ illic ui-
dentur ligatæ. Quis ligauit aquas poſteaquam dixerat Deus, Congregentur aquæ, quæ
ſub cælo ſunt, in locum unum, & appareat arida: illic conſiſtunt ac ſi eſſent colligatæ,
neque littora tranſilire audent, ut ſcriptum eſt: Terminum poſuiſti quem non tranſgre- *Ibidem.*
dientur, neque conuertentur operire terram. Et iuxta hunc ſenſum bene ſequitur, quis
F ſuſcitauit, uel ut eſt in Hebræo, quis ſtatuit terminos terræ, ſiue limites, quaſi opus ue-
hementer ſtupendum terram ſuos terminos, & limites tueri contra tantas maris inunda-
tiones, quæ in ſublime nonnunquam erectæ, ſubiectam terram operiri uidentur. Eſt igi-
tur magna & ſtupenda potentia, ſapientia plane infinita illius qui ſic ſtabiliuit terminos
terræ, ut immobiles conſiſterent. *Quod nomen eius & quod nomen filij eius non noſti.*) q. d.
eſt aliquis qui hæc fecit, à quo ſapientiam petere poteris, ſi cognoueris nomen eius. q. d.
nomen Dei non fuit omnibus indicatum, nec notum. Ego dominus qui apparui Abra- *Exod.* 6.
ham, Iſaac & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.
Multa nomina deorum, & multa numina finxerunt ſibi olim infideles. Illud uero unum

nomen quod eſt ſuper omne nomen non cognouerunt. Per nomen, potentiam máie- G
Ioan.5. ſtatémque intelligimus, & non ſolum patris, ſed filij quoque nomen ſcire & colere oportet: Qui non honorificat filium non honorificat patrem. Locus eſt manifeſtiſsimus contra Iudæos occæcatos, qui filium Dei negant, de quo uaticinatus eſt hoc in loco Sapiens: nam ut rectè ratiocinatur Nicolaus de Lyra, ſi ut aliquot ex Hebræis exponunt hunc locum, de Moyſe intelligeretur, non tam prophetia quàm narratio ſiue hiſtoria eſſet. Vocat autem ſcriptura prophetiam, quæſtiunculis quibuſdam nos adducens in admirationem patris & filij, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei abſconditi: quaſi dicat, Qui hæc opera fecit, quæ recēſuimus, uere ſapiens eſt, à quo tanquam à fonte omni ſapientia profluit, ſuam ignorantiam agnoſcat homo, quod Agur facit. Sunt H
ex Hebræis qui ſic intelligunt locum, quaſi Agur interrogatus de creatione mundi, reſpondet quæſtiones tales ſuperare ſapientiam humanam, ſiue de cælis, ſiue de elementis fiat ſermo: & quaſi reſpondiſſet ex aduerſo aliquis, aſſerēs aliquando fuiſſe ſapientes, qui potuerunt rationem reddere in huiuſmodi difficultatibus, rogat uiciſsim Agur quod nomen illius, uel ſi mortuus eſt, quod nomen filij: quaſi dicat, ſuperéſt ne aliquis illius familiæ? Non eſt abſurdum ſi prophetiam de Chriſto æterni patris filio, huiuſmodi narratione obumbrari fateamur.

» OMNIS ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe. Ne addas quic-
» quam uerbis illius, & arguaris, inueniarísque mendax. I

Superius oſtenſum eſt ſapientiam patris & filij, ſempiternam quoque eius uirtutem & diuinitatē ex operibus creationis ſiue à creatura mūdi illuceſſere, & oſtendi hominibus. Cæterùm his duobus uerſiculis laudem ſcripturarum diuinitus inſpiratarum complectitur Salomon: quibus ad amorem illius ſapientiæ accēdamur, contemnentes mundanam, ſiue ſapientiam, ſiuè fœlicitatem: contra quam, conſolatione ſcripturarum ſatis
Pſalm.11. tuti erimus. Omnis ſermo Dei conſentit cum Dauide, Eloquia domini caſta, argentum igne examinatum: quaſi diceret ſecundum Hebræos, Vos me interrogatis quæſtiones K
ſublimes & difficiles de creatione mundi, de rebus cæleſtibus & elementis mūdi, in quibus curioſius uerſari ad ſapientem non ſpectat: ſed quæ in ſcripturis continentur ſunt tenenda, nam in illis certum eſt, non eſſe errorem. In his quæ traduntur à philoſophis ſapientibus huius mundi, non conſiſtit ſalus hominis, ſed in his quæ in uerbis Dei ſunt reuelata hominibus. Sunt enim, non aliqua pars, ſed omnia uerba & eloquia Dei purgata, uelut argentum purum ab omni ſcoria, ſic uerba Dei ab omni mēdacio & errore. Scutum eſt ſperantibus in eo, ad Deum refertur, in Hebræo, non ad eloquium: quaſi dicat, Si quis per eloquia Dei, ueniat in notitiam Dei, quod facilius fiat, quàm per creaturam mūdi, & in Deum cognitum totam ſpem collocauerit, hic à Deo tuebitur ab erroribus, in quibus inciderunt philoſophi, qui per creaturam mundi, in Dei cognitionem peruenerunt. L
Et proinde Dei eloquiis cum impendamus honorem, ut quemadmodū purgata
Eſa. 1. ſunt, ita à nobis non contaminentur, non adulterentur, quod olim fecerūt Iudæi. Argentum tuum uerſum eſt in ſcoriam, uinum tuum mixtum eſt aqua. Et quod hodie faciunt hæretici, ſua gloſſemata ſcripturis addentes, puritatem illarum inficere conati ſunt, non quod ſancti doctores fecerunt hactenus uidelicet, cum modeſtia & humilitate in obſcuris locis, & difficillimis ſanum eruentes ſenſum, qui legi in cordibus fidelium ſcriptæ, non eſſet contrarius, ſed conſentiens. Verum ad inſtitutam expoſitionē reuertamur.

» DVO rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar: Vanitatem & uerba M
» mendacij longè fac à me: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue
» tantum uictui meo neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicā,
» quis eſt dominus? aut egeſtate compulſus, furer & periurem nomē Dei mei.

Magnam ſapientiam oſtendit hic, ſiue Agur, ſiue Salomon. Superius à quęſtionibus docuit abſtinendum ſublimioribus de operibus Dei, quæ ne à ſapientiſsimis quidem ſatis explicari

A explicari poſſunt,iuxta illud,Quàm magnificata ſunt opera tua domine,nimis ꝓfundæ Cap.30.
factæ ſunt cogitationes tuæ: ſed ſtudio ſcripturarum potius uacandum,in quibus nullus *Pſal.91.*
eſt error,ſed pura & ſimplex ueritas,& ex quibus uitam recte inſtituere cognoſcere poterimus,tam in his quæ ad corpus,quàm in illis quæ ad animæ curam ſpectant:quæ ſunt
à Deo petenda,id quod diuina teſtantur eloquia. Petenda inquam in hac uita: nam ue- *Ioan.6.*
nit nox quando nemo poteſt petere, neque operari:& inſtanter petenda, quod inſinuat
ſcriptura dicendo, *Ne deneges mihi antequam moriar,*) hoc eſt in præſenti uita. *Vanitatem*
& uerba mendacij longe fac à me.)Hebræi nude intelligũt.Quidam ex eis per uanitatem
& mendacium, duplicem falſitatem, alteram in ſermone quotidiano, alteram in perhi-
B bendo falſo teſtimonio:alij שוא & כזב ad uanitates uitæ, & errores intellectus refe-
runt:quaſi dicat, Lõge fac à me,ne in uanitatibus huius uitæ me oblectem, ſed in rebus
ſeriis & honeſtis uitam tranſigam. Porrò fac procul à me mendacium, ne in errores &
malas incidã opiniones.Et quadrabit cum eo quod ſcriptum eſt, Filij hominum uſque- *Pſalm.4.*
quo graui corde,ut quid diligitis uanitatem & quæritis mendacium. Alij uanitatem &
mendacium ad errores,& deceptiones referunt:quaſi peteret Sapiens, ut neque ipſe er-
ret,neque alios in errores & deceptiones mittat, ne ſit ex numero eorũ de quibus Pau-
lus:Mali autem homines & ſeductores proficiẽt in peius,errantes & in errorem mitten- *2.Tim.3.*
tes.Mihi placet,ut uanitas & mendaciũ ad integritatem fidei referantur,& uanitas con-
C tra idololatriã addatur,iuxta illud,Beatus uir cuius eſt nomen domini ſpes eius, & non *Pſalm.39.*
reſpexit in uanitates & inſanias falſas:mendacium uerò contra falſa dogmata.*Paupertatẽ*
& diuitias ne dederis mihi:)ſequitur in Hebræo, Ciba me pane debito, ſiue ordinato, hoc
eſt neceſſario & ſufficienti. Poſt petitionem de integra religione & fide incorrupta, ſe-
quitur petitio,quæ ad mores & integritatem uitæ ſpectat,quæ ferè pendet ex affectu &
animo,quem erga res terrenas & opes habemus:nam radix omnium malorum eſt cu- *1.Tim.6.*
piditas habẽdi. Si quis cum Petro dicere poſsit,Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſu-
mus te,aliarum cupiditatum facile domabit affectum.In contemptu diuitiarum qui dif-
D ficillimus eſt,dicente Chriſto,Facilius eſt camelum intrare per foramen acus, quàm di- *Matt.19.*
uitem intrare in regnum Dei: uentris concupiſcentia, & ea quæ ſub uentre eſt, facilius
uincitur.In ſumma, uitæ integritas in contemptu opũ maxime conſiſtit. Petit igitur Sa-
piens,quod Paulus monet,Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec
auferre quid poſſumus:habentes autem alimenta ex quibus tegamur, his cõtenti ſimus:
Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli,& deſide- *1.Tim.6.*
ria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitũ & perditionem. *Ne forte*
ſatier & negem:) ut eſt in Hebræo,hoc eſt ne forte ubi ſatiatus fuero negẽ,& dicã, Quis
eſt dominus: & ne forte pauper fiam, & furer,ſumámque nomen Dei (ſup. in uanum.)
E Qui negant hęc eſſe Salomonis uerba,ſed alterius,nempe Agur,ex his uerbis ſuam tue-
ri poſſunt ſententiam,cum Salomon filius regis,rex ditiſsimus fuerit,nec paupertatem
timuiſſe, nec magnas & ingentes diuitias deprecaſſe putandus eſt,niſi fortaſsis dicamus
Salomonem pro ſe non petiiſſe,ſed alios modum poſtulandi docuiſſe,præſertim eos qui
ſub lege erant.Nam his qui ſub euangelio militant, & omnibus uenditis, ac diſtributis
ad perfectionem,quam Chriſtus docuit,aſpirãt: Monachis(inquam)religioſis,qui pau-
pertatem uouent,uidetur non quadrare ut petant,Diuitias & paupertatem ne dederis
mihi: qui paupertatem profitentur,qui poſsint deprecari paupertatem, ne forte ſatiatus
F negem:quanuis uideatur referendum ad hoc,quod proxime præceſsit, nempe diuitias
ne dederis mihi:& eadem ratione,ne forte furer,referri uideatur ad illud,Paupertatem
ne dederis mihi,nam ut diuites minus fere ſunt religioſi, & Deum ſæpenumero negli-
gunt,ita pauperes ubi per egeſtatem furati ſunt, peierãt nomen Dei,potius quàm iuxta
legem Moſaicam uendantur,cum ſoluendo non fuerint.Quanuis(inquam) his duabus
clauſulis,uideatur Sapiens reddere rationem petitionis ſuæ,tamen plenior erit ſenſus,ſi
intelligamus hunc uerſiculum,Ne forte,ad utranque petitionem referri,ad hunc modũ:
Longe fac à me uanitatẽ, & ne dederis mihi diuitias, ne forte ſatiatus negem & dicam,
Quis eſt dominus?ut de Pharaone legitur.Longe fac à me uerbum mẽdacij,& ne dede-

ris mihi paupertatem,ne fortè ad inopiam redactus furer,& ſumam nomẽ Dei in uanũ. G
Et niſi ad hunc modum referantur ſingula ſingulis, uidebitur abſurdum, ut dicat quis, diuitias ſolum adigere aliquem ad obliuionem, uel negationem & contemptum Dei. Non enim diuitiæ quas Abraham poſſedit, & quas dominus Salomoni dedit, ultra reliqua bona quæ poſtulabat,ad Deum negandum pios homines induxerunt: ſed ſi ad uanitatem,hoc eſt ad impiam,uel neglectam religionem,accedant diuitiæ, cum ſaturitate & otio, quæ in impiis hominibus ſunt ferè comites diuitiarum. Nonnunquam euenit
Exo.32. quod ſequitur:Et negem, & dicam quis eſt dominus? Sedit populus manducare & bibere,& ſurrexerũt ludere,hoc eſt,idololatriam committere. Sed populus qui prius dixerat, Fac nobis deos qui nos præcedant: huic Moyſi neſcimus quid accidit, neque in Deum H
illius uolumus amplius credere. Pari ratione non paupertas ad furtum & periurium quenquam adigit, ſi ab eo longe fuerit uerbum mendacij: uerùm qui mentiri gaudet, & opiniones hominum fallere, paupertate inualeſcente ſuffurari aliena,& periurio ſeſe tueri nõ morabitur.Sunt ex Heb.qui in diuitiis & paupertate, ſapientiæ exceſſum & defectum intelligant,non quòd ueræ ſapientię ullus poſsit eſſe exceſſus,ſed ſunt qui ſuper-
Roma.12. cilium ſapientiæ ſibi arrogant, Qui uolunt plus ſapere quàm oportet ſapere. Hi quia ex Deo ſapientiam non petunt,neque habent,ſua opinione ſaturati negant & dicunt, Quis eſt Deus:ut qui à uera ſapiẽtia Dei audire noluerunt,Ego & pater unum ſumus. Sed hic ſenſus ut allegoricus eſſe poſsit, ita coactior eſt,quàm ut hiſtoricus & literalis ſit. I

» NE accuſes ſeruum ad dominum ſuum, ne forte maledicat tibi & corruas,
» uel, delinquas.

Deute.22 Non accuſabis,inquit Nicolaus de Lyra, ſine graui cauſa. Sed cum lex iubeat aberrantem bouem,uel ouem reducendos,quanto magis ſeruum fratri deberes reducere? quis enim hæc ſibi fieri nolit?uitia ſeruorum quis nolit cognoſcere ſuorum? Ad utriuſque cõmodum ſpectat,ſi quid delinquat ſeruus,ut dominus intelligat. Et proinde non de quocunque ſeruo intelligunt Heb.ſed duntaxat de ſeruis Gentilium,qui ad filios Iſraël con- K
fugerant,quò proſelyti fierent,ut ſcriptum eſt, Non trades ſeruum domino ſuo, qui ad
Deu.23. te confugerit: habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in una urbium tuarum quieſcet:non contriſtes eum.In Heb.תלשן,uerbum à lingua deductum,detrahere,accuſare, uel denique durius aliquid loqui ſignificat. *Ne maledicat tibi & delinquas.*) Reddit duas cauſas, quibus deterreat ab hoc crimine, nempe ne maledicat, male precetur. q.d. non minus timenda eſt maledictio pauperis & impotentis, quàm uires & opes diuitum: habent enim Deum ultorem impotentes,uiduæ,& orphani,& alij qui humana deſtituuntur ope,præſertim ſi ad Deum confugiant:quemadmodum hic ſeruus de quo fit ſermo, ut qui relicta ſuperſtitione uana & idololatria, ad cultum unius & ueri numinis confugit,hos afflictos Deus exaudit: huiuſmodi nõ poteris nocere,ſine tuo malo, neque quod L
grauius eſt, ſine peccato in Deum.

» GENERATIO quæ patri ſuo maledicit,& quæ matri ſuæ nõ benedicit.
» Generatio quę ſibi munda uidetur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis.
» Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ.
» Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis,
» ut comedat inopes de terra,& pauperes ex hominibus. Sanguiſugę ſunt duæ M
» filię dicentes affer,affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum nunquam dicit
» ſufficit. *In Hebr.* Quatuor non dixerunt ſufficit.

Quatuor generationes malæ,quatuor peiores procreant filios. דור ætatem magis ſignificat Hebr.quàm generationem, ne quis familiam aut gentem aliquam unam quærat.Sic enim Beda hunc locum explicauit, ut ætates diuerſas ſignificatas intelligamus, potius quàm progenies diuerſas,aut nationes.utcunque, huiuſmodi deteſtatur crimina,quibus in

A in ſingulis mundi ætatibus maximè infeſtantur homines, & quæ Dei ſermonibus, qui Cap. 30.
purgati ſunt uelut argentum, maximè aduerſantur. Quatuor generationes, inquam, de-
ſignantur, quæ diuinæ ſapientiæ maximè repugnant, & quas uidet Sapiens eccleſię Chri
ſti hoſtes futuros acerrimos. Et in primis legi diuinæ aduerſatur, qui patri maledicit &
matri, qui ante omnes homines & proximo poſt Deum loco, honorari debent. Nam ſta-
tim poſt præcepta primæ tabulæ, quæ ad Dei honorem attinent ſubiicitur, Honora pa-
trem tuum & matrem, ut ſis longæuus ſuper terram. Primum præceptum in promiſſio- *Exo.20.*
ne, ut inquit Paulus: promiſſionem longę uitæ huic præcepto adiunxit. Tanto igitur pe- *Ephe.6.*
iores ſunt, qui nec præmio temporali & præſenti, nec futuro, ad præcepti obſeruationem
B non ſolum non prouocantur, ſed patrē irridentes & matrē, omnem legem naturalem &
diuinā: imò Deum in parentibus contemnunt. Nam qui præcepit terrenum & mortalem
honorandū patrē, quanto magis cęleſtem & æternum oportet honorare? Hæc ſecundum
Bedam: Generatio eſt infidelium, qui Deum omnium patrem per multa ſecula contem-
pſerunt, neque fidelium congregationi ullum tribuerunt honorem. Generatio ſecunda,
eſt eorum qui mundi ſibi uidentur, cuiuſmodi uere, ut olim fuerunt, ita ſunt & hodie
Iudæorum turbæ iuſtificantes ſemetipſos, iuxta illud: Vos eſtis qui iuſtificatis uos coram *Luc. 16.*
hominibus: Deus autem nouit corda, quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt
ante Deum. *Et à ſordibus ſuis non eſt lota,*) Heb. exponūt, qui nequeunt lauare ſordes cor-
C poris, quanto minus poſſint gloriari ſe eſſe mundos in corde. Nos iuxta priorem intelli-
gentiam de Iudæis intelligimus, qui recuſantes Chriſti baptiſmum, quo ſolo lauantur
& corporis & animæ ſordes, fruſtra de exteriore gloriantur munditia. Solummodo in ci *Heb.9.*
bis & potibus, & uariis baptiſmatibus & iuſtitiis carnis. *Generatio cuius excelſi ſunt oculi*)
in oculorum eleuatione ſuperbiam & arrogantiam intelligunt omnes, quā potiſsimum
hæreticis meritò adſcribit Beda, qui contra catholicam nunquam pugnarent eccleſiam,
ſi de ſe ſentirent humiliter. Quàm intolerabilis eſt arrogantia ab eccleſia diſſentire, ſpō
ſam Chriſti damnare, quam à Chriſto inſtructam, & ſpiritu Dei conſtat illuminatam
D eſſe. *Generatio quæ pro dentibus gladios habet.*) Quartus eccleſiæ & cæleſtis ſapientiæ hoſtis
deſcribitur, ſub metaphora rapiendi & deuorandi, cuius dētes acuti ut enſis principum,
& eorum qui in poteſtate cōſtituti ſunt, deſignatur inexplebilis auaritia, ſiue eccleſiaſti-
corum antiſtitum, ſiue mundanorum principum, de quorum edacitate & inſatiabili ha-
bendi cupiditate, tanquam gregis ruina conqueritur Ezechiel, Væ paſtoribus Iſraël, qui *Ezec.24.*
paſcebant ſemetipſos: nónne gregres à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis & lanis
operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis. Huc ſpectant Sapientis uerba de denti-
bus & gladiis, de deuorando paupere à terra & inope ab hominibus. Hæ duæ poſterio-
res generationes, nempe hæreticorum & crudelium paſtorum, qui quoties non paſcunt
occidunt, & ſuperborum ac eorum qui ſe extollunt aduerſus ſcientiam Dei: hæ duæ, *2.Cor.10.*
E inquam, poſterioribus eccleſiæ temporibus uehementer fuerunt infeſtæ, Iudæi uerò
& gentiles naſcenti inſidiabantur eccleſiæ, & ueram ſapientiam per euangelium publi-
candam conati ſunt extinguere. Ex his generationibus tanquam ex ſtipitibus, filiæ qua-
tuor exortæ, mundum ſtultitia repleuerunt, aut improbitate potius, ut iam tandem
creſcente iniquitate, refrigeſcat charitas: ſed cuiuſmodi ſint hæ filiæ à ſapientia immu-
nes, ob impiam ſtultitiam inſatiabiles audiamus. *Sanguiſugæ duæ filiæ.*) hoc eſt, ex priori-
bus generationibus natæ ſunt duæ filiæ, quæ ſunt uelut ſanguiſugæ quæ alio nomine uo
cantur hirudines ab hærendo: unde extat carmen Horatij, Non miſſura cutem, niſi plena
cruoris hirudo. Tales ſunt duæ filiæ, de quibus poſtea dicturi ſumus, illud repetentes da,
F da. *Tertia non ſaturabitur, quarta non dicet ſatis eſt,*) ad omnes quatuor refertur. Nam in plu-
rali loquitur. quatuor non dicēt ſufficit: hoc eſt, nulla ex quatuor dicet ſufficit. Quod ob-
ſcurè & ueluti per ænigma dictum, paulò apertius explicat.

» INFERNVS & os uuluæ, & terra quæ non ſaturatur aqua, ignis uero nū-
» quam dicit ſufficit. *In Hebræo,* Non eſt ſubſtantia (ſupple) ſufficiens.

Dubium non eſt quin metaphoricè loquatur Sapiens, maius & ſublimius aliquid inſi- G
nuans, quàm elementorum & rerum naturalium conditiones. Quis enim ignorat infernum ſiue ſepulchrum, ut exponunt Hebræi, non poſſe ſaturari? nam ſubinde conſumuntur corpora, præſertim ſi antiquorum more & Italorum ſepulchra intelligamus, immẽſas foſſas ſingulis familiis deputatas, quæ cum poſt multa ſecula nondum ſint impletæ, meritò inſatiabiles eſſe dicantur. *Os uuluæ,*) in Hebræo clauſio uteri, ſiue anguſtia & orificium uuluæ ſterilem ſignificat mulierem, quæ prolis magis eſt auida cæteris: & tamen quia nunquam concipit ſemen, concupiſcere nunquam deſinit, & ea ratione inſatiabilis clauſus dicitur uterus. Porro terram ſubinde ſolis ardoribus reddi ſiticuloſam, & pluuias libenter imbibere quis ignorat? quis ignorat ignem omnia rapere & conſu- H
mere, nullam eſſe ſyluam aut materiam uſqueadeò immenſam, quam immiſſus ignis non ſtatim conſumat atque deuoret: neque unquam uirium ſentit laſſitudinem, neque quòd ingentem deuorauerit ſubſtantiam, minus erit idoneus ad aliam quamlibet magnam, eadem facilitate conſumendam. Cum huiuſmodi ſit inquam elementorum, & rerum naturalium, naturale deſiderium & appetitus, res omnibus hominibus notiſsima, dubium eſſe non poteſt, quin Sapiens occultiorem aliquam ſapientiam doceat. Et quanuis, ut diximus, ex malis generationibus malas filias natas poſsimus intelligere, hoc eſt concupiſcentias enormes, & effrenes, quæ nunquam explentur, nunquam quieſcunt: ſed quo plus concupiſcentiæ carnis, con- I
cupiſcentiæ oculorum uel uitæ ſuperbiæ, frena laxaueris, eo plus concupiſces, eo plus rebelles tibi ſenties carnem, mundum & communem humani generis hoſtem diabolum, quem per infernum intelligit Beda: nos malimus duplici metaphora concupiſcentiam carnis indicatam intelligere, nempe inferno ſiue ſepulchro, & obſtru-
Prou. 22. ctione ſiue orificio uuluæ, propter hoc quod ſcriptum eſt: Fouea profunda os alienæ. Concupiſcentia carnis uere ſepulchrum eſt, quæ complexu muliebri maxime uiget, & accenditur: non ſolum animo mortuos, ſed etiam intellectu & ſenſu communi fere ſtupidos reddit: ut omittam idcirco ſepulchro cõparatam carnis libidinem, quòd ut ab illo nemo reuertitur, ita neque ab his facile reſipiſcũt homines, ſed qui in ſordibus eſt ſorde- K
Prouer. 2. ſcit adhuc, iuxta illud: Inclinata eſt ad mortem domus eius & ad inferos ſemitæ eius, omnes qui ingrediũtur ad eam, non reuertẽtur. Quod ſequitur, *Terra non ſatiabitur aqua,*) ad concupiſcentiam oculorum non abſurde refertur, ut in terra hominem intelligamus: Terra, terra audi uerbum domini: in aqua mundanarum rerum fluxum & inconſtantiã, quibus terreni homines ſaturari non poſſunt: in igne denique, qui deuoratis & cõculcatis omnibus ſurſum euolat, & reliqua elementa tranſcendit, ſuperbiam uitæ licet intelligere, quæ reliquos contemnens & ueluti è ſublimi deſpiciens, nunquam ſatis altè in honoribus & mundi pompis euolaſſe ſe putat. Quanuis, inquam, ad hunc modum metaphoricè poſsimus exponere hũc uerſiculum, melius quàm Hebræorum Rabbini, L
quorum aliqui quatuor elementorum conditionem deſcriptam eſſe uolunt hoc in loco. Alij mutuam eorundem generationem & corruptionem, ut phyſici ſentiunt, tamen optime (mea quidem ſententia) per has quatuor filias infatiabiles, ſupplicia prioribus generationibus deſtinata intelligimus: ut ſub metaphoris ſenſum ſuum hiſtoricum habeat uerſiculus, ea ratione ut ſingula ſingulis reſpondeant, nempe primæ generationi, quæ patri maledicit. Infernus ſiue ſepulchrum manet: hoc eſt breuis uita, nam qui negligit eos per quos uitam accepit, uita indignus merito habetur: & hunc ſepulchrum ex-
pectat, omnium huiuſmodi admodum capax. Generationi Iudæorum & Phariſæorum M
quæ ſibi mũda uidetur, minatur Sapiens ſterilitatem: nam qui renaſci in Chriſto nolũt, neque à ſordibus purgari lauacro baptiſmatis, tanta fœcunditate parere Deus non permittit: exiguus enim Iudæorum numerus in mundo reſtat, ſi uel cum reliquis gentibus, uel cum prioribus illorum generationibus comparentur. Tertio in loco generationi quæ in altum ſubleuat oculos, terram ſitientem & aquam deſiderantem minatur, hoc eſt annonæ caritatem. Sterilitate terræ & penuria rerum puniendi ſunt, qui con-

tra

A tra Deum ſuperbiunt, ita enim fiet, ut ad ſe reuerſi, bonitatem Dei agnoſcant, humanam imbecillitatem fateantur, & humilitatem diſcant. Quartæ denique generationi quæ pauperes deuorat, à terra non minus crudeliter quàm ſi enſibus ſecarentur, crudeliſsimum ignis paratur ſupplicium, ignis inquam de cælo deſcendens. Iuxta id quod ſub Elia propheta geſtum legimus, & iuxta illud Eſa. In ira domini exercituum turbata eſt terra, & erit populus quaſi eſca ignis. Cap. 30. 4. Reg. 1. Eſaiæ. 9.

"OCVLVM qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ:
B Suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.

Pro partu matris, In Hebræo eſt obedientia matris, uel qui deſpicit ſocietatem matris: alij doctrinam reddunt. Subſannare patrem, & matrem floccifacere, eſt eorum diſciplinã & caſtigationem reiicere, ac contemnere. Ex quatuor generationibus omnium peſsima fuit illa, quæ patri maledicit, cui non ſolum pro ſupplicio manet infernus, ſiue ſepulchrũ, uel potius utrunque, nempe breuitas uitę, & cruciatus in uita futura: ſed etiam præſentis temporis nonnunquam ſupplicium ignominioſum, cuiuſmodi ſolet eſſe perditiſsimorum hominum, quorum corpora ſub dio ſuſpenſa, ſepulturæ non traduntur, ſed
C auibus cęli deuoranda pendent. Subſannare patrem, & contemnere præceptum matris, extremæ dementiæ ſignum eſt, & crudelitatis argumentum. His igitur non ſolum intempeſtiua mors eueniet, ſed honore quoque ſepulturæ, quem filij parentibus exhibere ſolent, carebunt. Quod ſequitur, *Suffodiant eam corui torrentis, & comedant eum filij aquilæ.*) Non quòd iuxta hiſtoriam hæc ſemper fiant, ſed quòd contemptus patris & matris non minus ſupplicium mereatur. Voluit oſtendere Sapiens quàm ingens ſit crimen uel leuiſsime paternam pietatem lædere. Per oculum qui facillime nutat & renuit, diſplicet & placat, ad iram prouocat & miſericordiam implorat, grauiores offen-
D ſas intelligimus. Si uultu læditur paterna pietas inquam, quanto magis manifeſta ſubſannatione, quæ & contemptum & deriſionem indicat? Corui facta eſt mentio & aquilæ, non ſolum quia hæ aues cadaueribus gaudent, & oculis animalium moribundorum inſidiantur, ſed quòd in uno crudelitas, in altero pietas erga pullos obſeruatur. Coruus quanuis ſatur, oculos tamen huius effodiet, & quanuis neque ipſe comedat, neque pullis deferat, nihilominus in hunc crudelitatem ſuam exercebit. *Comedent eum filij aquilæ.*) Aquila enim filiorum ualde perhibetur amans. Si non ſit à coruo comeſtus qui citius aduolat, à filiis aquilarum comedetur: quaſi dicat, nullo modo ſupplicium euadet oculus ille patrem ſubſannans. Iuuenibus ſaluberrima datur doctrina, ut ſtudeant omni honore parentes proſequi, ut uel leuiſsimam parentum offenſam,
E non minus quàm crudeliſsimã mortẽ exhorreant: ſcientes pœnas daturos inobediẽtes filios, uel in hac uita extremas & oculorũ effoſſioni conferẽdas: uel in futuro nõ à uolucribus cæli, ſed à ſpiritibus malignis, illis multo magis rapacibus, in tenebris exterioribus, ubi erit fletus & ſtridor dẽtiũ. Tria hęc, hoc eſt has tres uias, admodũ fuiſſe mirabiles, ſed tamen quartam, narrationis ordine, penitus eſſe incomprehenſibilem, ut quam ſapiẽtia mea non noui. Via דרך, pro ratione & modo in ſcripturis frequenter accipitur. Sequitur, Sic eſt uia mulieris adulteræ, hoc eſt occultiſsima. Sæpenumero eſt mos mulieris adultę ræ, uiam ſuam omnino occultare, nullum illius ueſtigium remanere uelle, non magis quàm ſi quis comederit, & os diligenter exterſerit, facile nemo internoſcere poteſt, fuerit
F ne ieiunus an non. Sic inquam mulier adultera ſcelus ſuum cognoſci nullo modo permittit, omnibus ſeſe modis excuſare ſtudet, & crimen occultare: ut ſimilitudo duntaxat ad ignorantiam rei ſpectet, & ſecretum. Quanquam & hunc uerſiculum iuxta parabolicum ſenſum, uel de Iudæorum, uel de hæreticorum & eccleſia malignantium intelligi debet, quæ tametſi fornicata fuerit cum amatoribus multis, tamen non uult crimen fateri, nec ad pœnitentiam conuerti, ſed exterius os ter- Luc. 13.

ſum iactans & mundum, ſuis in oculis ſibi placet, ſatis habens exteriorem munditiam G
oſtentare, cùm intus omnia plena ſunt immunditia & iniquitate. Synagoga ubi uictimas comederit & libamina ſacrificiorum, & legis lectionem ac prophetarum audiuerit, ueluti os ſuum mundauerit, quid feci, inquit, nihil mali operata ſum. Sed audiat quid
Ierem. 2. illi impingat Ieremias: Populus meus mutauit gloriam ſuam in idolum: obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius diſſoluamini uehementer, dicit dominus: ut iam hæc mu-
Ibidem. lier adultera, quę poſt tot adulteria dicit, Nõ ſum polluta, abſq; peccato & innocens ſum ego, inter reliqua naturæ miracula non immeritò connumerari poteſt. Sequitur·

„ PER tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere. *Hebræum*, pro- H
„ pter tria contremuit terra, & propter quatuor non potuit ſuſtinere: Per ſer-
„ uum, cum regnauerit: Per ſtultum, cum ſaturatus fuerit uino: Per odioſam
„ mulierem, cum in matrimonio fuerit aſſumpta: Et per ancillam, cum fuerit
„ hæres dominæ ſuæ.

Cum mundus hic inferior ex quatuor conſtet elementis, tribus uidelicet manifeſtiſſime diſtinctis, terra, aqua, & aëre, quartum omnium oculos fugit, & magis ratione quàm ſenſu in ſupremo loco collocatur. Ad hunc elementorum numerum, ſeu ternarium, ſeu quaternarium, libenter alludit Sapiens, & philoſophatur hoc in loco I
de rebus grauioribus ſub parabola rerum, ſeu naturalium, ſeu eorum quæ geruntur ab hominibus. In Hebræo non per tria, ſed propter tria, & uerbum רגן, non ſolum tremere ſignificat, ſed etiam ira uel pauore commoueri: quæ ſignificatio huic loco melius quadrat: & terra ponitur pro populo terræ, quem dominus his malis ſæpe-
Iob. 34. numero caſtigat, nempe ſeruilis hominis imperio: facit enim dominus regnare hominem hypocritam propter peccata populi. Cum regnauerit is qui ſeruit uitiis & cupiditatibus carnis & mundi, uehementer affligitur & commouetur terra illa & prouincia: nam quæ libertas, quis honor, quæ uictoria aut triumphus deuictis hoſtibus erit in populo, ſuper quem ſeruus regnat, & à carne, mundo, diabolo tenetur ca- K
ptiuus? Commouetur porrò uehementer terra corporis noſtri, cum carnalis affectus & terrenus regnat in nobis: ſubiugata ratione, quæ tanquam imperatrix in conſiliis capiendis, imperium deberet obtinere. Et iuxta hunc tropum, licet & reliqua tria interpretari. Non ſolum ſtultus ſaturatus pane, hoc eſt, huius uitæ deliciis, cui proſpera arridet fortuna, & ad regni faſtigium erectus fuerit, ſupple per inſolentiam plurima committit, turbam commouet, & ad iram pertrahit nonnunquam: ſed etiam bruta & ſtolida hominis affectio, ſi abſque freno uitæ uoluptatibus indulgeat, terram concutit, & facit contremiſcere ſolidiſsimam animæ portionem. Et per *Odioſam mulierem, cum in matrimonio fuerit aſſumpta*) uel intelligitur mulier, quæ plurimos ha- L
buerit inimicos, nolentes eam ad talem peruenire honorem, neque in matrimonium à rege aſſumptam iri, hæc mulier tandem ducta in uxorem à rege, (nam in omnibus his quatuor, regnum uel ſummam authoritatem intelligimus) hæc inquam ex odioſa, regis chariſsima ſponſa facta, aliquando crudele exercens odium, terram contremiſcere faciet, & magnum in populo tumultum excitabit. Sic Hebræi aliquot. Mihi magis placet
Deut. 21. odioſam mulierem intelligere, iuxta illum locum legis, Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam, cum fuerit aſſumpta in matrimonium. תבעל uerti
M
poteſt, cum fuerit copulata uiro, uel in honore coniugali prælata, aut dominata fuerit in familia, ſupple in qua prius fuerat contempta, à marito habita odio: inſoleſcere ſolent huiuſmodi mulierculæ, præſertim contra riuales, quæ priores partes habuerant, res erit tãtæ abſurditatis, tantæ commotionis in familia ut terra commoueri uideatur, omnium rerum ſtabiliſsima. *Et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ ſuæ:*) & ſupple dominium habuerit in eam, iuxta Aben Hezra, illius inſolentiam terra non ſuſtinet. quaſi dicat, nihil magis intolerabile, quàm ancillarum faſtus & arrogantia, ſi dominabus honore præ-

ferantur

A ferantur & authoritate. Vt mundus quatuor elementis ritè disposítis constat, & contrarietate qualitatum temperatus debitam dispositionem seruat: sic temperatura quadam & harmonia inter uarios hominum status & conditiones, dispensatio rerum humanarum constare debet. Sunt enim quibus subesse melius est, quàm dominari: ídq; in utroque sexu. In quibus si inuersus fuerit ordo, ut seruus dominantis honorem obtineat, stultus sapientum gradum fuerit adeptus, & copiam rerum habeat, quarum usum ignorat, nam rebus omnibus affluere sapientibus conuenit, non stultis. Porrò si contempta mulier & neglecta, subito ad magnos prouehatur honores in nobili collocata coniugio, aut ancilla supra heram dignitate subleuetur, natura rerum uidetur inuersa, ac si terra tremeret, cæteris elementis quiescentibus, cùm terræ maximè proprium sit quiescere, commotis & fluctuantibus aliis. Haud aliter, inquam, inter homines subiici debent seruilis ingenij homines, & stulti famæ nonnunquam sapere coguntur. In muliebri sexu quoque sunt plurimæ omni honore indignæ, quæ cum, ut diximus, honestissimis & piis matronis se prælatas uident, non minor nascitur inter mortales rerum & morum confusio, quàm si terra suo commota loco, quasi pondere grauata sustinere non possit. Ad hunc modum metaphoricè, uel tropicõs, (ut superius insinuauimus) locum exponere licet. Quòd si per seruum regnantem, & stultum repletum panibus, populum Iudaicum intelligimus, qui abiecto domino, ut est in historia Samuelis, regi maluerunt

B C inseruire: & qui usqueadeò stultus fuerit, ut ad seruitutem Aegyptiacam reuerti maluerit, memor ollarum carnium, quàm per desertum ad terram promissionis ascendere. Hoc populo seruili regnante, & fideles Christi apostolos in subiectionem retinere conante, contremuit terra, ut in Actis apostolorum legitur: Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, ad designandam futuram rerum mutationem, neque amplius seruilem & stultum populum debere obtinere imperium, iuxta illud: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Eodem spectant allegoriæ de duabus mulieribus, quarum altera synagogam Iudæorum exosam uidelicet, ubi in

D matrimonium, & ad sponsi amplexus assumpta est, ut in Ieremia legitur: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam & charitatem desponsationis tuæ, quando sequuta es me in deserto repræsentare potest: altera uerò hæreticorum secta, quæ ecclesiæ catholicæ depósito errore ancillari debet, heram legitimam & Christi sponsam sibi subiectam fore petit, & obedientiam ac honorem, quem ecclesiæ ueluti matri & dominæ debent omnes prouinciæ Christianorum, sibi uendicare cupit, & hæreditario iure posidere.

Cap. 30.

Act. 4.

Psal. 2.

Iere. 2.

„ QVATVOR sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum suum: Le-

E „ pusculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: Regem locusta non habet, & egreditur uniuersa per turmas suas: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.

Ex his quatuor speciebus animalium minimorum, hominibus exempla sapientiæ sumenda proponit. *Sunt enim sapientiora sapientibus:*) hoc est, ex seipsis uidentur plus sapere, quàm hi qui nomen sapientis profitentur: uel, plus sapere naturæ instinctu, quàm hi qui sapientiam didicerunt. *Sapientiora sapientibus,*) hoc est hominibus qui uerę sapientiæ sunt

F capaces. Est quidem in his animalibus mira sapientia: uel potius diuersæ sapientiæ partes, ex quibus in unum collectis, uel totius reipublicæ, uel cuiusque hominis consummata fiat sapientia. Cuius prima pars est horum, quæ necessaria sunt ad uitam seu corporis seu animi, in primis curam habere. Id quod nullum animal facit, neque tempestiuius, neque sagacius, quàm formica in æstate uidelicet recondens, quæ comedat hyeme: qua de re superius tractauimus, ubi ad hoc animalis genus, tanquam maximè sedulũ & laborioſissimũ. Otiosos homines destinauit Salomon, hoc in loco adiiciens, *Formi-*

Prouer. 6.

cæ populus non fortis.) quaſi diceret, In hac parte prudentiæ, qua ad uitam neceſſaria pro- G
curantur, nemo ſeſe excuſare poteſt, quaſi corpore imbecilli, & minus robuſto: nemo
enim formica minores habet uires, ſed omnia uincit labor improbus, & in tempore ſu-
ſceptus, & ut æſtas tempus eſt opportunum parandis his, quæ uictui ſunt neceſſaria, ſic
præſens uita, futuræ imaginem gerit, quòd ad laborandum & recondendum ſpectat:
Ioan. 9. iuxta illud, Venit nox quando nemo poteſt operari. In die igitur huius uitæ oportet
Ioan. 6. operari cibum, qui non perit, ſed qui permanet in uitam æternam, quem filius homi-
nis dabit uobis. Hæc prima pars eſt ſapientiæ, ea uidelicet ſedulo colligere, mentis ma-
gis induſtria quàm uiribus corporis, quæ ad uitam animæ ſpectant. poſt uictum, man-
ſionis cõmodæ & tranquillæ habetur ratio. Cuius rei exemplum, haberi uult Sapiens H
ab inualido, & timido genere animalium lepuſculo, ſeu ut alij uertunt cuniculo, qui
ſuis uiribus diffiſus, loco munito & inacceſſo, domum collocare ſolet, nempè in petra,
aut monte ſaxoſo. Exemplum non tam pro domibus lutoſis conſtruendis, aut urbibus
& propugnaculis mœnibus ſuper rupem muniẽdis, quàm pro futura domo: de qua Pau-
2. Cor. 5. lus: Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod
ædificationem ex Deo habemus, Domum non manufactam, æternam in cælis. Hanc
leporis ſiue cuniculi ſapientiam, qui non ſibi fidit ipſi, ut diximus, neque ſuis uiribus,
ſed petræ, imitandam docet euangelium (inquiens) Omnis qui audit uerba mea hæc, &
Matt. 7. ea facit, aſsimilabitur uiro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, ſuper I
quam Chriſtus ſuam fundauit eccleſiam. Annona proinde collecta, domo ſupra pe-
tram ſapienter conſtructa, danda eſt opera ut in pace & amicitia uiuamus cum homi-
nibus, uiuamus amoris & charitatis uinculo colligati, & naturæ legibus magis quàm
principum: quod locuſtæ faciunt, animal exiguum, & ad ſapientiam minime natum, ta-
men hoc habet naturæ inſtinctu, quòd ſimul de agro in agrum egrediantur, per infi-
nitas turbas unanimes, ac ſi unum ducem ſequerentur, neque minus proficiſcendi tem-
pus, incedendi ordinem, quieſcendi ſtationes, aut caſtra mouendi opportunitatem ſer-
uare uidentur, quàm ſi ducem ſigno dato ſequerentur. Egregium profectò exemplum,
& plurimam hominibus ſapientiam oſtentans, abſque concordia & unanimitate nihil K
poſse fieri, nullam conſiſtere rempublicam, nullam coaleſcere turbam. Concordia par-
uæ res creſcunt. Separatæ & diſperſæ locuſtæ, ſine negotio interficiuntur: counitæ uerò
nullis uiribus, nullo ingenio, aut arte, interfici poſſunt, latiſsimos agros tegunt, &
tanta proueniunt unita multitudine, ut nemo conetur illas aggredi, aut expellere.
id quod cum in omni hominum ſocietate debeat fieri, tum inter eos, qui diuinam agno-
ſcunt, & ſequuntur ſapientiam. Illorum, inquam, maximè eſt locuſtarum ſequi exem-
plum & turmatim, ſiue per turmas egredi, ut uertit interpres, uel ut alij adunatim.
Vtrunque ad uictoriam ſpectat, & belli ſpeciem repræſentat, quod aduerſum nos om-
Epheſ. 6. nes intentatur, non ſolum à carne & ſanguine, ſed à principibus & poteſtatibus mun- L
di & tenebrarum rectoribus, quibus locum non dabimus, ſi ſol non occidat ſuper ira-
cundiam noſtram. Quod ſequitur, *Stellio manibus nititur:*) uariè ab interpretibus reddi-
tur uox Hebræa שממית, quæ ſimilitudinem aliquam habet cum uoce Latina ſimia. At-
qui ita uertitur conſtanter ab aliquibus, præſertim cum in Hebræo non, innititur, po-
natur, ſed tenet, apprehendit manibus: quam uim ſimia inter animalia maximè ui-
detur obtinere, quæ etiam in palatiis regum in precio haberi ſolet. Sunt qui araneam
uertant, quæ manibus filum ducere uidetur. Haud ita multum refert, nam ſatis in-
telligimus paruum eſſe animal, quod in palatiis uerſetur principum. Sellio & aranea M
uerſant quidem, ſed frequentius in ædibus pauperum: uerum ſimia ob ingenij ſui
dexteritatem, & humanæ prudentiæ nonnihil ſimile ueſtigium, in principum aulis
habetur in deliciis, cum aulicis ueluti unus è numero uerſans, & laute uiuens. Ex
quo ſapientiæ exemplum capere licet, & manibus inniti, uel tenere, quo queas in pa-
latium regis penetrare. In apprehenſione manuum, bonorum operum exercitationem
intelligimus, quibus digni habebimur æterni Regis palatio, poſteaquam unanimes

hic in

A hic in domo Dei, quæ eſt eccleſia Dei, columna & firmamentum ueritatis, uerſati fuerimus: melius enim eſt ut priores ſapientiæ partes nempe de uictu comparando, collocanda domuncula, de communicanda ſocietate aduerſus hoſtes in prælio, intelligantur in præſenti rerum ſtatu, & eccleſiaſtica diſpẽſatione: uerũ poſtremũ illud in palatio Regis manſionẽ obtinere ad cæleſte præmium, piis operibus obtinendum referamus, iuxta illud: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum eſt. Cap. 30. *Matt. 25.*

» TRIA ſunt quæ bene gradiuntnr, & quartum quod incedit fœliciter. Leo
» fortiſsimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum: Gallus ſuccinctus lum-
B bos ſuos, & Aries, nec eſt rex qui reſiſtat ei.

Lyranus ſecutus R. Salomonem, hunc locum, de quatuor beſtiis, exponit de quatuor regnis, in Daniele per quatuor feras figuratis, ſed quàm rectè uiderit ipſe: nam ea ratione & interpretatione uideretur Danielem non uerè prophetaſſe, ſed ex Salomone uerſionem ſuam accepiſſe. Numero partim ternario, partim quaternario delectatus Sapiẽs, & rerum naturas rimando, rara quædam ſapientum ſecreta, tradere uidetur: quæ cum ad nullam certam ſapientiæ ſpeciem, aut normam referantur, nec authoritate ſcripturarum explicantur, erit integrum unicuique pro ſuo talento, quod accepit à domino, in
C huiuſmodi philoſophari, & re uera, hoc in loco, tanto maiore cum difficultate, quanto minus naturam beſtiarum habeamus exploratam, quas exempli cauſa propoſuit nobis Sapiens. זרזיר enim, quam uocem gallum accinctum lumbos reddit interpres, non gallum, ſed aliud animal ſignificare teſtatur cum Hebræis Lyranus. Aben Hezra uel aquilam, uel apem putat eſſe. Alij canem uenaticum, uel potius pardum interpretantur. Vocis origo eſt uerbũ זרה, quod cingere ſignificat: & additur dictio, quæ lumbos ſiue renes ſignificat: & quia canis uenaticus, uel leporarius eam ſpeciem repræſentat, & ſit uelociſsimi curſus, lnbentiſsime ſubſcribam illis, qui canem interpretantur uenaticum: utcunque, tria animalia uelociſsimi & optimi curſus intelligimus, nempe leo-
D nem robuſtiorem cæteris animalibus, qui nullius timet aſpectum. Secundum lumbos ſuccinctum quodque ſit: tertium, aries ſiue hircus: quartum, Rex אלקום hoc eſt rex cui non reſiſtitur. Sic enim interpretatur Aben Hezra hunc locum, non ut quidam ex noſtris quaſi אלקום eſſet proprium nomen, ſed duas uult eſſe uoces, nempe non ſtare, quaſi dicat, non eſt homo qui ſtet in bello cum eo. Fœliciter incedunt hæc: & uel diuerſa in eccleſia deſignantur officia, & diuerſæ functiones, quemadmodum Beda doctiſsimè interpretatur: uel quatuor principales uirtutes, quibus ueluti quatuor rotis optime incedunt & progrediuntur, piorum hominum uitæ & curſus ad fœlicitatem properantes æternam. In leone fortitudinem quis dubitat indicatam? quæ omnia huius mundi,
E ſeu proſpera, ſeu aduerſa facilè contemnit, nihil timens, neque ab inſtituto curſu deflectens quicquid euenerit: ut eſt hæc mortalis uita pluribus incommodis obnoxia. Accinctum lumbos quodcunque ſit animal continentiam ſignificat, qua carnales reſtringimus affectiones, tanto magis idonei & habiles ad cæleſtem curſum, quanto minus carnis illecebris laxamus frena. In ariete uero ſeu hirco, qui dux gregis eſt, & reliquum uulgus uidetur quodammodo gubernare, non abſurde prudentiam poſſumus intelligere, quæ uirtus cùm recte diſpenſat omnia, & futurorum rationem habeat, ſpiritualem curſum plurimum iuuat. In Rege denique quocum nemo congredi poteſt,
F uel contra quem nemo poteſt inſurgere, iuſtitiam amplectimur, uirtutum omnium reginam: quæ tanta æquitate, tam iuſta menſura, & pondere omnia librat, ut nemo quantumuis alioqui alienus à uirtute, iuſtitiam poſsit accuſare, aut cõdemnare: nam quæ tribuit unicuique quod ſuum eſt, de omnibus bene meretur, male uero de nemine. Aliter non ſtare cum eo, ſic enim in Hebræo legit Hezra, quaſi dicat: Talis ſeu Rex ſeu regina eſt iuſtitia, contra quam nemo poteſt ſtare: iuxta illud, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. *Pſal. 144*

„ ET QVI ſtultus apparuerit, poſtquam eleuatus eſt in ſublime: ſi enim G
„ intellexiſſet, ori ſuo impoſuiſſet manum. Qui autem fortiter premit ubera
„ ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui uehementer emungit, elicit
„ ſanguinem: qui prouocat iras, producit diſcordias.

Et qui ſtultus:) iuxta Aben Hezra ſermonem dirigit ad Etheel & Vcal qui ab eo petierunt ſapientiam, & poſt magna myſteria duo communis uitæ præcepta, uel in primis neceſſaria adiungit: quorum primum ad tranquillitatem propriæ conſcientiæ ſpectat, alterum ad communem cum hominibus charitatem & concordiam. Quòd ad primum ſpectat, aliter habetur in Hebræo, uerbis duntaxat non ſenſu: nempe, *Si ſtultè egiſti cum* H *eleuatus fueris, & ſi cogitaſti, manum ad os.*) Eleuatio ad magnos honores eſt cauſa nonnunquam magnæ ſtultitiæ, & ut homo ſtulte agat multa. Conſilium ſapientis eſt, ut cohibeat quiſque cogitationes malas, ne uerbo uel opere erumpant: hoc enim ſignificat manum ad os. Aben Hezra uult præteritum eſſe loco futuri, ut ſit ſenſus: Si ſtultè agas, cum fueris ad honores euectus: uel ſi cogitaueris ſup. ſtultè quicquam facere, manum ad os, ſup. ponas, quod cogitabundi ſolent facere: & tecum cogita, tecum inibis conſilium quàm abſurdum ſit quod moliris: atqui hæc res ut diximus ad tranquillitatem propriæ conſcientiæ plurimum facit. Quod ſequitur, ad communem cum hominibus concordiam ſpectat: & monet Sapiens, ne quis nimium prouocet iram aliorum. Ne- I que legendum ut nos habemus, qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum. Nam præter hoc, quod in Hebræo nulla ſit mentio uberum, etiam iam contra rerum naturam eſt, ut butyrum exeat, quantumuis durè premat quis ubera. In Hebræo eſt, *Qui premit lac, faciet exire butyrum.*) Septuaginta mulge lac & erit butyrum, ſenſum aſſecuti fœliciter. Hebræi clauſulam interpretando, ſubaudiunt in utre, ad hunc modum: qui dure concutit uel premit lac in utre, faciet exire butyrum: puto nos librariorum uitio habere, ubera, loco, utre: uel ſi quis omnino ubera legendum contendat cum interprete, erit duplicata ſimilitudo ad hunc modum: Qui K fortiter premit, ſupple ubera, facit exire lac: & qui premit lac in utre uel lagena, facit exire butyrum. Duplici ſimilitudine ad eundem ſcopum tendit, ut oſtendat opus eſſe patientia, dandum locum iræ: nam ut qui nimium premit nares, ut ſordes eliciat, ſanguinem aliquando exprimit: ſic ſi quis multum urgeat, & ueluti mulgeat iram prouocando, rixas & contentiones eliciet. quæ res ſi quæ alia, maxime amaram reddit humanam ſocietatem. Senſus prouerbij non eſt diuerſus ab eo, quod ſuperius legi- *Prouer. 15* mus, Sermo durus ſuſcitat furorem.

CAPVT XXXI.

L

VERBA Lamuelis regis. Viſio qua eruditiuit eum mater ſua. Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte uotorum meorum? Ne dederis mulieribus ſubſtantiã tuam, & uias tuas ad delendos reges.

Lamuel: Hoc nomine ſeipſum inſigniuit Salomon, noſtrorum & Hebræorum conſenſu interpretum. Cuius uocis etymologia huiuſmodi eſt למו אל M cuius uel cui (eſt) Deus: uel, cum quo eſt Deus. In principio libri teſtatus eſt patrem ſuum docuiſſe eum: nunc quæ didicit à matre narrat, quæ quum non pro præſenti, ſed etiam, in futurum ſtuduerit filium erudire, prophetiæ loco matris monita habet: & hoc in loco ſeſe feciſſe oſtendit, quod filium ſuum facere uoluit: nempe non ſolum patris ſui diſciplinam, ſed matris quoque legem magnifeciſſe: ut ſcriptum eſt, *Prouer. 1.* Audi fili diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. *Quid dilecte mi, &*

quid

A *quid dilecte uteri mei, & quid dilecte uotorum meorum.*) Omnino muliebrem expreſsit af- Cap. 31.
fectum, & animum in liberos propenſum. Vox Hebræa בְּרִי filium ſignificat, in quo maior affectus oſtenditur. Crebra repetitio ad magnitudinem amoris, & attentionem ſpectat: quid fili mi, quid fili uteri mei: quid fili uotorum meorum, ſum mater tua, in utero te geſsi cum dolore & periculo, tui cauſa uota feci, & pro ſalute tua. Solent enim qui uehementius amant, pro his quos amant uota ad Deum facere. Aliter, Fili uotorum meorum, dixit quòd antequam naſceretur, uouiſſet ſe hoc uel illud facturam, ſi à domino probum & ſapientem filium acciperet, ut moris eſt matribus: uel filius uotorum, quòd magno deſiderio, & maximis uotis obtinuiſſet à Dauide Salo-
B monem regnaturum poſt eum. Sunt ex Hebræis qui putant, hanc fuiſſe matris reſponſionem, quæ rogata à filio poſt mortem patris, ut aliquid ab eo peteret, reſpondit, quid fili mi, & quid fili uteri mei, non quem educaui, ut filia Pharaonis educauit Moyſen, ſed quem peperi, quid petam niſi, ut ne des mulieribus fortitudinem tuam? Alij tum tandem putant matrem his uerbis uſam erga filium, cum uideret eum multas accipere uxores, præſertim alienigenas. Sed cum hanc admonitionem, & correptionem matris tanquam prophetiam proponat nobis, melius intelligimus etiamnum puerum his uerbis fuiſſe inſtructum Salomonem à matre, tanquam diuinantem qualis futurus eſſet, quod ad amorem mulierum ſpectat. Quid fili mi, & quid fili uteri
C mei, ſupplendum eſt aliquid: quid fili mi, cogitas: uel quem animum habes in me, quæ te portaui in utero, quæ pro te uota feci. Alij ſic, Quid fili mi, quid fili uteri mei ſup. facis, qui multiplicas tibi uxores, & tantopere deditus es amoribus mulierum? Alij ſic: Quid fili mi, ſup. petã abs te, quid inquam petam, quia geſtaui te in utero meo, quòd te nutriuerim & educauerim? Mihi magis arridet, ut ad ea quæ ſequuntur referantur hæ interrogationes: ut ſit ſenſus, Quid fili mi, & quid fili uteri mei potiſsimum te admoneam, pro maximo quo te proſequor amore, quid à te petam, uel quid exigam à te ut facias? Ad attentionem ſpectãt, ut diximus. Sequitur, *Ne des mulieribus fortitudinem tuam, ſiue ſubſtantiam tuam.*) Dat autem quicunque illarum amore uictus, in Deum &
D corpus ſuum peccat, dicente Paulo: Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat. Quod ſequi- 1. Cor. 6.
tur, *Et diuitias tuas ad delendos reges,*) in Hebræo habetur, Et uias tuas ad delendos reges: quod noſtri intelligunt, quaſi ſuaderet mater ne reges ſaltem iniuſte ſubiugare conaretur, neque ea in re opes inſumeret: longe aliter Hebræi, & mea quidem ſententia melius, nam bellum aduerſus infideles, non ſolum non erat illicitum illi populo, ſed etiam laudabile, delere uidelicet idololatriam, & cætera abolere nefanda crimina, ob quæ Cananæi & aliæ gentes fuerunt deletæ. Sed diuerſus contextus diuerſam interpretationem neceſſario habet. Sic Aben Hezra, Et uias tuas, ſup. ne dederis ad delendas uias regum, quaſi dicat, Noli induere mores & conſuetudines regibus indi-
E gnas. Indignum eſt, cùm omni homini, amoribus mulierum, & uino indulgere: tum maxime regibus, qui uirtutum exemplo, non tantum armis & potentia populis debent imperare. Viæ regum & mores regibus digni ſunt, uacare ſapientiæ, & ſanis conſiliis capiendis, non luxui aut libidini, & brutorum uitiis. Ne dederis mulieribus ſubſtantiam uel uires tuas: utroque modo uerti poteſt, hoc eſt, ſapientiam quam à Deo tanquam theſauros reconditam habes: huic ſapientiæ nihil magis aduerſatur, quàm amor mulierum, & ebrietas, quam in uino intelligimus. *Quid fili mi, & quid fili uteri mei.*) Rhetorum more ſermonis exordio beneuolentiam captare, aut inire gratiam mo-
F litur apud filium. Primò, quòd filius ſit: Secundò, quòd non ſine dolore, & matris periculo in lucem editus, unde & naturæ, & diuinis legibus matri obtemperare debet: Tertiò, quòd tam chare ſemper à matre dilectus, ut pro quo ſubinde uotis ſeſe aſtrinxerit, legem matris recuſare non debet.

» NOLI regibus ô Lamuel, noli regibus dare uinum: quia nullum ſecre-
» tum, ubi regnat ebrietas. Ne forte bibant & obliuiſcantur iudiciorum, &

» mutent cauſam filiorum pauperis. G

Quàm non conueniat regibus ebrietas, neque his quorum eſt populum gubernare, præſens locus oſtendit: In quo frequentiſsimus eſt ille Hebraiſmus, qui ad integrum ſenſum aliquid ſupplendum relinquit. Nam in Hebræo ſic habet. *Non regibus Lamuel, non regibus bibere uinum, neque principibus ſiceram.*) Interpres noſter ſuppleuit ex præcedente uerſiculo, uerbum des, & ſenſus eſt coactior: quaſi mater illius, alios reges doceret, aut filium ſuum aliorum regum ac principum moderatorem conſtitueret, quaſi penes eum eſſet. Lyranus per reges, ipſum Salomonem intelligit, una cum iudicibus à Salomone conſtitutis: quaſi dicat, Neque tibi ipſi uinum multum dederis, neque iudicibus tuis, aut principibus. Nam ut parco conuiuio, & frugali reges ſuſciperet, ſi H quos hoſpites haberet, non auſus eſt Lyranus dicere, uel putare quòd aliquid tale præciperet mater illius. Et proinde rectius cum Hebræis ſupplemus, ex præcedente uerſiculo non uerbum dare, ſed nomen uia: & erit ſenſus, Non regibus Lamuel, non regibus mos eſt, uel uirtus aut decorum, uinum bibere, neque principibus decorum eſt bibere ſiceram: uel, ſupple inueſtigare, ubi eſt ſicera, ut alij legunt: ſenſus eodem redit. Aliter, ô Lamuel, hoc eſt, ô tu qui uerum colis Deum, aliis regibus non eris ſimilis: uel, uiæ tuæ non erunt ſimiles moribus aliorum regum, quibus non eſt Deus, & proinde uoluptatibus indulgent, & uinum ſectantur, & inueſtigant ubi eſt ſicera: hæc egregia eſt expoſitio. Quòd ſi de noſtri interpretis uerſione nihil uolumus im- I mutari, licet eam ad hunc modum defendere, ſupplendo ex ſuperioribus ad hunc modum: Ne dederis uias tuas ad delendum uias regum bibendo uinum. Nam ut alienum eſt à uiis & uirtutibus regum capi amore mulierum, ita quoque eſt alienum & indecens uiis & moribus regum, calicibus epotandis ſtudere, & principibus indecorum eſt inquirere, ubi inuenitur ſicera: quæ in ſcripturis ebrietatis potio habetur. Sequitur ratio quare non conueniat regibus bibere uinum, cum mutatione numeri, *Ne forte bibat rex*, uel, *princeps nimium uini, & obliuiſcatur ſtatuti & mutet iudicium*,) omnium filiorum pauperis. ſic Hebræi. Senſus idem eſt, Reges uidelicet debere ua- K care prudentiæ & ſapientiæ, ut poſsint populum moderari æquis ſtatutis, & legibus, & cum æquitate poſsint iudicia exercere, ne pauperes opprimantur in iudicio: uel humiles qui uexati & iniuriam paſsi, ad principis iudicium ueluti ad ſacram anchoram confugiunt. Quòd ſi princeps à uino, uel mulieribus detentus (quorum utrunque obliuionem æqui & iniqui uehementer inducit, iudiciis non poſsit præeſſe, quæ tandem ſpes eſt oppreſsis & afflictis pauperibus. Regibus igitur & principibus res eſt indigna ebrietas, quæ rationi maximè aduerſatur & ſapientiæ, ſine quibus æqua iudicia exercere non poſſunt. Quòd nos legimus, Nullum ſecretum ubi regnat ebrietas, apud Hebræos non habetur: ſed loco illius, & principibus non (conuenit) ſecar, ut L ſecunda clauſula reſpondeat priori, iuxta conſuetudinem ſermonis huius Sapientis, & Dauidis in Pſal. tamen in defenſionem interpretis obſeruamus etiam alibi hanc uocem רוזנים, nempe, Eſaiæ quadrageſimo, ſecretorum ſcrutatores uerti à diuo Hierony. alibi legum conditores, nempe Prouerbiorum octauo: Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Alioqui uertitur à Hieronymo, & etiam Septuaginta: Principes frequentiſsimè, & hoc in loco quadrat optimè. Nam non idcirco uult reges & principes eſſe abſtemios & ſobrios, ut ſecreta obſeruent: aliorum enim potius eſt ſecreta ſeruare quàm regum, ſed ut ſapientiæ uacent, & diſcant cauſas cognoſcere, lites dirimere, pauperibus patrocinari: hæc ſunt principum officia. M

» DATE ſiceram mœrentibus, & uinum his qui amaro ſunt animo: bi-
» bant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur
» amplius.

Non prohibet potionem uini & ſiceræ quòd creaturas Dei condemnat: nam creatura Dei

A Dei bona eſt, ſed quòd huiuſmodi potus ſit magis neceſſarius aliis, nempe his qui in afflictione ſunt & mœſtitia. In Hebræo, *Date ſiceram pereunti.*) quod intelligi poteſt, uel de damnatis ad mortem, quod mihi non placet: nam quorſum eſt eos obliuiſci doloris, uel amaritudinis ſuæ? præſertim cum omnes actiones noſtras ſobrias eſſe decet, & omnem uitam ſobrietate ornatam, tum maximè eam partem quæ eſt maximi momenti, nempe poſtremam, quæ ſi ritè peragatur, prioris uitæ maculæ delentur: quare melius intelligitur, *Date ſiceram mœrentibus*:) uel, ut eſt in Hebræo, pereuntibus: hoc eſt, quibus bona perierunt, qui ad egeſtatem ſunt redacti: ut reſpondeat clauſulæ ſequentis uerſiculi, nempe, bibant, & obliuiſcantur paupertatis ſuæ. Sunt qui intelligant, B Date ſiceram pereunti, hoc eſt his qui lugent mortem ſuorum: & ſic quod in noſtris eſt codicibus, uidelicet mœrentibus ſuppletur, omiſſa uoce quæ apud Hebræos eſt, nempe pereunti. prior expoſitio eſt melior. *Et uinum his qui amaro ſunt animo*,) cui reſpondet, Et doloris ſui non recordentur amplius: melius non recordentur adhuc, hoc eſt perpetuo: quaſi dicat, aliquando doloris, ſiue laboris obliuiſcantur, ne nimia triſtitia abſorbeantur. Huius loci ſenſus ſublimior obuius eſt & iucundus, nempe, mœrentibus prioris uitæ maculas, & peccata ſua lugentibus dandum eſſe uinum: quod dominus in nuptiis fecit ex aqua, conſolationem uidelicet ſcripturarum, & poculum ſanguinis Chriſti, in quo inebriari perditionis & condemnationis, quam lex Moſaica minatur amplius C non recordentur, neque triſtitia abſorbeantur aut deſperatione.

» APERI os tuum muto, & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt:
» Aperi os tuum, decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem & pauperem.

Poſtquam docuit filium ſuum à quibus debeat abſtinere, nunc docet quibus uacare regibus potiſsimum conueniat, nempe defenſioni pauperum, & iudiciis inter mortales exercendis. Nam quæ interiecta ſunt de uino dando mœrentibus: uel in genere dicta ſunt, ut ad quemcunque referantur: uel, ad miſericordiam & eleemoſynam in pau- D peres & afflictos ſpectant: quibus decet impertiri etiam delicatiora quãdoque, ut uinum & ſiceram. Quòd ad præſentem locum ſpectat, Os aperire muto, eſt pro muto loqui, non ſolum pro eo, qui pro ſe loqui non poteſt, ſed pro eo qui uel non nouit loqui, uel non permittitur: uel denique pro eo qui abſens in iudicio periclitatur. *Et cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt.* In Hebræo חלוף, cuius cum multiplex ſit ſignificatio, uariis modis uerti poteſt locus. Aben Hezra ad iudicium omnium filiorum mortis refert, & erit ſenſus, *Aperi os tuum muto*,) hoc eſt, ei qui non poteſt pro ſeipſo loqui, & præcipue ubi agitur iudicium mortis, ne uidelicet quis iniuſtè neci tradatur: alioqui uox Hebręa, mutare ſignificat, & filij mutationis, hoc eſt huius mundi filij: quaſi dicat in omnium mor- E talium cauſis, aperi os tuum, omnibus diuitibus & pauperibus, mutis & loquacibus, uel ſapientibus & inſipientibus iuſtitia eſt miniſtranda, omnium cauſæ ſunt audiendæ, quod utinam ad exemplum Salomonis, quem legimus cauſam duarum mulierculârum diremiſſe maxima prudentia, noſtri temporis reges facere uelint, ſuo ore uidelicet non alieno, ſuo munere fungi, iuxta id quod ſequitur: *Aperi os tuum & iudica*,) uel, decerne iuſtitiam. Sequitur in Hebræo, *Et iudicium pauperis & inopis*:) quaſi dicat, præcipue iudica cauſam pauperis & inopis. Hi enim patrocinio principis maximè egent, hi ſunt muti, qui pro ſe loqui neque poſſunt, neque audent: diuites, potentes patronos F facile inueniunt, & pauperes opprimunt in iudicio: Tu Lamuel cum quo Deus eſt, in terris Dei uices exerce: de quo loquitur propheta, Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor: ſed de his ſuperius latius diſſeruimus. Hactenus Lamuelis uerba, quibus matris ſuæ diſciplinam imò prophetiam nobis explicat, plenam ſapientiæ & ſaluberrimæ doctrinæ, unde ob ſingularem ſapientiam & raras uirtutes, ſuæ matris mulieris ſapientis, hoc eſt eccleſiæ, in qua reperitur omnis ſapientia huic uitæ neceſſaria laudes canere, & miro encomio celebrare uoluit, ordine alphabetico, ut moris eſt linguæ, in ua

Cap. 31.

riis ſcripturarum locis: præſertim in pſalmis aliquot, & Ieremiæ lamentationibus. G

» MVLIEREM fortem quis inueniet? procul, & de ultimis finibus
» pretium eius. Confidit in ea cor uiri ſui, & ſpoliis non indigebit.

Pſal.14. *Prou. 20.* *1. Reg. 3.* Iuxta proprietatem linguæ, raritatem ſignificant huiuſmodi quæſtiunculæ, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte? quis poteſt dicere, mũdum eſt cor meum? ſi homo peccauerit in Deum, quis orabit pro eo? Laudes igitur dicturus egregiæ & laudatiſsimæ fœminæ, raras eſſe huiuſmodi in principio orationis ſignificat. Aben Hezra exponit אשת חיל, mulierem opum, hoc eſt mulierem quæ acquirit opes, & ſua induſtria auget rem familiarem: & certe huiuſmodi ſunt plurimæ, H ſed alias quoque uirtutes ſi addideris, inuentu difficilem, cum Salomone dixeris. אשת חיל mulierem uirtutis uerti poteſt, ſed fortitudo, per antonomaſiam in uirtute intelligitur. Rectè uertit interpres noſter mulierem fortem, ſiue fortitudinis: ſunt enim fere timidæ, & parum animoſæ ad res gerendas. Validam uero & fortitudine præditam, ut erat mater Salomonis, temere non inuenias mulierem. *Procul & de ultimis finibus pretium eius.*) Præter hoc quod non eſt fideliter reddita Hebræa ueritas, etiam ſenſus relinquitur obſcurus. Hebræum, Procul præ unionibus pretium eius: ut duplex ſit ſenſus, uel quod charior ſit, & pluris æſtimanda quàm margaritæ quamlibet magni pretij: & ſic Septuaginta, τιμιωτέρα δὲ ἐστὶ λιθῶν πολυτελῶν, uel quòd lon- I gius petenda ſit, & longius eundum ad comparandam talem mulierem, quàm ad comparandas uniones. Prior ſenſus eſt melior, & poſsit facile congruere expoſitioni Nicolai de Lyra, qui per mulierem fortem, ſacram intelligit ſcripturam, ſiue doctrinam euangelicam, quam margaritæ comparat euangelium: Inuenta una pretio-
Matth.25 ſa margarita, dedit omnia ſua & comparauit eam. *Confidit in ea cor uiri ſui.*) Cum omnia recte diſpenſet, & fortiter ſe gerat aduerſus uitia, merito poteſt maritus illius mulieris ei fidere ex animo ſine ulla ſuſpicione. *Et ſpolijs non indigebit.*) hoc eſt rebus in familia neceſſariis, quas mulier fortis comparabit, non minore induſtria, nec K minore uirtute quàm ſi uictis hoſtibus aſportaſſet ſpolia: ſiue ſpolia dixit, propter copiam & affluentiam rerum, quas acquirit ſua ſapientia. nam captis urbibus, magna & uaria rerum ſupellex uictoribus cædit, quæ ſpolia dicuntur: cuiuſmodi rerum copia non carebit huius mulieris maritus, etiamſi ad bellum non amplius eat. Eccleſia Chriſti & fidelium congregatio magnam ſtatim oſtendit fortitudinem, ſanguinem pro ſponſo Chriſto copioſe effundens qui in cælum ad patrem reuerſus, quotidie ſpolia reportat ex hoſte deuicto, quem magis quotidie ſpoliandum, ſponſæ ſuæ commiſit.

» REDDIT ei bonum, & non malum omnibus diebus uitæ ſuæ. Quæ- L
» ſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.

Retribuit marito ſuo bonum, hoc eſt non decipiet, neque fruſtrabitur fiduciam mariti, qui ex animo fidit illi: tanto ſtudioſior curabit rem domeſticam, quanto magis fidit illi maritus. Aliter, reddit illi bonum: etiam ſi maritus aliquando ſuccenſeat uel etiam minus gratum ſe præbeat uxori ſuæ, tamen mulier fortis & honeſtiſsima matrona, non reddet malum pro malo: ſed ſumma modeſtia feret & æquo animo, quicquid dixerit maritus: omnibus modis quod gratum fuerit illi & bonum ſtudens re- M pendere. Eccleſia Chriſti ſemper in gratiarum actione uerſatur, ſiue bona & proſpera, ſiue mala & aduerſa de manu ſponſi accipiat. *Omnibus diebus uitæ ſuæ,*) ad mulierem refertur: nam hæc ambiguitas in Hebræo ſermone non eſt. Sunt ex Hebræis qui ſic intelligunt, reddet bonum marito, etiam poſt mortem ſi ſuperuixerit: nihil committet indignum illius honore, uel filiis illius reddet bonum. *Quæſiuit lanam,*) honeſtis artibus & labore muliebri replebit domum ſpoliis, non turpi lucro aut uſura,

ſed ma-

A ſed manuum laboribus opes acquiret neceſſarias his, qui familiam alunt, qui liberos educare & collocare debent. *Et operata eſt conſilio manuum ſuarum.*) In Hebræo operata eſt uoluntate uel beneplacito manuum ſuarum : uel iuxta uoluntatem manibus ſuis. Studium ardens, & infatigabiles manus oſtendit, ſiue uirtutum telam texendo, ſiue ſcripturarum expoſitione ueluti fila protrahendo. Quod ad Hebraiſmum ſpectat, uel ſubauditur præpoſitio עם cum, ante uocem כפיה, quæ ponitur ante חפץ uoluntas, ut ſit ſenſus : Operata eſt cum uoluntate, & cum manibus : uel operata eſt uoluntate manuum, hoc eſt manus operatæ ſunt ſecundum uoluntatem : non erant B minus promptæ manus, quàm uoluntas. Doctrina datur mulieribus ut ab hac muliere forti & ſtudioſa diſcant rem domeſticam gubernare, uiris obedire, laboribus ſedulo incumbere. Cap. 31.

„FACTA EST quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem „ſuum. De nocte ſurrexit, dedítque prædam domeſticis ſuis, & ciba„ria ancillis ſuis.

C Maximas opes per mare tranſportant mercatores, præſertim qui longinquas petere regiones audent: facile diteſcunt, qui aliquoties ab extremis regionibus nauem onuſtam mercibus redeuntem recipiunt. Talis eſt hæc mulier, ſimilis naui mercatorũ, quæ de longinquo portat panẽ: ſiue, ut eſt in Hebræo, *Sicut naues mercatoris, de longinquo faciet uenire panem ſuum.*) ut adducere panem ad mulierem referatur, nõ ad naues, quæ numero multitudinis efferuntur, ut maior ſit huius mulieris laus, quę cùm domi maneat, operetur lanam & linũ, tamen adinſtar claſsis opes adducet ſua induſtria & ſapiẽtia in ædes mariti, non dico opes peregrinas, quæ ad luxũ inſeruiant & delicias: ſed panẽ, in quo intelliguntur omnia ad uictum neceſſaria, ne quis putet parum utilitatis eſſe in lana & lino, ne D quis putet ſolos diteſcere mercatores : quanuis locus peculiariter ſpectet ad laudem negotiationis domeſticæ, & artium mechanicarum, quibus honeſtus & ſufficiens comparatur uictus, ut non ſit opus: quod reprehendit Horatius,

Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes:

Apoſtolorum in omnem terram exiuit ſonus, & in fines orbis uerba eorum: quibus ad eccleſiam Chriſti, tuto ueluti nauigio per fluctus huius mundi, aduectæ ſunt precioſæ & copioſæ animarum merces. *De nocte ſurrexit:*) uel potius ſurgere ſolet, ſomno minime indulgens mulier fortis: molitiem & otium facilè ſuperat, & de nocte ad labo- E rem ſurgit. *Dedit prædam domeſticis ſuis.*) In Hebræo. domui ſuæ. טרף prædam, metaphorice loquitur: eſt enim uox Hebræa proprie ferarum, ſiue auium quæ raptu uiuunt, ut ſignificet frugalitatem huius mulieris, quæ non delicias neque dapes dat domeſticis, ſed cibum neceſſarium : non uult ſuos conuiuiis nec compotationibus indulgere, etiam ſi ſit in ædibus omnium rerum copia. Huc ſpectat quod ſequitur: *Cibaria ancillis ſuis.*) Lac potandum dedit Paulus infirmis in fide, & ſingulis eccleſiæ domeſticis ſpiritualia coaptantur alimenta : perfectorum eſt ſolidus cibus. In Hebræo, Et quod ſtatutum eſt, uel quod congruit ancillis ſuis, rebus omnibus mediocritatem tenens, ut domeſticis ſuis neque neceſſaria deſint, neque ſaturitas panis uitiorum fo- F menta ſubminiſtret.

„CONSIDERAVIT agrum, & emit eum, de fructu manuum „ſuarum plantauit uineam. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & robo„rauit brachium ſuum.

Re domeſtica bene conſtituta, ad ea quæ foras ſunt reſpicere ſolent patresfamiliæ. Idem facit mulier fortis, annonæ rationem habet, uoluit ex agris propriis meſſem colligere;

& cum inter agrum & agrum maxima ſit differentia, quod ad fertilitatem ſpectat, mulier conſiderauit, & ſapienter contemplata eſt ſolum, prius quàm acciperet atque compararet. Nam ſimile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quod ad allegoriam ſpectat. *De fructu manuum ſuarum plantauit uineam.*) Oſtendit qua ratione, & in quem uſum accepit agrum, nempe iuſto pretio accepit, quod ſuis laboribus acquiſiuit, ut in eo uineam plantaret, quanuis ad utrunque referri poſsit, quod dixit, De fructu manuum ſuarum plantauit uineam, ad hunc modum, Accepit agrum fructu manuum ſuarum, uel plantauit uineam fructu manuum ſuarum, hoc eſt, operarios conduxit fructu manuum ſuarum: quaſi ad mulierem non pertineat plantare uineam, ſed his, quæ lucrata eſt ſuis manibus, conduxit operarios: & hanc expoſitionem ſequitur Aben Hezra. Mihi magis placet prior expoſitio, propter ea quæ ſequuntur: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborat brachia ſua.*) quaſi dicat, Induit omnino uirilem animum & fortitudinem, quæ in renibus & brachiis maxime apparet, ut ſit ſenſus: Sic ſe comparauit, ut non ſolùm domeſticis, ſed etiam ruſticis operibus eſſet idonea, & maritum iam in utroque redderet ſecurum, ut poſsit ubique ex animo fidere tam egregiæ matronæ. Poteſt hic uerſiculus referri ad laudem continentiæ, quæ in cingulo renum intelligitur, & operis aſsiduitate. Quæ iuxta allegoriam quamaptiſsimè quadrant eccleſiæ, facile eſt uidere, ſiue etiam tropicẽs unicuique animæ fideli: quæ interpretatio cùm à Beda copioſiſsimè ſit tractata, ſuccinctè à nobis indicatur.

G H I

» GVSTAVIT & uidit quoniam bona eſt negotiatio eius, non ex-
» tinguetur in nocte lucerna eius. Manum ſuam miſit ad fortia, & digi-
» ti eius apprehenderunt fuſum.

Hebræi per guſtare conſultare intelligunt, quanuis ad experientiam uideatur referri, & ad perſeuerantiam ſpectat, & ſenſus eſt: Placuit ſibi in ſuis negotiis, & ſenſit laborem ſuum eſſe frugiferum, & proinde die noctéque frugiferis negotiis incumbit, & ne nocte quidem extinguit lucernam, ne mora fieret aliqua antelucanis operibus lanæ & lini, quibus mulier hæc ad omnem occaſionem uacat: & hoc eſt quod ſequitur, *Manum ſuam miſit*) non ad fortia, ut nos habemus, ſed uerticulum, quod etiam Lyranus obſeruat. alij uertunt colum: & huic bene reſpondet quod ſequitur, *Digiti eius apprehenderunt fuſum.*) In Hebr, Manus ſiue palmæ apprehenderunt fuſum. Cæterum qui priorem uocem uerticulum extulerunt, ſecundam colum uertunt. Senſus eodem tendit, ut oſtendat uidelicet hanc mulierem, ob ruſticana opera non relinquere ea quæ peculiariter ad mulieres ſpectant, nempe colum tractare & fuſum. Quàm bona & legitima ſit negotiatio illa, quam commiſit ſuis homo in longinquam regionem profectus, & dicens ſuis, Negotiamini donec ueniam, nouit hæc fortis mulier, & proinde nunquam ceſſat augere mnam ſibi datam: neque enim nocte & infidelitate Iudæorum, aut hæreticorum erroribus lucerna huius mulieris, hoc eſt fides eccleſiæ, extinguitur, quanuis obſcurari uideatur.

K L

» MANVM ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad paupe-
» rem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis: omnes enim dome-
» ſtici eius ueſtiti ſunt duplicibus.

M

Galat.6. Operemur bonum ad omnes, inquit Paulus, maxime autem ad domeſticos fidei: id quod inter laudes huius fortis mulieris ponitur, quæ non ſolum ſuis, ſed egentibus laborat, & hæc geminatio, manum porrigit & manum mittit, uel more ſuo geminauit ſenſum uerbis diuerſis, uel magnam uoluit oſtendere liberalitatem, & crebras eleemoſynas dum manum extendit inopi, & plures manus iuxta Hebræum mittit ad egenos, quaſi dicat: Non ſolùm ipſa porrigit manum pauperibus, ſed etiam per manus

ſuorum

A ſuorum mittit & diſtribuit egenis: quos ipſa non poteſt adire, ſuorum miniſterio iuuat, & paſcit. *Non timebit domui ſuæ.*) uel ſpectat eò quo diximus, nempe maxime ad domeſticos: & alibi, Si quæ autem ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior: uel, non timere domui, hoc eſt familiæ ſuæ, eſt plena fiducia extendere manum pauperibus, nihil uerita, ne quid ex ea liberalitate ſuis domeſticis deſit: ut ſunt parum fidentes in domino, qui domino non audent fœnerari. Fœneratur autem domino, qui miſeretur pauperis. Iſta matrona diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. *A frigoribus niuis.*) à niue eſt in B Hebræo, quando maiores faciendi ſunt ſumptus, & quando parum lucramur, & fere nimio frigore torpeſcunt homines, huius mulieris domeſtici bene ueſtiti, non minus idonei ſunt ad opus. Quanuis plus quàm frigora niuis, refrigeſcente charitate patiantur plurimi, tamen ciues ſanctorum & domeſtici non deſinunt extendere palmas inopibus, magna miſericordia & flamma accenſi, nihil damni patiuntur, ueſtiti duplicibus, hoc eſt præſentia contemnentes, & ſpe futurarum ſecuri. Iuxta proprietatem linguæ Hebraicæ legere debemus, non duplicibus, ſed coccino ueſtita eſt familia eius, quaſi dicat, multo magis munita eſt contra frigora niuis.

Cap. 31. 1. *Tim.* 5. *Prou.* 19.

C

» STRAGVLATAM ueſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indu-
» mentum eius. Nobilis in portis uir eius, quando ſederit cum ſena-
» toribus terræ.

Vox Hebræa מר ברים dupliciter ab Hebræis exponitur, uel ornamenta lecti ſiue tapetia, ut ſuperius capite ſeptimo uidimus, uel pro torque. Senſus eſt, ut oſtendat huius mulieris induſtriam & ſapientiam, quibus uirtutibus comparauit ſibi uel regiam D ſupellectilem, & ornamenta ſumptuoſa, quibus non ſolum corpora ſuorum, ſed etiam ædes & interiora cubicula ornantur aulæis & tapetibus, quas ipſa fecit. Neque eſt huiuſmodi laboribus mechanicis ſordida mulier, aut ingrata marito, ſed ſplendidiſsimo ueſtita byſſo & purpura: & quemadmodum his uirtutibus magno eſt uiro ſuo ornamento & honori, ita uir quoque illius eſt inſignis & nobilis, ſiue notus (ut eſt in Hebræo) in portis, in locis publicis, in ſenatu, cum ſedeat unà cum aliis ſenibus & ſapientibus uiris illius prouinciæ, qui uel iudicia exercent, uel de negotiis reipub. conſultant. Sic enim familiam & omnem rem domeſticam adminiſtrat hæc mulier, ut maritus de rebus huiuſmodi ſecurus, poſsit libere cum ingenti honore publica obire munera, & E rempub. capeſſere. Byſſus & purpura ſynagogæ ornamenta in eccleſia uirtutum, ſplendorem & uarietatem ſignificant iuxta illud: Omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta uarietate.

Pſalm. 45.

» SYDONEM fecit & uendidit, & cingulum tradidit Chananæo.
» Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo.

Hæc ſpectant ad induſtriam huius mulieris tam potentis, quæ lanæ & lini operibus non ſolum quæ ſuis ſunt neceſſaria comparat, ſed etiam ſydonem, ſiue, ut Hebræi exF ponunt telam, uel linteum & cingulum, tanta copia ſuis & ancillarum manibus texit ac conficit, ut mercatoribus tradantur uendenda: ſic enim interpretantur לכנעני id eſt לשוחר mercatori. Simul laudatur induſtria huius mulieris, ſimul indicat ſcriptura quarum rerum mercatura ſit licita, nempe earum quæ ad neceſſarium corporis ornatum ſpectant. Et quanuis (ut dictum eſt) omnes domeſtici illius ueſtiti ſint duplicibus, ſiue coccino (ut alij exponunt) tamen ipſa minime luxuriat corporis ornatu: non enim more mulierum corporis pulchritudini, & ſplendori ſtudet, ſed magis animi uirtutibus, nempe fortitudine & honeſtate, ac totius uitæ decore ornari gaudet magis quàm

ueſtibus ſumptuoſis. Atqui inde prouenit quod ſemper ſit læta: imo quo diutius uiuit, G
uel uſque ad extremam ſenectutem ſemper creſcentibus animi uirtutibus, creſcit illius lætitia, & gaudium conſcientiæ ſecuræ. Mulierculæ quæ florem ætatis deliciis tranſeunt, & curioſo corporis ornatu ſeſe delectant & pulchritudine ſibi placent, ubi temporis iniuria flos ætatis emarcuerit, ubi rugata facies nullo ſtibio aut purpuruſſa niteſcere uelit, ubi uetulæ contemni cœperint, deficientibus ſimul uiribus & pulchritudine, mœrent infœlices, iam corporis & animæ deſtitutæ dotibus, quando ſapiens mulier potiſsimum gaudet, inſtante poſtremo die, quo laborum præmia ſe recepturam nouit.

H

» OS SVVM aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Con-
» ſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit.

Loquacitatis & ſtultitiæ cauſa, muliebris ſexus frequenter audit malè: uerum hæc non ſolum opere, ſed ſermone quoque ſapienter ſe gerit, nihil ſtultè, nihil uanè locuta: omnis illius ſermo, uel ad ſapientiam ſpectat, ea meditans quæ Dei laudes ſonant, uel miſericordiam & clementiam in proximos. *Conſiderauit, ſiue ſpeculata eſt uias domus ſuæ.*) familiæ curam habet, & mores domeſticorum non negligit. Omnibus modis laudanda eſt induſtria huius mulieris, ut quæ ſedulo ſtatum familiæ intuetur, & interim ipſa impigra manum mittit ad fuſum, non ſatis habet diligenter intendere, ne otio torpeſcat familia, niſi & ipſa quoque operetur, & ſuis manibus lucretur panem. Iuxta illud Pauli: Qui non laborat non manducet. I

» SVRREXERVNT filij eius, & beatiſſimam prædicauerunt,
» uir eius & laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſu-
» pergreſſa es uniuerſas. K

Surrexerunt, & in publico loco laudauerunt, non in priuatis ædibus: & maritus laudauit, qui probitatem illius mulieris optime nouit: pudica mulier quæ rem domeſticam tractat, non publicam, ſuis potiſsimum innotuit non alienis. hinc eſt quòd ſui eam potiſsimum laudare & beare poterunt. Aliter. *Surrexerunt filij eius:*) hoc eſt creuerunt, & magno matri fuerunt honori, quæ uirtutibus tanta cura inſtruxit ſuos liberos. Vt enim filius ſtultus triſtitia eſt matris, ſic morigeri iuuenes qui cum laude ad honores
Prou.10. perueniunt, magna laude matrem afficiunt. Laus uero quam huic mulieri tribuunt (filij & maritus, filij eccleſiæ ſunt, quos docendo & baptizando Chriſto ſponſo genuit) ut ſequentibus uerſiculis continetur. *Multæ filiæ fecerunt diuitias.*) quod in tenero & fragili ſexu muliebri magna laus eſt, labore uidelicet & induſtria ac ſapientia uiros ſuperare, plus manibus comparare, plus ſudore acquirere quàm omnes aliæ. Quàm non ſine cauſa beatam prædicant hanc mulierem filij & maritus, quibus tam fœliciter proſpectum eſt, illius opera quæ non ſolum omnium aliarum mulierum ſuperauit induſtriam, omniúmque uicit prudentiam in rebus agendis, ſed etiam in diuino cultu, ut ſequitur. L

» FALLAX gratia, & uana eſt pulchritudo, mulier timens domi-
» num ipſa laudabitur. Date ei de fructu manuum ſuarum & laudent M
» eam in portis opera eius.

Spectant ad laudem huius mulieris & iſti duo uerſiculi, quorum ſenſus eſt huiuſmodi, Non eſt laudanda mulier ob formam & pulchritudinem, niſi & opera quoque illius fuerint laudanda & pulchra, & niſi fuerit timor Dei in ea, alioqui uana laus eſt illa quæ ſoli pulchritudini tribuitur. Cæterum hæc mulier de qua ſermo eſt, quæ in timore domini multos bonorum operum fructus protulit, digna eſt quæ laudetur, & digna eſt

honore

A honore apud Deum & apud homines. Aliter dicent filij eius & maritus eius, mulier Cap.31.
hæc cuius laudes recenſemus, quanuis ſit plurima gratia & pulchritudine decora, mendacium tamen ſit hæc gratia, & uanitas illa pulchritudo, quod ad hanc laudem ſpectat: nam non laudabimus eam ob corporis dotes, quæ bonis & malis ſunt communes, ſed laudabimus eam: quia eſt mulier timoris domini, idcirco laudabitur. *Date illi de fructu manuum ſuarum.)* ſunt uerba mariti huius mulieris ad filios, hoc eſt laudate eam ut meretur. & hoc eſt quod ſequitur: ut ferat laudem in portis, hoc eſt publicis locis ob opera ſua, ſic Aben Hezra. Alij uero uolunt hæc eſſe uerba authoris, nempe Salomonis,
B ut omnes ubique gentes celebrent hanc mulierem tam ſtrenuam, quæ ſuis manibus tantas acquiſiuit opes: digna tandem eſt ut fructum comedat. Et eſt metaphora alludens ad ſuperiora ubi dictum eſt, plantauit uineam, & quis plantat uineam & de fructu eius non comedit? Et laudent eam in portis opera eius: uel ſenſus eſt opera ſua iam 1.*Cor.9.*
cognita apud eos qui ſedent in portis, hoc eſt apud ſeniores populi, qui rempub. gubernant in illius laudem referentur. Aliter, laudabunt eam, qui ſedent in porta, propter opera illius, non ſolum hæc mulier, ſed omnino quotquot laudem conſequentur, in portis, hoc eſt apud iudicem animarum, propter opera ſunt laudandi, iuxta illud
C euangelij: Eſuriui & dediſtis mihi manducare: & ſequitur, Venite benedicti pa- *Mat.25.*
tris mei. Et illud Pauli: Stabimus omnes ante tribunal Chriſti, ut recipiat *Rom.14.*
unuſquiſque prout geſsit in corpore. Quare poſt tanta præconia uirtutum huius mulieris merito cum laudibus operum claudit ſermonem dicens, Laudabunt eum in portis ob operum merita: laudabunt inquam Angeli qui perpetuo uident faciem Patris, cui cum Filio & Spiritu ſancto ſit omnis laus, honor & gloria, ſine fine.
Amen.

COMMENTARIORVM IN PROVERBIA SALOMONIS FINIS.

modo

Rodd
Marsh
Pub. Lib.
Lon.
N. 2.
C. 11.
R. Rodd